



De Scripturae Sanctae autoritate, certitudine, firmitate et absoluta perfectione, deque Episcoporum, qui Verbi Dei ministri sunt, institutione et functione, contra superstitiones tyrannidisque Romanae antistites, ad Sereniss. Angliae Regem Heynrichum VIII, Heinrychi Bullingeri Libri duo.

<https://hdl.handle.net/1874/406633>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:


<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


E. qu.

76



14

0






E. qu.

76

... pna d'cau q' d'me d'mi coheret m'ltis quo ad b'mia

... p' d'cau q' d'me d'mi coheret m'ltis quo ad b'mia

die stempel gewandbrücker
mit der signatur
v. E. S. 162



84076 1

DE SCRIPTV

RAE SANCTAE AVTHORITA

TE, CERTITVDINE, FIRMITATE ET ABSOLVTA

perfectione, decq; Episcoporum, qui uerbi dei mini

stri sunt, institutione & functione, contra su

perstitutionis tyrannidisq; Romanæ anti

stites, ad Sereniss. Angliæ Regem

HEINRYCHVM VIII.

Henrychi Bullin

geri Libri

duo.

I E S V S.

Hic est filius meus dilectus in quo placata
est anima mea, Ipsum audite.

Math. XVII.



Ex Donatione H. a Burchel.

TIGVRI IN OFFICINA FROSCHOVIANA

MENSE MARTIO, ANNO

M. D. XXXVIII.



DESCRIPTIVE

OF THE

RECORDS OF THE

STATE OF TEXAS

FROM 1845 TO 1850

AS PRESERVED IN THE

OFFICE OF THE

COMMISSIONER OF

GENERAL LAND OFFICE

AT DALLAS, TEXAS

1851

Printed by

W. D. KELLY

DALLAS, TEXAS

W. D. KELLY

PRINTED AT

DALLAS, TEXAS

SERENISSIMO PRINCIPI

HEINRYCHO VIII. ANGLIAE ET FRAN-

tiae Regi, Hiberniae domino, Vualliae & Cornu-

biae principi, Catholicae fidei defensori, &

Suū in terris Anglicanae ecclesiae capiti,

Gratiam & uitae innocentiam à Deo

patre per dominum nostrum

IESVM CHRISTVM,



I I V X T A S A P I E N T V M I V D I C I A,
animo dolenti nihil credendum est, haud du-
bie maiori obnoxio affectu nulla fides adhi-
benda erit. Quos autem reperias, Rex serenissi-
me, affectus, id est animi perturbationes, amore, cupidita-
te, auaritia et ambitione sauios? Huiusmodi autem affe-
ctionibus prauis in transuersum distractos esse certissimū
est illos, quicunq; è Pontificibus ad se rapuerunt Librum
legis dei, Regibus tantum reliquerunt Librum legum po-
liticarum & gladium quo feriant noxios mortemq; com-
miticos. Quid enim commento illo suo uaferrimo uolue-
runt aliud, quàm gradu summo sese præferre Regibus &
in hos ceu diuinam exercere dictaturam? In eo autē quis
non uideat cupiditatem pudendam? Quis non animad-
uerat probrosam & monstrificam etiam ambitionem, ut
nihil de auaritia propudioso scelere cōmemorem? Si qd
ergo aliud propter affectus grauios suspectum nullaq;
fide dignū uidetur, id citra controuersiam falsum sit opor-
tet, quod dicitur ad Episcoporum ministerium pertinere
modo religionis siue rerum spiritualium curam, ad Regū
administrationē pertinere iudicia inferiora, temporalium
scilicet curam & ius gladij. Nam primum & potissimum
quod ad Regum curā pertinet est Religio ac Fides. Extat
de hac re lex dei in hæc uerba promulgata, Cum sederit *Deut. 17.*
Rex in solio regni sui, describi sibi curabit exemplar legis.

AD SERENIS. ANG. REGEM.

huius in uolumine, idēq; à Sacerdotibus & Leuitis, eritq; hoc apud eum, & legere debet in eo cunctis diebus uitæ suæ, ut discat timere dominum deum suum, & obseruare omnia uerba legis huius atq; statuta ista ut faciat ea, neque recedat à præceptis meis uel ad dextram uel ad sinistram, ut prolonget dies in regno suo, ipse & filij eius. Sacerdotes & Leuitæ, ait, Legem meam non sibi tantum seruabunt sed descriptā ex autographo ipsi Regi quoq; exhibebunt ceu executori & custodi Legum. At in Lege non tantum præcipitur de temporalibus, sed religione quoq; curanda. Additur ergo, Eritq; hoc apud eū & legere debet in eo. Quasi dicat, Nō est ut recipiat tantū aut ut apud se clausum retineat, sed legere debet in eo. In quem finem obsecro? Vt discat timere deum & seruare omnia uerba & statuta mea. Requirit ergo deus Timorem id est integram & ueram religionem à Regibus. Requirit ut obseruet obseruariq; faciant omnia uerba & statuta legis. In illa cum omnino ueniant, imò prima sint religionis capita, ad reges profecto pertinet liber Legis dei & cura religionis, nō liber tantum humanarū legum & ius gladij. Quid quod non quamuis sed absolutam & moderatissimam religionis curā requirit & ait, Non recedat à præceptis meis uel ad dextram uel ad sinistrā, significans Reges debere iusta ratione religiosos esse debere? Itur enim ad sinistrā cum omnis religio negligitur, ad dextram cum in superstitionem deflectitur. Imò quo plus animi & diligentia exciteret in regibus, amplissimam rerū temporalium promissionem adiicit, longæuitatem, felicem sobolem, & durable regnum. Eadem illa lex totidem propè uerbis repetitur & Iosue principi commendatur. Inter alia autē dicitur ei, Non recedet liber legis huius ex ore tuo, sed meditaberis in eo die & nocte, ut custodias & agas iuxta omne quod scriptum est in eo. TVNC ENIM PROSPER VM REDDES ITER TVVM ET TVNC PRVDENTER AGES. Huc faciunt iam exempla sanctissimorū principum, Ge-
deonis

Iosue 1.

deonis in primis herois inclyti, qui simul atq; uocatus est *Iudic. 6.*
 set à Deo ad imperiū, protinus peregrinas religiones sub-
 uertit expurgatione q; fidei regnum suū initiauit. Deinde
 uero pro populi & libertatis assertionē pugnaturus gla-
 dium sumpsit. De Dauide & Solomone non est qd quic-
 quam adferam cum diligentissimi fuerint in curandis re-
 ligionibus. De Iosaphat rege gloriosissimo sic refert histo- *2. Par. 17.*
 ria sacra, Et fuit dominus cum Iosaphat, eò quod ambu-
 laret in uis David patris eius primis, et nō requisit Baal-
 lim, sed deum patris sui quæsiuit & in præceptis eius am-
 bulauit. Et præparauit dominus regnum in manu eius, &
 obtulerunt omnes qui erant in Iuda munera Iosaphat, ha-
 buitq; opes & gloriā in abundantia. Et adiecit cor suum
 ad uias dñi, & abstulit excelsa atq; lucos de Iuda, & anno
 regni sui tertio misit ad principes suos ut curarent doceri
 legem dei in ciuitatibus, et cum his misit Leuitas. Docue-
 runtq; in Iuda habentes secum librum legis diuinæ, & cir-
 cumiuerūt omnes ciuitates & docuerūt populū, & fuit pa-
 uor domini super omnia regna terrarū, quæ erant in cir-
 cumitu Iuda, & nō pugnauerunt contra Iosaphat. Et fuit
 Iosaphat pergens & crescens usq; in supremum gradum.
 En sanctissime Rex, Princeps ille dei gloriosiss. ante oīa
 curat religionem. Nam aufert peregrinū colendi dei cul-
 tum & uerū restituit. Hoc nomine emittit doctores, siue
 prædicatores, addit eis principes qui tueantur cōtra uim
 & adsint in demoliendis & restituendis religionibus. Hac
 autem re & sedulitate Deum sibi demeruit, ut iam dei po-
 tentia adacti omnes uicini reges sibi metuerent, & dome-
 stici sponte obediētes munera adferrent. Cura enim re-
 ligionis diligenti & pia parant sibi Reges autoritatem,
 robur inuictum, obediētiā iustam, pacem firmam, &
 gloriā immortalem. Hac fraudarunt sanctos Principes
 quicūq; curam religionis administrationi regiæ ademe-
 runt. Nec hic censeo audiendos esse perturbatores rerum
 Anabaptistas, pestem ueritatis euāgelicæ exicialissimam,

AD SERENIS. ANG. REGEM

Psal. 2.

Isaias enim in capite 49. de rebus loquens ecclesiæ Christi & Gentium uocatione inter alia, Sic, ait, dicit dñs Deus, ecce leuabo super Gentes manum meam & inter populos exaltabo signum meum, & adducent filios tuos (ô ecclesia siue ecclesiæ princeps) in sinu & filia tuæ super humerum portabunt. Eruntq; REGES alumni tui et REGINAE eorum nutrices tuæ, procident coram te in terram & puluerem pedum tuorum lingent, id est adorabunt. Religiosissime ergo S. Augustinus doctor catholicus cōtra Donatistas illud ē Psalmis citans, Et nunc reges seruite domino in timore & exultate ei cum tremore, dicit, Quomodo reges domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra domini iussa fiunt religiosa seueritate prohibēdo atq; plectēdo? Aliter enī seruit quia homo est, aliter quia etiā Rex est. Quia homo est, ei seruit uiuendo fideliter. Quia etiam Rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti uigore faciēdo. Sicut seruiuit Ezechias lucos & templa idolorum & illa excelsa quæ contra dei præcepta fuerant extructa destruēdo. Sicut seruiuit Iosias talia & ipse faciēdo. In hoc ergo seruiūt domino reges cum ea faciunt ad seruiendum illi quæ nō possunt facere nisi reges. Hæc August. Extant hodie in Codice Imperatorio multæ leges latæ à sanctissimis & Christianissimis Regibus pro orthodoxa fide ac religione contra superstitionem & impietatem. Huc pertinere uidetur quod apud ueteres, Reges etiam erant sacerdotes. Persarum rex ubi attigisset annū uitæ XIII. tradebat pædagogis. Erant illi ex Persis delecti præcipuiq; quatuor sapientissimi, iustissimi, temperatissimi, atq; fortissimi uiri, quorū primus Magicam Zoroastri docebat, nō impiā quidem illā et superstitionosam, sed quæ tradebat Dei cultū et instituta regia. Secundus admonebat ut in omni uita esset uerax. Tertius ne ulla superaret cupiditate, ut libere uiuere consuesceret, ac reuera Rex imperitans ijs ante oia quæ in ipso sunt, nec ulli seruiēs. Quartus deniq; impauidū illum & intrepidū reddebat

H. BVLLINGERI EPIST.

reddebat ne quando quidpiã metuens seruus fieret. Au-
thor huius Plato in Alcibiade. Eodẽ spectat opinor quod
Aegyptij simulachrũ principis ita representabãt, ut ocu-
lum pingerent cum sceptro, nimirũ significantes requiri
in Principe sapientiam rerum diuinarũ & humanarũ, &
sapientem & pium principẽ in regno esse quod oculus est
in corpore. Proinde non tam diuina quã humana lege
confirmatum est Regum officium primarium esse religio-
sos esse & religionem accurate & ante omnia curare.

Iam uero cum te, ô Rex potentiss. delegerit dominus
unxeritq; super populum suum, intelligis quid te deceat
& quid factò opus sit. Rex es, ergo pater patriæ es. Caput
es regni, ergo tibi & regno sapiens. Anima es corporis An-
glicani, animabis ergo tuos ad uitæ sanctæ officia. Ocu-
lus es sol & lumen ecclesiæ Anglicanæ, ergo ecclesiam san-
guine Christi redemptam è faucibus eripiens Antichristi
ipsam illuminabis uerbo Christi, superstitione subuerfa
restitutaq; uera religione. Cœpisti pulchre negotiũ Chri-
sti, succedit egregie per gratiam domini, pergis intrepide
in spe promissionum dei. Orant pro te & regno tuo do-
minum, proq; donis sibi datis à domino laborantem iu-
uant qui gloriam Christi cupiunt promotam. Hoc enim
nomine etiam ipse hosce libros tuo, ô Rex Christianiss.
nomini dedicaui, quos contra tuos & communis religio-
nis hostes de Verbo dei ac ministrorum uerbi dei institu-
tione & functione conscripsi. Oro autem humanitatem
tuam, Rex clementiss. ut operam meam boni consulas.
Nihil opinor in his contineri quod orthodoxæ fidei ad-
uersetur. Profero præterea hæc saluo semper illibatoq;
orthodoxæ ecclesiæ iudicio. Dominus Iesus diu te unã
cum nuper nato principe nouo, & regno & ecclesiæ suæ
incolumem seruet. Tiguri Mense Martio, Anno ab
incarnatione domini M. D. XXXVIII.

Maiestatis tuæ


deditiss. H. Bullingerus,

IN H. BVLLINGERI LIB.

PRIOREM DE SCRIPTVRA SIVE VERBO

dei, atque posteriorem de Episcoporum In-
stitutione & functione,

I N D E X.

	Chacius pie spoliauit ecclesiã suam.	pagina	117		
	Affectatio inepta		82		
Alexandro magno uisus deus			31		
Alexãder tertius Papa peruicax.	pagina	b	175		
Alexandrina ecclesia		b	102		
Ambrosius ecclesiam fraudauit auro		b	117		
Ambrosij constantia & libertas.	pagina		123		
Ammonius philosophus		b	34		
Apostatate, est non obedire uerbo dei		b	57		
Apostolorum auctoritas à Christo.			13		
Apostoli scripturis nituntur		b	13		
Apostoli omnia sciuerunt necessaria			47		
Apostoli omnia omnibus traderunt		b	47		
Apostolorum dicta consentiunt omnia			48		
Apostoli omnia scripserunt necessaria		b	48		
Apostolorum successoribus quid liceat			49		
Apostolorum canones quales		b	49		
Apostoli non dederunt ius con- dendi leges			50		
Apostolorum uocatio			77		
Apostoli non reliquerunt uxores.					
	pagina	b	95		
Apostoli de primatu contendunt.	pagina		136		
Archipresbyterorum auaritia.	pagina	b	160		
Augustini laus & auctoritas			18		
Aurum cõsilare ecclesiã pium opus			117		
Aurum quomodo tollendum è templis			114		
Authores impuri non recipiendi.	pagina		154		
Authoritas scripturæ qualis Augustio			9		
Authoritas episcopi unde ueniat	pagina		118		
Authoritas episcopi ex libertate dicendi pia		b	122		
Authoritas ministrorum à uita pura	pagina	b	124		
Authoritas ministrorum collapsa.	pagina		125		
Authoritas ut reparetur			125		
Authoritas ex ætate			126		
Authoritas episcoporum ueterum.	pagina		127		
		B			
Bernardi querela contra episcopos			189		
Bibliothecæ uastare		b	106		
Bibliothecæ celeberrimæ			107		
Bibliothecæ unde augēda		b	107		
Bonifacius VIII. qualis papa			176		

I N D E X.

Burghardus Vuirzburgensis	169	Cyprianus philosophus	b 34
C			
Canonica scriptura quare dicta.		Cyrillus spoliavit. ecclesiam pie.	
pagina	11 b	pagina	117 b
Canonica scriptura impij refel-		Claues regni caelorum	q b 132
luntur	12	Clauium apostolicus usus	133
Canonicae horae quae & quales.		Claues dati apostolis omnibus.	
pagina	85 b	pagina	133 b
Canonici libri ueteris testamēti.		Clerici qui dicti	b 79
pagina	9 b	Concilia non dant auctoritatem	
Cantus ecclesiasticus	87	scripturae	17
Cantores Leuitici	71	Cōcilia reguntur spiritu sancto.	
Caput ecclesiae non Papa, sed		pagina	53
Christus	b 142	Concilia nō damnantur omnia.	
Caroli Magni. dona sancto Pe-		pagina	54
tro	171	Concilia Papae qualia	b 152
Carolina progenies regia	170	Coniugium episcoporum ē Sy-	
Carolina contra Merouignam.		nodo Nicena	b 94
pagina	169	Coniugium sanctum	b 93
Catholici & haeretici qui habent		Consecrandi modus	b 100
di	b 140	Constantiae merces eximia	b 1
Celibatus quam laudatus	94	Cōstantia martyrum nostrorum	
Cena domini quomodo olim		pagina	23 b
peracta	39	Cōstantini pōtificis acta	b 167
Cena Dominica pro mulier-		Cōstantini donatio q̄lis	b 172
bus	b 41	Cōstantinus de concordia & scri-	
Cena Dominica qualis	b 90	pturis	b 17
Censores uerbi dei, impij	5	Consuetudo quantum ualeat.	
Caesareae urbes duae	b 129	pagina	54 b
Caesariē. schola	103	Cultus dei externus	b 37
Christi omnia dicta, facta & scri-		D	
pta	b 45	Daniel Polyhistor	b 32
Christus saluifera omnia tradi-		Decalogus tabularum dei	b 6
dit	b 46	Decretales quare scriptae	177
Christum spoliari quid	115	Dei cultus internus & externus.	
Christus loquitur ecclesiae per mi-		pagina	35 b
nistros	b 118	Dei est uirrus saluifica	123
Christus caput ecclesiae	143	Diaconi qui	b 79
Chrysofomi libertas & constan-		Didymus Alexandrinus	b 103
tia	b 123	Dionysius Scholasticus	103
		Dionysius Ariopagita quis	88
		Discans	

I N D E X.

Discant hoīes p̄ homines	b 120	Episcoporum officia cōparant	98
Disputationes theologice	153	Episcopi qui eligendi	93
Diodorus de Mose	29	Episcoporum coniugium	Ibid.
Docendi ordo in ecclesia	b 119	Episcopi uxorati magni uiri	97
Docet interius spiritus Christi	120	Episcopi Oriens uxorati	97
Docet deus, minister admonet.		Episcopi Galliarum & Germania uxorati	b 97
pagina	121 b	Episcopi q̄modo ordinādi	b 98
Doctrina episcopi qualis	b 80	Episcopi electi à populo	99
Doctrina ecclesiastica qualis Ibi.		Episcoporum electio, quorum	b 99
Docendi sacra modus	82	Episcopatum collatio per absum	b 99
Doctoris eruditio et iudicium	83	Episcopatum collatio restituenda	100
E		Episcoporum insignia exponuntur	101
Ecclesia quæ & q̄tenus audiēda	b 2	Episcopi curent pauperes	113
Ecclesia discernit inter uerbum dei & hominis	b 16	Episcopis liberaliter prouidentur	112
Ecclesia quæ dicatur	Ibidem.	Episcopis absit luxur & fastus.	pagina 112 b
Ecclesia semp̄ impugnata	b 24	Episcopi Papistici	127
Ecclesia primitiua non diminuta	b 38	Episcopi Romani autoritas.	pagina 127 b
Ecclesia Christi sponsa est	b 51	Episcopus, pastor, idolum	b 137
Ecclesia non errat	b 52	Episcopus & presbyter idē	b 143
Ecclesia regnum dei	b 52	Episcopus summus nemo dicatur	144
Ecclesia cōmunio sanctorum	Ibi.	Episcopos subesse regibus	145
Ecclesia num̄ errat tot sæculis	55	Episcoporum nunc status corruptissimus	147
Ecclesiam q̄ non audierit	b 54	Episcoporum luxur	161
Ecclesiasticæ doctrinæ compendium	81	Episcoporum aulae iuxta Bernardum	b 161
Ecclesiae fundamentum & caput, & quid ecclesia	b 131	Episcoporum castitas	162
Ecclesiarum libertas	b 130	Contra Episcopos querela Bernardi	189
Ecclesiastica bona prodigunt	163	Episcopi ut respiciant	165
Ecclesiastici impediunt iustitiam laicorum	163	Episcoporum dignitas	b 189
Eloquentia uana, sed scripturæ, sacra	b 33	Episcopis quæ necessaria	b 189
Episcopus literis sit intentus	b 33		
Episcopus uigilet, uisitet	34		
Episcopus pauperes curet & studiosos	b 34		
Episcopi nostri sæculi audiāt	Ibi.		

I N D E X.

Episcoporum potentia in Occidente unde orta	173	Gladius immiffus à dño	22
Episcoporum humilitas	160	Gratis accepiftis gratis date, exponitur	108
Episcoporum auaritia	160	Gregorij magni modestia	166
Epifcopus uniuersalis antichrifti præcurfor	b 166	Gregorij VII. gefta	b 174
Erafmi laus digna	83	Gregorij III. gefta	168
Eruditio humana & fanctimonia	56	Gregorij IX. decretales	b 175
Erudiri in optimis	176	H	(b 178)
Euangelij authoritas è cælo	11	Heli facerdotis crassa negligẽtia	
Euangelium non ex hoibus	14	Hæreticis refiftendum & impijs	2
Euangelio uel ecclefiæ q̃modo credendum ex Auguftino	15	Hieronymus uiolentior de coniugio	96
Euangelij unde & quanta authoritas	b 15	Historici primi	b 27
Euangelio feruientes alantur	108	Horæ canonicæ clericorū	b 86
Euangelij fuma	135	Huldry. Zuingli ^o Tigurin ^o	157
F		I	
Fides que exigat à fideli	b 129	Imagines reprobatae à Græcis	168
Fidei pura confeflio	130	Imperatoris electio & confirmatio	174
Fidei uis uel effectus	b 130	Imperium à Papa datum Germanis	b 173
Fides unde	b 130	Impiorum fuffeffus	b 162
Fidei laus, & fidelis	131	Indulgentiæ nundinatores	b 157
Fides uerus dei cultus	b 36	Inobedientiæ caufa, fuperbia & auaritia	b 58
Fidei uictoria	132	Inobediẽtia scelus grauiffimum. pagina	61
Fidelis hominis officia	b 131	Interpretes feptuaginta	b 31
Flori comparatur hominis gloria	21	Ioannis 13. Papæ laudes	174
Frãtutores ecclefiæ Ro.	b 168	Ioannes Conftantinopolitanus uniuersalis epifcopus	166
Francifcus Petrarcha de Papatu. pagina	163	Ioannes 22. impius Papa	175
Frederychus Barbaroffa	175	Irene imperatrix, Carolo duenda	b 171
G		Iuliani mors	b 25
Gamaliel Pauli magifter	b 76	Iubileus primus	b 176
Gẽtilium authores ex noftris	30	Iudicium de libris facris, quale. pagina	b 8
Geniles relinquendi, noftra legenda	b 30	Iulianus fcholas claufit Chriftianis	105
Gerson de authoritate fcripturæ. pagina	16	Iuramenta	

I N D E X.

Auramenta qualia exiguntur, à	Mosis antiquitas	b 20
Papa	Moses quid, unde, & quos do-	
Iustini sententia de Mose	cuerit	6
Iustinus philosophus	Mosi credendum semper ab om-	
L	nibus	b 6
Laurentius Valla Romanus in	Mosis ministerium à deo appro-	
Papam	batum	7
Leo III. transfert impium	Mosis calumniatores uli	b 7
Leo Impator excōmunicat ⁹	Munera nō accipit Apostol ⁹	120
Lex dñi constanter tuenda	N	
Legislatores primi	Nazarei qui	b 75
Leges politicæ necessariae	Negligētia doctōrū castigāda	7
Leges politicæ ex deo	Neronis mors	b 24
Leuitici sacerdotij origo	Nicena Synodus à quibus cele-	
Leuitarum officia	brata	17
Leuiticæ scholæ	Nuptiæ secundę licitæ episcopis.	
Leuiticæ urbes	O	(95)
Librorū delect ⁹ habēdus	Obediētia rerū pstantissima	b 60
Literarum inuētores	Officia episcoporū cōparant	92
Ludouicus Vines	Olympiades cōceptæ	29
Ludouicus Pius qualis in Papā.	Opes episcoporū in ecclia	b 109
pagina	Opes ecclsiæ ad quid	110
Ludouicus 4. Bauarus Cēsar	Opum ecclesiasticarum dispensa-	
Luxus episcoporū nimius	tio ad quos	110
M	Opes ecclsię quomodo diuiden-	
Mandati dei iusta causā	dæ	b 112
Mandati dei transgressio	Opum ecclsiæ prædones quo-	
Marcellus Palingenius	modo puniti	114
Marsilius Patavinus	Opes quomodo tollendæ et em-	
Martinus Lutherus in ecclesiasti-	plis	114
cos	Operis diuisio in argumēta	b 2
Maxentij mors	Oracula dei qualia	b 7
Maximiani mors	Oratio ecclesiastica q̄lis sit	b 82
Maximini mors	Oratio ministri ad deum qualis	
Merouignorū domus	sit	b 85
Ministri auctoritas ex constantia	Ordines in ecclesia quot	79
docēdi	Origenes philosoph ⁹ sacer	b 34
pagina	Origenes Panteni successor	103
Monasteria deprauata	Origenis pietas in docēdo	104
	Ornatus sacramentorum	116

I N D E X

Ouo Fryfingenſi, de donatiōe	173	Petrus unde dictus	134
Otonis geſta & iuramēta	b 173	Petro commiſſa cura gregis	137
P		Petrus apoſtolus ditatus à Pipi-	
Patiētia neceſſaria pueritate	26	no	174
Pantænus philoſophus	34	Petri fides non deficiens tracta-	
Pantæni eruditio	b 102	tur	b 135
Papæ an epifcopi ſubiecti Occi-		Petrus Romanam ſedem dicitur	
dentis	138	fundafſe	167
Papæ monarchia damnata à con-		Petrus membrum eccleſiæ, non	
cilio Niceno	b 139	caput	167
Papa non Vicarius Chriſti	145	Petrus ſi & quomodo petra eccle-	
Papa antichriſtus potius	b 145	ſiæ	b 129
Papa non ſuccedit apoſtoliſ	Ibi.	Philoſophi primi	23
Papa abſoluit à ſacramēto	b 169	Philoſophi orbis & urbis	35
Papæ unde dominium Italiae.		Philoſophorum tēpora	b 29
pagina	169 b	Philoſophi ad Chriſtum con-	
Papa non eſt caput eccleſiæ	143	uerſi	b 33
Papa ſub Imperatore	b 167	Philoſophia quando & quomo-	
Papa Imperatoris ſucceſſor	b 177	do attingenda	b 155
Paphnutius confeſſor de coniu-		Phocas auctor pontificatus	pa-
gio	b 94	gina	167 b
Pafcalis Papæ Decrerum	173	Pietas quid	36
Pafſoralis officij capita	80	Pipinus ditat eccleſiam Roma-	
Patriarcha uniuerſalis nemo di-		nam	b 170
catur	b 166	Pipinus rex	b 168
Paulus contulit, non didicit ab		Pipini dolus procedit per Roma-	
apoſtoliſ	b 14	nos	169
Paulus Gamalieliſ diſcipuluſ.		Poetæ primi	b 27
pagina	76 b	Pontificale imperium unde na-	
Pauli labor manualiſ ad quid.		tum	b 165
pagina	109	Poſſeſſio rerum ſi liceat clericis.	
Pauperum cura penes epifcopoſ		pagina	103 b
& principeſ	113	Preſbyter & epifcopuſ idem.	pa-
Pauperes ſunt theſauruſ eccle-		gina	143 b
ſiæ	b 116	Propheta & prophetia quid	66
Pax mundi huiuſ	b 21	Prophetarum filij qui	b 75
Peccata non diſſimulanda à pijs.		Propheta non omneſ	Leuitæ.
pagina	23	pagina	76
Pœnitentiæ ſacramentuſ	83	Pſeudopropheta nouiſſimi ſæ-	
Perſequentiuſ cauſæ	b 23	culi	62

I N D E X.

Puerorum institutio	b 75	Sacerdotum uestigalia	b 73
Puerorum ætatis habenda ratio.		Sacerdotio Leuitico succedit E	
pagina	75 b	uangelicum	77
Pueris reuerentia debetur	155	Sacerdotium Leuiticum quomo	
Pueri fascinantur poetis	b 154	do abrogatum	b 77
R		Sacerdotum oratio & doctrina.	
Religio uera & falsa	36	pagina	78 b
Religio sumptuosa	b 70	Sacerdotes oēs Christiani	78
Religionem subleuare	89	Sacerdotum lux, uide Episcop ^o .	
Regnum coniunctum sacerdo-		pagina	162
no	b 71	Sacerdotum inscitia	b 162
Reges uncti à sacerdotibus	72	Sacerdotes honorandi	b 156
Reges abijciunt iuste sacerdotes.		Sacerdotes mali increpandi sac	
pagina	72 b	uius	158 (bo b 2
Regum amici & hostes	58	Sacra fideliter propugnanda uer	
Roma datur Papæ	172	Sacramenta pauca in ecclia	b 39
Roma caput ecclesiar ^{um} omnium		Sacramēta legis uet. & nouæ	38
dicitur	167	Sacramēta pauca	b 78
Roma emporium spiritualium.		Sacramentor ^{um} administratio	38
pagina	146	Sacramentis nimium & mini-	
Romanum consistorium Simo-		mum tribuere	b 38
niacum	163	De sacramētis uariæ opiniones.	
Romani episcopi unde autori-		pagina	b 89 (stro 90
tas	166	De sacramētis qd docetur à mini	
Romano episcopo opponunt se		Sacramenta celebrandi actio ri	
alij	b 141	tusq ^{ue}	b 92
Romanæ ecclesie ueteris laudes.		Sacramentorum ornatus	116
S	(140	Sacrificia sublata	78 (b 32
Sal terræ doctores qre dicti	123	Salomō philosophus sapientiss.	
Salus maior ^{um} nostrorum	b 55	Scholarum corruptio	b 149
Saulis inobediētia tractatur	b 56	Scholarum morbi	b 152
Sacerdos quid	b 66	Scholæ sub Papatu corruptæ	152
Sacerdotes ueteres et pphetæ	67	Scholæ pueror ^{um} corruptæ	b 153
Sacerdotes olim primogeniti	68	Scholis qmodo medēdum	b 154
Sacerdotij prisca puritas.	68	Scholæ Leuiticæ	b 74
Sacerdotum docere	b 69	Scholis præficiantur optimi	75
Sacerdotum uestes	b 69	Scholæ apostolorum tēporibus	
Sacerdotum orare	70	in ecclesia	102
Sacerdotes & Leuitæ ad taberna-		Schola Alexandrina	b 102
culum	b 70	Scholæ studium qle sit	b 102

I N D E X

Scholę eccliaſticę ꝑ pietate	b 103	Templorum ornatus	115
Schola Cęſarienfis	103	Theodoſij clementia	b 123
Scholas exornarunt ſancti principes	105	Theologia ſtudioꝝ ſcopus	b 155
Scholę in monaſteria degenerarunt	b 105	Theoſtectus poeta impius	b 7
Scholas clauſit Iulianus Chriſtianis	105	Theſaurus ecclieſię paupes ſunt.	pagina b 116
Scriptura quid ſit	3 (b 3)	Tyrannorum cõtra uerbum dei ſata	24
Scriptura an ſit poſterior ecclieſia.		Traditiões humanę quid ad pietatem	b 39 (42)
Scripta prima quę	b 3	Traditiões eccliaſticę quę dictę	
Scripturis ſimpliciter credendum ſacris	10	Traditiones humanę quę	b 42
Scripturę q̃nta authorit.	17.18.19	Traditiõibus hominum deus nõ colitur	43
Scriptura uincit tyrannos	b 27	Traditiones hoim mędacia	44
Scriptura ſacra oim antiquiſſima	b 26	Traditiones hominum à pietate abſtrahunt	44
Scripturę ſacra eloquẽtia	32. 33	Traditiõum hominum unde authoritas	b 44
Scriptura ſacra regibꝝ chara	b 30	Traditiões dei & hominum conferuntur	59
Scripturę ꝑfectio et utilitas	63	Traditiones hominum defenduntur	69
Scriptura colatur à regibus	64		V
Sententiarum magiſtri expoſi- res	153	Valeriani mors	25
Seueri mors	b 24	Venenum quando immiſſum ecclieſię	166
Synodi nulla poteſtas in uerbum dei	8	Verbi dei prima traditio	b 3
Synodi olim habitę, q̃les	b 149	Verbum dei nõ ſemp ſcriptum	4
Synodorum corruptio	b 149	Verbum dei adorandum non iudicandum	5
Synagogę Iudęorum inter gentes	76	Verbum dei inuictum	20
Spiritus uenturus qualia annunciat	b 53	Verbi miniſterium in ecclieſia	b 79
Spoliare Chriſtum & templa nõ idem	115	Verbi miniſterium à deo inſtitutum	b 118
Studium literarę ſacrarę	b 62	Verbum externum minime con- temnendum	b 119
Studioſi alendi & fouendi	117	Veritas tradita ſemp eadẽ	4
Studioſorę corruptores	b 117	Veritas nõ ab hõle pendet	b 4
T		Veritas ſemper triumphat	24
Tatianus philoſophus	34		
Templorum uſus	b 77		

DE SCRIPTV=

RAE SANCTAE AVTHORITA=

TE, CERTITVDINE, FIRMITATE, ET ABSOLV=

ta perfectione, ad Serenissimum Angliæ Re=

gem Heinrychum VIII. Heinrychi

Bullingeri Liber primus.

LEGIMVS in euangelio dominum nostrum Matth. 12.
Iesum Christum contra populum suum di-
serte pronunciaſſe, Viri Niniuitæ surgent
in iudicio cum generatione hac, & condem-
nabunt eam, quod ipsi reſipuerint ad prædicationem
Ionæ, & ecce plus quàm Ionas est in hoc loco. Et ite-
rum, Regina Austri ſurget in iudicio cum genera-
tione hac, & condemnabit eam, quod uenerit à fini-
bus terræ ad audiendam ſapientiam Solomonis, & ec-
ce plus quàm Solomon est in loco hoc. Et cum hæc
Saluatoris noſtri iudicia non ignoremus, pauciſſimi
tamen hæc fideli prudentia & collatione æſtimantes,
intelligimus, quàm graue iudicium ſæculo noſtro im-
mineat, quod cum innumera habeat ueterum exem-
pla, quibus excitari poterat ad deſenſionem legis dei
noſtri, neglectis tamen iſtis omnibus, uel in altiſſimo
computreſcimus otio, uel rebus ludicris nugacibus
rixiſis adeoq; curioſis totos nos impendimus. Inte-
rim uero oppugnatur, capitur & indigniſſime tracta-
tur uerbum Dei noſtri. Quis autem qui uel à limine
Græcorum Latinorū uel hieſtorias ſalutauit, neſciat,
quid Gentes prophanæ pro legibus deorum ſuorum
ſuæq; rei publicæ aut regni ſui & fecerint & paſſi ſint?

DE SCRIPTURA

In nostra hoc est sacra historia proposuit nobis diuina liberalitas non modo præclara huius rei exempla, sed & insignia in his præmia. Ioseph enim custodiens legem dei, & hanc contra fœdissimas cupiditates asserens, imperium totius Aegypti consequutus est. Iosue & Caleb illustres Israëlites heroes uerbum domini defendentes, primo contra perfidiam decem legatorum siue exploratorum, deinde contra tumultuantis & in lapides iam iam beluino furore proruentis uulgi quiritationem, maxima acceperunt præmia. Ille enim imperator factus est populi Israelitici; hic autem opimam accepit hæreditatem; uterque uero constantiæ typum & gloriam reportauit immortalē. Phinees quoque incolumem cupiens præceptorum dei auctoritatem & reuerentiā, ausus est aliquid pro lege dei contra contumacem contemptorem legis, & ideo accepit testamentum sacerdotij æterni. Helias item zelans zelum legis domini, anima & corpore sublatus est in cœlum, fama post se relicta clarissima & perpetua. Jam et Mattathias ille, cuius primus Machabæorum (non aspernandus liber) meminit, moriens ad filios suos, Nunc, inquit, ô filij æmulatores este legis, & date animas uestras pro testamento patrum, & ne timueritis à uerbis uiri peccatoris, quia gloria eius stercus et uermis est, hodie extollitur & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam & cogitatio eius periit. Vos ergo filij confortamini & uiriliter agite in lege, quia cum feceritis quæ uobis præcepta sunt in lege, à domino deo uestro eritis in ipsa gloriosi. Sed quotus quisque nostrum tam præclaris & sacrosanctis tum exemplis tum pollicitationibus commouetur? Sint licet uiri aliquot in hac sudantes harena, quot obsecro uideas
accusa

accurrere Theſeos? Subducunt ſe pleriq; qui in hoc tamen certamine haud parum poſſent, ſuo autem otio & ſuæ quieti conſulentes, ſibi, quod aiunt, & Muſis uiuunt. Pleriq; uero ſi uerum fateri uolumus dormimus, aut qui aliquid agere uidemur, utiliora & magis neceſſaria negligimus, curioſa perſequimur, ſemperq; aliquid meditantēs conantesq; nunquam nobis ſatisfacimus. Interea exoriuntur quotide grauiffimi uerbi dei hoſtes, qui multos ſubuertūt & qui in dies magis magisq; inualeſcunt, loquentes peruerſa & execrabilia quæq; euomentes in legem dei excelli. Hic enim eleuat ſcripturæ ſtudia ut nupera, dura, inculca & proſus illepada. Alius dolet ſcripturam haberi pro perfecta piæ uitæ regula, ex qua plene hauriri poſſit quicquid pertinet ad ueram & abſolutam pietatem. Contendit itaq; ad perfectionem ſcripturæ hominum facere traditiones, quas hic quoq; diuinæ legi æquat. Sunt alij qui plenis buccis docent aſſerūt et tuentur ſcripturam uerbi dei lucem, nullam omnino futuram, niſi acceſſiſſet authoritas eccleſiæ & patrum. Atq; hic mirum eſt quàm improbe ſimplicibus imponant uocabulo Eccleſiæ. Hiſ enim tenebrionibus eccleſiam repræſentant, imò & ipſa eccleſia ſunt, Papa, Cardinales, Patriarchæ, Epifcopi, Sacerdotes, Monachi, ſponſi Penelopes Alcinoiq;. Contra hos uel mutire eſt inconſutilem Chriſti tunicam ſcindere, Petri & Pauli principum apoſtolorum cathedram ſubuertere, eccleſiæ ſponſæ Chriſti authoritatem & gloriam polluere lacerare & pedibus calcare, deniq; & ſepultas hæreſes ex inferis excitare. Stat interim ſimplex plebecula proſus attonita & eccleſiā illam, egregium ſcilicet fucum, tantum non adorat. Quis

enim non magnificiat ecclesiam? Hoc modo & his artibus pergunt isti & prosperatur successus in manu ipsorum. Nam ex uastro illo commento suo quæ uolunt producunt statuunt & præcipiunt, tamen pro decretis illis suis ne apicem quidem habeant scripturæ. Nam satis est dixisse, Ecclesia hoc tenet, Ecclesia istud instituit & mandauit. Quis, inquiunt, audeat contradicere ecclesiæ, sponsæ Christi, matronæ cœli, domui dei, quæ est columna & basis ueritatis, à qua dominus non recedit usque ad cōsumationem sæculi? Quid quod magna cum seueritate illud domini ex euangelio tandem intonant, Quod si non audierit ecclesiam, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus? Hisce uero clamoribus, hac arte, hoc furore & prætextu, hac denique constantia improba, oppressis multis innocentibus, ipsi triumphant, & post cupiditates suas captiuam trahunt legem dei, subiugant reges, imperitant regnis, decreta & leges quas uolunt condunt, & orbem totum metu inani concutunt, breuiter, quod uolunt faciunt. Proinde uidebor mihi nunc pro gloria nominis dei & pro incolumitate ecclesiæ Christi, denique & pro assertionem legis domini pugnare, si nomine Christi inuocato, contra tyrannos illos & ecclesiæ Christi oppressores, unà cum alijs in hac palestra certantibus athleticis, in certamen eam, artesque illorum præstigiatorum detegens clypeumque dirumpens ostendam, Scripturam, quæ ipsum uerbum dei est, longe certiolem ac firmiorem esse quam quæ hominum confirmationem egeat, aut ipsius etiam ecclesiæ approbationem appetiuerit unquam. Deinde huius uim semper fuisse inuictam, cum misere perierint quotquot se illi opposuerunt, Rursus hanc ipsam esse omnium

uictissimam

uetustissimam & perfectissimam philosophiam, quæ semel pietatis omnem, omnem uitæ rationem perfecte contineat atq; tradat, ut nullis alijs ad ueram religionem faciendam legibus opus sit. Quod si in re uis que adeo ardua tibi non per omnia satisfecero, Lector studiose, memineris tamen quod hisce quantum potui prodesse uolui. In magnis autē & uoluisse sat est. Istitis fortè excitabo politiora & eruditiora ingenia, ut aliquando rem eandem tradant plenius & doctius. In terim nostris illis fruere, donec meliora proferat dominus.

Scripturam esse uerbum dei. Traditi autem à patribus & scripti à prophetis eandem omnino rationem esse, tantaq; ex se ipsa auctoritate pollere ut nulla confirmatione egeat humana. Cap. I.



M autem aduersarij cum quibus certa re institui in prima mox acie hanc contra uerbi dei auctoritatem ordinent quaestionem, Maior ne sit scripturarum uerbi dei, an ecclesiæ auctoritas? asserant autem ecclesiam esse priorem adeoq; & maiorem, utpote sine cuius assensu & approbatione istæ omnino nullæ fuissent, ab eadem auspicans docebo, Scripturam ipsum dei uerbum longe maius esse & certius, quam quod egeat uel approbatione ecclesiæ, uel confirmatione humana, utpote cum ab omnibus omnium sæculorum in ecclesia catholica membris, obedientia uerbo dei ac scripturis exhibenda, diserte sit requisita.

Est autem scriptura sancta sermo diuinus, sanctis *Scriptura* dei inspiratus, deq; uerbis siue pronunciatis atq; operibus dei *quid sit* editus atq; à sanctis dei ad institutionem mun-

DE SCRIPTURĀ

2. Pet. 1. di conscriptus. Nam D. Petrus, Omnis, inquit, propheta scriptura nō est priuatae interpretationis. Nō enim uoluntate hominis allata est olim prophetia, sed à spiritu sancto impulsis, loquuti sunt sancti dei homines. Et D. Paulus scripturam sacram appellat inspirationē dei. Alibi uocatur os & uerbum domini. Circa pronuntiata uero & opera dei uersari uerbum dei qui negat, nescit quid sit scriptura sacra. De fine autē scripturæ potissimo dixit etiam Paulus, Quæ autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et hactenus quidem nihil alienum à ueritate dixisse uidebimur uel aduersarijs. In uerbo tantum scripto & adito siue non scripto philosophabuntur opinor, cauillabunturq; ueritatem traditam & scriptam miscuisse. Aiunt enim Ecclesiam hoc nomine scriptura priorē esse ac meliorem quod fuerit in mūdo ecclesia annis 2449. scriptura uero nulla, cum constet Mosen primum esse inter scriptores canonicos. Atqui nemo dicit quenquam ante Mosen qui modo ad nostram maiorumq; nostrorum memoriam peruenerit scriptorē canonicum extare. Quæ enim de scriptore & libro Enoch proferuntur, semper habita fuere inter dubia & apocrypha. Quanquam uero nullus Mosen scriptor præcesserit, inde tamen non sequitur nullum in mundo ad Mosi usq; tempora fuisse uerbum domini, aut quod ecclesia uerbo prior sit & maior, quod colligunt aduersarij. Nam quod nobis est scriptura, id prius erat uia domini uox, primum quidem proauis & attauis nostris ab ipso domino per angelorum ministerium annunciata, deinde uero posteris commendatione prædicationeq; patrum ceu scripto quodam & ueluti per manus tradita, per quam sancta patrum ecclesia

De uerbo
 dei tradi-
 to et scri-
 pto.

ecclesia proculdubio congregata est. Vnde necesse est uerbū dei ecclesia multo esse antiquius & maius. Quod isti nos urgent, Sed tum non erat scriptum, Nihil refert. Nam aliquot annis prædicabatur euangelium ab apostolis priusquā scriberetur, & tamen non sequitur ecclesiam euangelio tot annis maiorem esse natu quot anni intercesserunt inter scriptum & prædicatum. Scriptum enim & prædicatum euangelium idem non diuersum est. Nam qui scripserunt, aliud euangelium non scripserunt, quā quod prædicarunt, quod ipsi uiderūt & à spiritu dei ueraci constantiq̃ receperunt. Proinde habere euangelium scriptum, & habere prædicationem euangelij, prædicatam quidem sed non scriptam, in idem recidunt, nisi quod tradendi modus paulò est diuersior. Illud enim apicibus fit & literis, hoc autem uoce & sono, manente nihilominus utrobique eadem euangelij natura. Sed nos hic non agimus de apicibus & literis, de sono & uoce tantum, sed magis de ipsa re quæ per uoces & literas significatur, quæ cum utrobique par sit, non uideo quid hac uerborū pugna efficiant aduersarij. Si uero nondum uident eandem utrobique rationem esse, ostendā planius ex scripto dei uerbo, quale olim fuerit traditum, & quod primis nostris parentibus ac sæculo primo illa ipsa uerbi dei ueritas sit tradita, quæ nobis postea iubente deo relata est in literas. Reducamus ergo Summa ueritatis tradite & dem omnino ueritatem uerbi dei & regulam ueræ religionis ad capitula scripturæ, & inueniemus per uniuersam scripturam aliud non tradi, nisi unum uerum increatum & æternum esse deum uniuersorum conditorem, moderatorem ac dominum, qui hominem ab initio bonum creauit. Hic autem inapte culpa prolapsus in uitium non

potuit nisi per semen mulieris Iesum Christum uerū dei & hominis filium restitui. Solus enim hic morte sua mortem exarmauit fidelibus, & uita sua uitā nobis reduxit, sed & lumen prætulit uitæ, per quod illustrati mortales deum diligunt ut patrem, reuerentur ut iudicem iustum, colunt fide, spe, charitate & innocentia uitæ ut dominum sanctissimum. Ab hoc expectant gratuitam peccatorum omnium condonationem, corporum in fine mundi, hoc est in extremo iudicio restitutionem, & sempiternam futuri sæculi uitam. Hæc est scripta à prophetis & ab apostolis fidei regula, ueritatis diuinæ scopus & compediū. Quocumque patres illi nostri nō modo non caruerint, Adam uidelicet, Enoch, Noe & reliqui qui ante Abrahamū & post Abrahamum ad Mosi usq; tempora fuerunt, imò & per omnia paria & ne plura quidem aut pauciora habuerint, ut palam probat primus liber Moyses quem Genesim nuncupant, consequens est eandem omnino rationem esse ueritatis traditæ & scriptæ, & quod uerbum dei in mūdo semper fuerit, nec fuerit modo, sed & à patribus pro unica uitæ regula sit agnitum, & nullatenus confessu censorio iudicatum. Id quod amplius ita ostendimus, Cum enim patribus nostris absoluta hæc ueritas primo à deo per angelos, mox ab eodem per patres traderetur, an tunc expectabatur illorum iudiciū & appropatio, an fides & obedientia? Fateor sanè fidem quandam habere approbationem eius rei quam credimus. Nisi enim ea nobis probaretur, non crederemus. At hic ipsa res quam credimus ex se ipsa habet autoritatem suapte uirtute & præstantia insinuantem se animis nostris, quam etiam prompte recipiunt receptaq; sese submitta

submitunt per omnia, non aliunde nedum ex seipsis aut ullo homine expectantes confirmationem. Illud uero genus approbationis quo de loquuntur aduersarij, censuram sibi uendicat in eam rem qua per se erat credenda, atque ideo praefert sese rei credendae, adeo ut plane existimet hanc instabilem prorsusque nullam futuram, nisi suus accessisset calculus. Nam ita loquuntur isti, Si scriptura & euangelium non esset approbatum & receptum ab ecclesia, nullum omnino esset. Quae quanta sit impietas, adde & superbia Luciferianica, nemo est, opinor, qui nesciat. Equidem Adam protoplastes humani generis non obedijt uerbo & ma'dato domini, imo iudex illius esse uoluit, dum sathana magistro illud detorqueret pro sua animi libidine. Verum hac una re toti mundo malum internicinum dedit. En habes quid sit uerbum dei non simpliciter recipere, sed censuram sibi in hoc uendicare. Post lapsum uero & beneficam dei de restitutione generis humani promissionem, est proximo malo circumspectior redditus, uerbum dei iam non iudicat amplius, non torquet aut retorquet, sed simplici fide recipit ut indubitata fidei & uitae suae regulam. Hanc & posteris diligenter custodiendam & adorandam non autem iudicandam tradidit. Ex quibus optimi uelut Abel, Seth, Enoch, Abraham, & qui ex hoc ad Moysen usque tempora nati sunt, traditam custodierunt. Unde iam liquido claret uerbum domini mox ab ipso mundi initio antecellere, receptum a patribus & non iudicatum esse. Nam sanctissima patriarcharum ecclesia omnia uitae & fidei suae, ad hoc solum instituit, & huic se simpliciter submitit absque ulla dijudicatione & uirgula censoria. Hoc si quis negare pergat, appellamus

Genesim. Quod si absq; patrum approbatione nulla est ueritas uerbi dei, certe in prima illa patrum ecclesia aliquot etiam sæculis nullum fuit uerbū dei. Constat enim quod iam dixi, simplici fide receptum esse et obseruatum, nulla autem confirmatione approbatū. Cæterum ubi nulla est ueritas uerbi dei, ibi nulla etiā salus certa. Quid autem hinc cōsequeretur, quā priam illam sanctorum patriarcharum ecclesiam perijisse: Id cum planè falsissimum sit, falsum id quoq; necesse est, ex quo illud collectum est: rursus uerissimū esse necesse est quod huius disputationis nostræ caput est, Verbum domini ex se satis habere authoritatis, nec illi opus esse ad sui perfectionē ulla hominum confirmatione.

Primum scriptorem sanctæ scripturæ Mosen fuisse, de uocatione eius, diuinæq; legis & propheticæ scripturæ indubitata fide. Cap. II.



Aec autem de prisco sæculo & ueritate uerbi dei tradita delibasse sufficiat: descēdimus nunc ad scriptores sacros, hoc est ad synceram uerbi dei ueritatem scripturis testatam, ut etiam hanc appareat satis ex seipsa authoritatis habere, imò & ecclesiam dei ab illā pendere ceu dei & salutis suæ optima & perfectissima regula ac uoluntate. Videtur autem ista paulò altius esse repetenda. Moses ergo scriptorum omnium & tempore et maximis dei donis facile primus, ad montē Sinai audit à domino, Sic dices domui Iacob & annuncabis filijs Israel, Vos uidi distis quæ feci Aegyptijs & portauit uos sup alas aquilarum atq; duxi uos ad me: nūc igitur si audiendo audieritis

Exod. 19.

dieritis uocem meā, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium præ omnibus Gentibus. Et uos ^{1. Pet. 2.} eritis mihi in regnum, sacerdotium atq; in gētem sanctam. Et hæc quidem illa uerba sunt quæ loqueris ad filios Israel. Audis quid pponatur populo, quid ab eo petatur, nō utiq; approbatio uerbi dei, ceu rei dubiæ & nondū satis cōfirmatæ, sed obedientia mera. Hanc uero deberi sibi pulchris rationibus approbat dominus. Merito, inquit, meo paretis imperio & meis præceptis obeditis. Sum enim dominus uester. Nam erui uos de Aegyptiorum tyrannide, his quidē attritis & ad nihilum redactis, uobis autem seruatīs ad felicitatē maiorem. Deinde spectanda erit & utilitas illa grandis, quæ inde ad uos redibit. Licet enim omnis terra meo subiecta sit imperio, uos tamen, modo meis legibus parueritis, futuri estis quidam dei delectus singularis peculiarisq; populus. Ad hæc statim commotus populus stipulatur obedientiam, nec sine magna gratulatione ad Mosen dicunt, Quæ unquam fuit caro quæ audiuit uocem dei uiuentis loquentis de medio ignis, ut nos & mansit uiua? Accede tu & audi omnia quæ loquuturus est dominus noster ad te, & nos audiemus atq; faciemus. Nihil ergo disputāt an hæc uox dei sit, an ei fides adhibenda, nullum cœtum colligūt in quo decernant illam dei uocem esse authenticam; simpliciter autem credunt & cum gaudio exultantes omnino se arbitrantur felices qui audiant deū loquentem & cui obedire debeant. Iam & Mosen sibi asciscunt interpretem, etiam huic omnem pollicentes obedientiam. Hanc autem ipse dominus commēdans ad Mosen, Audiui, inquit, uocem uerborum populū huius, quæ loquuti sunt ad te; bene egerunt in omni

bus quæ loquuti sunt. Vt inam sit tale cor eorum in ipsis ut timeant me atq; custodiant omnia mandata mea cunctis diebus, ut bene sit eis & filiis eorum in perpetuum. Quibus uerbis nescio si quid aliud pro causa nostra potuit uiuidius pronuciari. Quid quod paulò ante hæc ad eundem Mosen idem ille dominus ait: Ecce ego ueniã ad te in dēsa nube, ut audiat me populus tecū loquentē et **CRE DAT TIBI IN PERPETVVM.** Quid ergo post hæc tam plana opus erit pluribus? Audis enim authoritatem scriptorum et scripturæ uerbi domini, non ab hominibus, sed ab ipso pendere domino. Ego, inquit, ueniã ad te & conciliabo tibi authoritatem apud populum, ut & híc & posterí eius tibi æternum credant. Huc iam pertinēt etiam alia miracula, quibus deus ministro suo Mosi fidem facere uoluit. Ea autem quanto plura & maiora sunt, eò plus authoritatis accedit uerbo dei per hunc tradito.

*Credendum
est Mosi.
Ioan. 5.*

Decalogus.

Deut. 5.

Deut. 31.

Post hæc lata est lex tabularis ipsius quidē ore dei pronuciata, & digito dei proprio scripta exarataq; in tabulas lapideas, Mosi autem ministerio ad nos delata. Sic enim legimus in Deuteronomio, Verba ista loquutus est dominus ad cunctam congregationem uestrã in monte de medio nubis & caliginis uoce magna, nihilq; adiecit scribens ea in duabus tabulis lapideis tradēsq; ea mihi. Ad has uero tabulas adiecit dominus leges multas & uarias quæ tabulares exponerent, & hæc quidem digestæ relataq; sunt à Mosē in libros quos demum contraxit in compendium, Leuitisq; tradidit, dicens, Accipite librum legis huius & reponite eum in latere arcæ fœderis dei uestri, ut sit ibi contra te in testimonium, Ego enim noui rebellionem

nem tuam & ceruicem tuam duram, Ecce enim cum adhuc hodie essem uobiscum uiuens, fuistis rebelles domino, quanto magis post mortem meam? Proinde lex dei quæ uoluntatis dei testimonium est, nullius subiecta est iudicio, ipsa præiudicat omnibus, & ex se ipsa satis habet authoritatis. Prænouit spiritus dei impios aliquot exorituros, qui prophana rebellione contorti, auderent dicere, Quis fuit Moses? Quis constituit hunc legislatorem? Cur Mose huic credam? Tales inquam contra se habent testimonium sacrosanctæ legis, nõ à Mose, sed à deo lata, & per ministerium Mosis tantum mundo exhibitæ. Potuit autem tota Israelitarum ecclesia testari sic omnia in literas esse relata, quemadmodum præceperat dominus. Audierant enim uocem domini. Sed & Mosei authoritatem in conspectu totius Israelis dederat dominus. Iam ne quis illa ad leges tantum & ad Deuteronomium detorqueat, audiamus quid de uniuerso Mosis ministerio pronunciet os domini. Nume. 12. cap. legimus, Loquuta est autem Maria & Aaron contra Mosen, & dixerunt: Num per Mosen tantum loquutus est dominus, an non etiam per nos loquutus est? Verum dominus, Si fuerit uobiscum, inquit, propheta domini, per uisionem & somnium illi apparebo & loquar cum eo. Non ita ago cum seruo meo Mose, qui in uniuersa domo mea fidelis est: ore ad os loquar cum eo, nec in enigmate & similitudine uidet dominum. Quare ergo non timuistis loqui contra seruum meum Mosen? Addit scriptura, Et incanduit nasus domini contra eos, & abiit, & nubes recessit de tabernaculo, & ecce Maria leprosa facta est sicut nix. Quid uero poterat illis dici plenus, grauius & euidentius? Mose ut delectissimo in-

Testimonium apertum de omni Mosis ministerio

strumento suo usus est dominus, Idem per Mosen orbi suam uoluntatem reuelari uoluit, Mose fidem adhibere ipse deus iubet, De rebellibus ut grauissima olim supplicia sumpsit, ita ne hodie quidem parceret scripturarū calumniatoribus, Decantatissima sunt quæ referunt historiæ de Theopompo historico & Theocteto poeta tragico, quas uidelicet pœnas dederint ultori deo, quod impurius de Mose sensissent, & eius scripta contrectassent prophanus, Idcirco diuinā auctoritatem habent omnia Mosis scripta, De his præcipue, deinde & de alijs oraculis dei recte & uerissime cecinit propheta Dauid, Increpasti superbos, & maledicti sunt quod errant à mandatis tuis, Amoue à me opprobrium & cōtemptum, quoniam testimonia tua custodiui, Da mihi intellectum & conseruabo legem tuam atq; custodiam eam in toto corde meo, Inclina cor meum in testimonia tua, & non in lucrum, Averte oculos meos ne uideant uanitatem, in uia tua uiuifica me, In æternum uerbum tuum permanet in caelis, in generatione & generationem ueritas tua, Nisi lex tua fuisset oblectatio mea, periissem in afflictione mea, Caput sermonis tui ueritas, & in æternū manet omne iudicium iustitiæ tuæ, Conculcasti omnes aberrantes à statutis tuis, eò quod mendacium & fallacia in eis sit, Mendacium odio habui & execratus sum, legem autem tuam dilexi, Quàm dulcia facta sunt faucibus meæ eloquia tua, dulciora melle ori meo, A mandatis tuis intelligentiam cōsequor, ideo odi omnē uiam peruersam, Et Isaias post Dauidem relegat nos ad legem & ad testimonium, Si, inquit, non dixerint iuxta uerbum hoc, nulla erit ipsis lux, sed impingent & esturient, Et propheta quidem posteriores omnes à nullis uocati

Psal. 119.

Isaias.

uocati hominibus, neq; à synagoga approbati, fidem
 tamen in ecclesia & apud pios meruerunt, uel illo no-
 mine potissimum quod nihil omnino legi aduersum
 docerēt, legi nihil adderent, nihil adimerēt, nihil in ea
 inuerterent, sed ipsam explicarent & illustrarēt poti-
 us. Deinde quod signis quibusdam & argumentis ef-
 ficacissimis deus ipse comprobaret illos à se & electos
 esse & missos ad eruditionem ecclesiæ suæ. Nec legis
 in uniuerso testamento ueteri ullam unquam colle-
 ctam esse synodum, in qua ageretur de receptione ap-
 probatione & confirmatione diuinæ legis & sermo-
 num prophetarum. Legis autem unum Ieremiam se- *Ierem. 9.*
 se toti opposuisse synagogæ, adeoq; cōtra ipsos sacer-
 dotes dixisse, Quomodo dicitis, Nos sapiētes sumus
 & lex domini apud nos est: ecce mendaces estis & sti-
 lus scribarum est mendacium. Confusi sunt sapiētes,
 capti & fracti sunt. **ECCE VERBUM DOMI-
 NI RESPVERVNT, ET SAPIENTIA
 QVAE EST IN EIS:** Ita etiā Isaias contra to- *Isaiæ 30.*
 tam Israelitarū ecclesiam clamat, & ait, Populus iste
 rebellis est & filij mendaces; filij, inquam, qui renu-
 unt audire legē domini. Regitur itaq; ecclesia secun-
 dum uerbum dei. Colligitur hoc eadem illa ecclesia et
 informatur, ut uel hinc planum sit scripturæ fidem et
 indubitatum esse & omnem eius auctoritatem ex se-
 ipsa, hoc est dei ueritate, cuius oraculū est, pendere,
 non ab hominū confirmatione: qui tametsi nunquā
 credant & ueritatē canonicam incessanter persequan-
 tur, manet tamen deus uerax & uerbum eius perpe-
 tuo firmum.

Iudicium fuisse apud priscos de libris testamenti ueteris, canonicis & apocryphis, & quale illud fuerit.
Cap. III.



Vod autem aduersarij obijciunt, Vera hæc esse, interim uero iudicium fuisse apud priscos de libris testamenti ueteris, canonicis & parum canonicis, cum certum sit D. Hieronymum pronunciasse inter apocrypha omnes omnino libros esse numerandos, quotquot extra xxij. qui apud Hebræos habentur in canone, recensentur. Fateor quidem fuisse de libris canonicis iudicium apud ueteres, uerum addimus illud iudicium non ex seipso natum sed ex ipsis formatum esse scripturis. Obseruabant enim qui libri maxime accederent ad priscam simplicitatem & puritatem legis, qui minus. Imò si uerum fateri uoluerimus, dicemus omnino iudicium ueterum aliud non fuisse, quam fidem, qua prisci sæculi hominibus persuasissimum erat uigintiduos libros à spiritu sancto inspiratos esse, & plene omnia continere, quæ germanæ sunt pietatis & historiæ ueræ ac necessariae. Nolo hic mihi credatur, audiatur priscus ille historicus Iosephus, qui primo contra Appionem libro, Neque innumera, inquit, apud nos habentur uolumina inter se inuicem discordantia, sed duo tantum & uiginti libri sunt, qui omnium temporum seriem continent.

QUIET IVSTE CREDUNTUR DIVINITVS INSPIRATI. Ex quibus quinque sunt Mosi continentes leges uitæ & successionis humanæ profapiâ, usque ad ipsius Mosi terminum pertendentem, qui paulo minus ad tria millia annorum continentiam habent. A morte uero Mosi usque ad Artaxerxen, qui post Xerxen regnauit apud Persas, quæ gesta sunt propheta,

Libri canonici ueteris testamenti xxij.

prophetae, quiq; per ea tempora uixere, tredecim uo-
 lumibus conscripserunt, Reliqui uero quatuor li-
 bri hymnos in deum, & uitae instituta ac monita mor-
 talibus tradunt. Ab Artaxerxe autem usq; ad nostru
 tempus scripta sunt omnia, fide tamen non eadē qua
 primis habetur digna ducuntur, ideo quod non exti-
 terit prophetaru iugis & explorata successio. Rebus
 igitur his constat quam nos uenerabiliter utamur scri-
 pturis nostris. Nam cū tot saecula intercesserint, neq;
 addere quis unquā, neq; auferre, neq; permutare quod
 ausus est, **SED OMNIBVS GENTIS NO-**
STRAE HOMINIBVS INSITA HAEC
QVODAMODO ATQVE INGENI-
TA FIDES EST, CRĒDERE HAEC
DEI ESSE CONSVLTA, & his iugiter in-
 harere, & pro ipsis si ita res poposcerit libenter & ani-
 mam ponere. Haec omnia Iosephi sunt, quae de uerbo
 ad uerbum ex nostris historiographis repetijt Euse-
 biius historiae ecclesiasticae lib. 3. Ex ipsis autem claret
 iudicium praescae ecclesiae de libris canonicis aliud nō
 fuisse quam fidem ipsam. Quod si haec fortassis alicui
 parum probantur uidenturq; suspecta esse quae ho-
 mo Iudaeus de his prodidit, audiat inter Christianissi-
 mos antistites nominis maximi D. Aurel. Augusti-
 num, lib. Confess. 13. cap. 23. ita scribentem, Spirituales 1. Cor. 2.
 ergo qui praesunt, siue qui obtemperant, spiritualiter
 iudicant, non de cognitionibus spiritualibus, quae lu-
 cent in firmamento. Non enim oportet de tam subli-
 mi authoritate iudicare, neq; **DE IPSO LIBRO**
TVO, etiam si quid ibi non lucet, **QVONIAM**
SUBMITTIMVS EI NOSTRVM IN-
TELLECTVM, certumq; habemus quod clau-

Idc, 2.


sum est etiam oculis nostris recte ueraciterque dictum esse. Sic enim homo licet iam spiritalis & renouatus in agnitionem dei secundum imaginem eius qui creauit eum, factor tamen legis debet esse non iudex. Et iterum lib. 6. cap. 4. & 5. & planissime & fusissime hoc negotium tractans & de sese loquens, inquit, Gaudebam quod uetera scripta, legis & prophetarum iam non illo oculo mihi legenda proponerentur, quo antea uidebantur absurda, cum arguebam tanquam ita sentientes sanctos tuos, ueruntamen non ita sentiebant; et tanquam regulam diligentissime commendaret, saepe in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium laetus audiebam, Litera occidit, spiritus autem uiuificat, cum ea quae ad literam peruersitatem docere uidebantur remoto mystico uelamento spiritaliter aperiret, non dicens quod me offenderet, quamuis ea diceret, quae utrum uera essent adhuc ignorarem. Tenebam enim cor meum ab omni assensione, timens precipitium & suspensio magis necabar. Volebam enim eorum quae non uiderem ita me certum fieri, ut certus essem, quod septem & tria decem sint. Neque enim tam insanus eram, ut ne hoc quidem putarem posse comprehendere, sed sicut hoc ita caetera cupiebam, siue corporalia quae coram sensibus meis non adessent, siue spiritalia de quibus cogitare nisi corporaliter nesciebam. Et sanari credendo poteram, ut purgatio mentis meae dirigeretur aliquo modo in ueritatem tuam semper manentem, & ex nullo deficientem. Sed sicut euenire assolet ut malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere, ita erat ualitudo animae meae, quae utique NISI CREDENDO SANARI NON POTERAT. Et ne falsa crederet,

ret, curari recusabat resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confecisti & sparsisti super morbos orbis terrarum & tantam illis auctoritatem tribuisti. Ex hoc tamen quoque iam præponens doctrinam catholicam, modestius ibi, minimeque fallaciter sentiebam iuberi ut crederetur quod non demonstrabatur, siue esset quid, sed cui forte non esset, siue nec quid esset, & illic temeraria pollicitatione scientiæ credulitatem irrideri, & postea tam multa fabulosissima & absurdissima quia demonstrari non poterant, credenda imperari. Deinde paulatim tu domine manu mitissima & misericordissima pertractans & componens cor meum, consideranti quam innumerabilia crederem, quæ non uiderem, neque cum gererentur affuissem: sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus, quæ non uideram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus alijs atque alijs, quæ nisi crederentur omnino, in hac uita nihil ageremus, postremo quam inconcusse fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi audiendo credidissem, persuasisti mihi non qui crederent libris tuis, quos tanta in *Credeudis* omnibus ferè gentibus auctoritate fundasti, sed qui *scripturis,* non crederent esse culpandos, nec audiendos esse si *non inter-* qui forte dicerent, Vnde scis illos libros unius ueri *rogandum;* & ueracissimi dei spiritu esse humano generi ministratos: *Vnde scis* **IDIPSVM ENIM MAXIME CRE-** *illis libris* **DENDVM ERAT.** Quoniam nulla pugnacitas calumniosarum quæstionum per tam multa, quæ *credendum* legeram, inter se confligentium philosophorum, ex- *esse* torquere mihi potuit ut aliquando non crederem te esse quicquid esses, quod ego nescirè, aut administra-

tionem rerum humanarum ad te minime pertineret; sed id credebam aliquando robustius, aliquando exilius, semper tamen credidi & esse te & curam nostrī gerere, etiam si ignorabam uel quid sentiendum esset de tua substantiā, uel quā uia duceret aut reduceret ad te. Ideoq; cum essemus infirmi ad inueniendam aliquā ratione ueritatē, & ob hoc opus esset nobis auctoritate sanctarum literarum, iam credere coeperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi scripturæ per omnes iam terras auctoritatem, NISI ET PER IPSAM TIBI CREDI, ET PER IPSAM TE QVAERI VOLVISSES. Iam enim absurditatem quæ me in illis literis solebat offendere, cū multa ex eis probabiliter exposita audissem, ad sacramentorum altitudinem referebam, eoq; mihi illa uenerabilior & sacrosancta fide dignior apparerebat auctoritas, quo & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore seruaret, uerbis apertissimis & humillimo genere loquendi se cunctis præbens, & exercens intentionem eorum, qui non sunt leues corde, ut exciperet omnes populari sinu, & per angusta foramina paucos ad te traiceret, multo tamen plures quàm si nec tanto apice auctoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret. Cogitabam hæc & aderas mihi, &c. Hæc omnia Augustini sunt, quæ tametsi fufius sese diffundant, attamen ipsa nō abs re ad longum recensui. Sunt enim in ipsis quædam explicata, quæ maxime ad institutum nostrū pertinent, præcipue autem famosa illa impiorum magis quàm piorum quæstio, qua nobis insultantes interrogant, Si quis neget canonicas scripturas, unde uos illi probabitis

bitis ipsas à spiritu dei sancto inspiratas, & à deo hominum generi esse traditas: Neque enim ad hanc simpliciter tantum respondet scripturæ ante omnia esse credendum, sed exponit simul quomodo aliquando in hac eadem quæstione sese torserit, & quibus argumentis permotus tandem scripturæ crediderit. Ista uero omnia tam fuse proculdubio exposuit bonus pater, ut etiam alij simili laborantes morbo & exemplum et argumenta habeant, quibus ad credendum scripturæ permoueantur. Quod attinet ad nostrum institutum præfens, planum opinor iam esse omnibus ecclesiam sanctorum communionem uerbo dei credere, neque aliud de scripturis iudicium habere quam fidem.

Testimonia Christi & Apostolorum de singulari auctoritate scripturarum, & quod Euangelium suam auctoritatē non ex hominibus, sed e cælo habeat. Cap. IIII.

 Actenus uero exposui prisce ecclesie fidem de uerbo dei ac scripturis sanctis & huius auctoritate sacrosancta, descendimus ad testamentum nouum & nouum dei populum, in quo illis proculdubio haud dissimilia inueniemus. Cum enim Christus Iesus dei filius noui populi, imò totius mundi lux, pontifex & salus ueniret in mundum, sola uoce patris cœlitus delata, commendatus & inauguratus, nulla hominis approbatione expectata, prodijt, discipulos delegit, errores impugnavit, ueritatemque populis prædicauit. Quid quod idem apud Ioannem in cap. 5. Si ego, inquit, testimonium perhiberem de meipso, testimonium meum non esset uerum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio uerum esse testimonium de me, quod testatur de me. Vos mis-

Matth. 3.
v. 17.

stis ad Ioannem, & is testimonium reddidit ueritati.
 Ego autem non accipio testimonium ab homine: sed
 hæc dico, ut uos salui sitis. Ille erat lucerna ardens &
 lucens, uos autē uoluistis ad tempus exultare in eius
 luce. At ego testimonium habeo maius testimonio Io-
 annis, Opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam
 ea: ipsa, inquam, opera quæ ego facio testantur de me,
 quod pater miserit me, & qui misit me pater, ipse testa-
 tus est de me. Quibus uerbis nihil poterat ad rem præ-
 sentem dici quadrantius, clarius & uiuidum magis.
 Semel enim reijcit omnium hominum approbationē,
 contentus diuino testimonio, cui ut infallibili & cer-
 tissimo omnia tribuit. Non quod ideo testimonia Io-
 annis & sanctorum prophetarum, per quorum ora lo-
 quitur nobis dominus, à nobis sint aspernanda. Tale
 enim quid dicit, Nihil mihi contulerit uel uestra exi-
 stimatio uel Ioannis testimoniū. Sum enim & ero ue-
 rus ueri dei filius, licet uos nunquam credatis, aut Io-
 annes nullum mihi dedisset testimonium. Hæc itaq;
 in hunc finem dico, ut qualibuscunq; commoti ratio-
 nibus, credatis & saluemini. Aliàs mihi nihil neq; au-
 thoritatis neq; utilitatis accedit ex homine & huma-
 no testimonio. Idem uerus & æternus deus sum per-
 petuo. Vobis autem prodesse & uobis diuina quæq;
 munera cupio conferre, adeoq; & in uos cumulatim
 effundere. Nam si cessent maxime testimonia homi-
 num, satis mihi sunt testimonia patris. Pari itaq; ratio-
 ne collectione q; iam de omni scriptura canonica dici-
 mus, ipsam ex se satis testimoniū & autoritatis habe-
 re, cum oraculū dei sit, etiāsi omnes homines adeoq;
 ipsa ecclesia cesset testificari. Neq; enim frustra cano-
 nica, id est regularis dicitur, utpote quæ toti mundo
 certissima

CANONI
 CA scri-
 ptura.

certissima à deo regula est data, ad quam iudicia dicta & facta sua omnia componant omnes. Nemo autem huic regulæ diuinæ irrefragabili & primariæ, aliam fecit eminentiorē regulam, qua illa probetur. Id quod tamen impie faciunt quicunq; ecclesiæ iudicium præponunt uerbo domini. Redimus iam ad euangelica testimonia. Si qua oriretur concertatio inter dominū & aduersarios suos, scripturas ille non collegia & censuram hominum appellabat. Discipulis quoq; in omnibus rebus serijs proponit scripturam. Rogatus de causis grauioribus, plerūq; ex scripturis respondet; breuiter, ubiq; ad scripturas relegat. A sathana certe tentatus non semel opponit scripturā, imò & hac ceu gladio Delphico, hostem reprimit infensissimum. Obiectantibus Phariseis, Ecce discipuli tui faciunt quæ non licet facere in sabbato, Non legistis, inquit, quid fecerit Dauid, cum ipse esuriret & qui cum eo erant? Aut nō legistis in lege quod sacerdotes in templo sabbatum prophanant & crimine uacant? Interrogantibus illis ipsis phariseis, Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum, respondit, Quare uos transgredimini præceptum dei? Alibi tentant eum, et obijciunt, Licet ne hoī diuertere ab uxore sua quamlibet ob causam? ex scripturis respondit & dixit, An non legistis, quod is qui fecit ab initio, masculum & foeminam fecit eos? & dixit, Propterea deferet homo patrem & matrem, &c. Alius quidam interrogauit, & ait, Magister quid faciendo uitam æternam possidebo? respondit, In lege quid scriptum est, & quomodo legis? Ibidem Sadduceos in negotio resurrectionis turpiter aberrantes, redarguit grauissime, omnēq; erroris occasionem rejicit in ignorantiam scripturæ,

Matth. 4.

Matth. 22.

Matth. 23.

Matth. 19.

Matth. 22.

dicens, Erratis nescientes scripturas, neq; uerbū dei.
 LUC. 24. Rursus cum à resurrectione apparuisset discipulis &
 iam maxima grauitate cum eis ageret de mysterio totius
 totiq; negotio redemptionis, Hæc sunt uerba, inquit,
 quæ loquutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscū,
 quod necesse fuisset impleri omnia quæ scripta sunt in
 lege Mosi & prophetis & Psalmis de me. Tunc aper-
 ruit mentem illorum ut intelligerent scripturas. Et apud
 Ioānem in 5. cap. Scrutamini, inquit, scripturas,
 & illæ sunt quæ testantur de me. Et paulo post, Si cre-
 didissetis Mosi, credidissetis utiq; mihi, de me enim ille
 scripsit. In primis uero illud huc pertinere uidetur,
 LUC. 16. quod diuiti epuloni roganti, Rogo te pater ut mittas
 Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque
 fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc lo-
 cum cruciatus, responsum datur, Habent Mosen ac
 prophetas, audiant illos. Si hos non audiunt, neque si
 quis ex mortuis resurrexerit, credent. Quid autē plu-
 ribus opus? Si enim diligenter legas totam historiam
 euangelicam, cernas omnia prope dicta & facta Chri-
 sti, scripturæ probata esse testimonijs. Quoties enim
 illa in euangelio uox repetita auditur? Hoc autem uel
 factum uel dictum est, ut compleretur illud uerbum
 prophetae. Quis igitur posthac dubitaret de indubita-
 ta scripturarum authoritate, de qua tam ample & syn-
 cere ipse etiā dei filius pronunciat? Satis ergo ex se
 ipsa authoritatis habet. Nam instinctus est sancti spiri-
 tus, quē & ipse dei filius approbauit, imò testatus est
 ueri dei aeternum esse oraculum. Quis autem non in-
 telligat diuino & absoluto operi nulla opus esse homi-
 num opera & confirmatione?

Idem ille dominus noster non expectato orbis &
 procerum

procerum uel etiã generalis consilij, uel nationalis synodi calculo, assensu aut decreto, discipulos suos spiritu sancto & scriptura instructos omnibus in terra nationibus destinauit magistros, dicẽs: *Marc. 16.* Ite in mundum uniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui non crediderit, condemnabitur. Profecti uero illi inuitis, imò & reclamantibus omnibus totius mundi principibus & sacerdotibus, collegijs & cõsilijs, euangelium sibi commissum omnibus gentibus fide summa prædicarunt. Legis autem primos conuentus agitados esse contra Christi apostolos. In his autem sacerdotes & scribæ, illis nescio quam præscam & receptam religionem templi, item & sacrorum sanctimoniam *Act. 6. 4.* ponebant, quĩ & uaria mortium genera, ni nouam *et 5.* illam de Christo crucifixo doctrinam in animos popularium inserere desinerent, minabantur. Illi uero propositi sui sancte tenaces cordate respondebant, Oportet deo plus obedire quàm hominibus. Nõ possumus non loqui quæ uidimus, & quæ multo certissima fide didicimus. Interea uero dũ male in synodo tractarentur apostoli, ecclesia fidelium colligebatur, sed non in hunc finem, ut contra ueritatis oppugnatores scripturam & prædicationem euangelij assereret & ei auctoritatem daret, aut faceret authenticam, quam credidit longe certiozem excellentioremq; esse quàm quæ humana confirmatione & laude cresceret, clamando autem ad dominum orabat, Aspice ô domine in minas eorum, & da seruis tuis ut cum omni fiducia loquantur sermonem tuum. Verbũ ergo ueritatis quod certissimũ esse credebant, cupiebant quàm latissime spargi. Stephanus quoq; licet esset plenus gratia & fortis

tudine scripturis nihilominus sacris Iudaicam refuta-
 bat superstitionem, Christum docebat, atq; ea ratione
 eoq; modo constantissime assererat euangelicam syn-
 ceritatem, Pari modo D. Apostolus Petrus ex scriptu-
 ris euangelium Iudaïs prædicat, ut uidere est in *Act.*
Act. 10. cap. 2. Gentili quoq; Cornelio annuncians Christum,
 Christo, inquit, omnes prophete testimonium ferunt,
 quod remissionem peccatorum accepturus sit per no-
 men eius, quisquis crediderit in eum. Idē ille Petrus
 de autoritate differens doctrinæ & religionis euan-
 gelicæ, nulla allegat consilia, nullas hominum confir-
 matiões, quinimò illis semel omnibus neglectis, diser-
 tis uerbis, Non arte cõpositas fabulas, inquit, sequuti,
2. Pet. 1. notã uobis fecimus domini nostri Iesu Christi uirtutē
 & aduentum, sed qui oculis nostris aspeximus illius
 maiestatem. Acceperat enim à deo patre honorem &
 gloriam, uoce ad illum delata huiusmodi à magnifica
 gloria, Hic est ille filius meus dilectus in quo ego pla-
 catus sum. Et hanc uocem audiuimus nos è cælo dela-
 tam cum essemus unã cum illo in mōte sancto, Petrus
 ergo autoritatem euangelio conciliat oraculo cœle-
 sti, non ullo hominum suffragio. Addit præterea, Et
 habemus firmiorem sermonem propheti-
 cū, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, re-
 cre facitis donec dies illucescat & lucifer exoriatur in
 cordibus uestris. Sunt autem ea planiora quidē quàm
 quæ nostris egeant glossematis. Nam apertissime do-
 ctrinam euangelicam diuino confirmat oraculo. Idē
2. Pet. 1. in prima epistola uniuersam euangelij prædicationē
 refert ad prophetas, Quibus illud reuelatū est, inquit,
 quod haud sibip̄s imò nobis ministrarent, quibus
 annunciata sunt per eos qui prædicauerunt euange-
 lium

litum per spiritum sanctum emissum e' celo. En tibi dicitur uerbis dicitur euangelium spiritus sancti instinctum, & e' celo profectum esse. Quid poterat dici euidenti' : Ad eundem modum D. Apostolus Paulus euangelij sui scatebras producit ex fontibus prophetarum. Quin & uocationem suam pure refert ad deum, & ait, Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum ac deum patrem uocatus ad munus apostolicum, segregatus in euangelium dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, &c. Coram Agrippa rege fidei euangelicæ causam agens, Vsq; in hodiernum diem sto, inquit, nihil aliud dicens, quam ea quæ uentura prædixerat propheta & Moses, an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus. In epistola uero ad Galatas euangelij sui prorsus nihil relinquit hominibus, imò ne apostolis quidem domini, omnia refert ad ipsius diuini spiritus inspirationem. Nã ait, Postquam deo qui segregauerat me ab utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam, in hoc ut reuelaret filium suum per me, uisum est ut prædicarem ipsum inter gentes, continuo non contuli cum carne & sanguine, neq; redij Hierosolymam ad eos qui ante me fuerant apostoli, sed abij in Arabiam : & quæ sequuntur. Notissimus est enim locus ille in 1. cap. Nec obstat aut repugnat huic quod post annos xiiij. ab Antiochia Hierosolymam ascendit. Nõ enim ascendit ut aliquid disceret quod traderet nationibus, sed ut conferret cum apostolis domini, quæ annis hæctenus de eem & septem recte tradiderat. Sermo enim Græcus

Galat. 1.

Act. 26.

Galat. 1.

uenerunt

mi)quàm apud nos intelligitur, cū scilicet ea quæ nouimus conferimus cum amico & quasi in sinum eius & conscientiam reponimus, ut pari consilio uel improbanda sint, uel probanda quæ nouimus. Aliud est autem conferre, aliud discere. Inter conferentes æqualitas est, inter docentem & discētem, minor est ille qui discit. In eandem quoq; sententiā D. Ambrosius eum Pauli locum exponēs, ait, Cum apostolis secreto conuulit, ut scirent illum non discordare à regula euangelica, hoc est, ne putarent illum in uacuum currere, aut cucurrisse, sicut existimabāt aliqui ex Iudæis credētib; . Nec enī aliquid ab eis discere poterat, qui à deo fuerat instructus, sed propter concordiam & pacem dei nutu factum est, ut tolleretur scrupulus aut suspicio fratrib; aut coapostolis eius, & ut gentibus proficeret cognoscentibus, quia concordabat euangeliū eius cum apostolis. Sed omissis aliorum interpretatōnibus audiamus ipsum Apostolum mox inferentem & dicentem, Nihil contulerunt mihi qui uidebantur esse in precio, imò contra cum uidissent mihi creditum esse euangeliū præputij, quemadmodum Petro circuncisionis, cumq; Iacobus, Cephas & Ioannes, qui uidebātur esse columnæ, cognouissent mihi gratiam esse datam, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi uero in circuncisionem apostolatu fungeremur. Proinde euangelij prædicatio & doctrina apostolica auctoritatem suam nō ab homine, sed ab ipso deo, sed & à scripturis habent prophetis, quæ cum & ipsæ sint sancti dei spiritus inspiratio, consequens est utriusq; testamenti scripturam satis ex se habere auctoritatis tametsi humana nunquam accedat.

Executur illud Augustini dictum, Euangelio non crederem nisi me catholicae ecclesiae commoueret auctoritas.

Cap. V.



Aec cum ipsa sint luce clariora, & pronuntiatis dei firmata, euici opinor, scripturam quae uerbum dei est certiolem & firmiorem esse quam quae uel ecclesiae uel hominum expetat approbationem confirmationemue: euici uerbum dei ecclesia esse prius & excellentius. Mirum autem est miseros & amentes illos homines ueritate firma & plana planè relicta, conuerti ad fallax & corruptissimum humani ingenij iudicium: mirum imò turpe etiam illud est, quod contra uerbum dei, pro humana auctoritate, tanta pronuntiant confidentia. Interim nō nescio ad quem authorem, impuram illam sententiam suam referant, nempe ad sanctissimum & de euangelio & de ecclesia optime meritum Augustinum, qui olim scripserit, Euangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoueret auctoritas. Agnosco doctissimi & piissimi scriptoris uerba, quae in libro contra episto. Manichaei quam fundamenti uocant, exstant cap. 5. Neque nego ex uerbis illius nō impium posse elici sensum, si authoris optimi cōsiliū spectetur, si consulatur etiā in locis alijs, maxime in libro de Utilitate credendi, ad Honoratum contra Manichaeos, si item singula propius pensentur, maxime quod Augustinus de ea loquitur ecclesia quae euangelio obedit, unde augustis uerbis suis ecclesiae non iudicium in euangelium sed euangelij cōmendationem tribuit. Sic enim sequitur, Quibus ergo obtemperauī dicentibus, Credite euangelio, cur eis non obtemperarem dicentibus, Nolite credere Manichaeo? En habes quid ec-

cleſia commendariſt Auguſtino, & quomodo commo-
 uerit, quia iuſſit credere euangelio. Neceſſe ergo eſt
 ut ipſa prius crediderit euangelio. Hiſi ſi conſeras que
 eap. 3. ex lib. Confessionum aſcripſi, colliges haud ob-
 ſcure ſanam horum uerborum interpretationem. Ve-
 rum illis neglectis, aduerſarij talem colligunt ſenſum,
 tale item argumentum, Nō credidiſſet euangelio Au-
 guſtinus, niſi authoritate eccleſiæ compulſus, igitur
 euangelio maiorē authoritatem habet eccleſia. Hanc
 uero aduerſariorum, nō Auguſtini collectionem, ut
 impuram & blaſphemam, quippe cum creatori non
 æquet modo ſed quodammodo præferat creaturam,
 omnibus modis nunc oppugnabimus. Principio opo-
 ponimus obſcuræ iſtorum hominū opinionī illa Ie-
 ſu Chriſti multo clariffima uerba, Ego uero ab homi-
 nibus testimoniū non accipio. Eſt autem eccleſia con-
 gregatio hominū. Nam licet communio ſit ſancto-
 rum, fides tamen per quam ſanctificamur non efficit
 ne ſimul homines. Deinde concedimus intellectu ſa-
 no euangelium habere ab eccleſiā authoritatem, addi-
 mus enim, habere quidem non ut ab autore aut iudi-
 ce, ſed ueluti à teſte, aut ſicut modo diximus à cōmen-
 dante. Teſtis autē quod uel uidit uel audiuit exponit,
 de ſuo, expoſitioni, niſi perfidus eſſe uelit, nihil addit,
 nihil adimit. Omne ergo firmamentum ac robur nar-
 rationis in ipſa eſt cauſa & negotij ueritate. Ita & ro-
 bur pietatis in ueritate euangelica conſiſtit. De ea au-
 tem teſtificatur eccleſia quod credidit, nempe quod
 ſit uera & apoſtolica prædicatio. Nam ita didicit acce-
 pitq; ab ipſis Chriſti apoſtoliſ. Quinimō tales teſtes
 fuerunt etiā ipſi apoſtoli Chriſti. Ioannes enim de ſe
 ipſo, Hic eſt, inquit, diſcipulus ille, qui teſtimonium
 perhibet

Iod. 5.

Iod. 21.

perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quod uerum sit testimonium eius. At quis ideo agnoscat hanc consequentiam, Apostoli testimonium perhibuerunt Christo & euangelio eius, ergo apostoli maiorem auctoritatem habent Christo & euangelio eius: Pari autem consequentia isti colligunt, Ecclesia euangelium recepit, id est, testimonium ipsi perhibuit, ergo ecclesia est maior euangelio, adeo ut huius nulla esset auctoritas, nisi ab illa fuisset receptum. Pueri huiusmodi cauillationes appellant fallacias consequentis: sed magnis illis antagonistis & Papisticae fidei propugnatoribus creduntur & confidenter appellantur meri Heciores & ipsissimi Achilles, pro orthodoxis contra hereticos scripturarios decertantes. Quanto rectius Ioannes ille Gerson, doctor & Cancellarius Parisien. uir suo saculo incomparabilis, in libro de uita spirituali animæ, lectione secunda, Corrollario 7: Ex istis deducitur, inquit, quomodo maior fuit primitiuae ecclesiae auctoritas, quam nunc sit, & quod non est nec in potestate Papæ, nec Consilij, aut ecclesiae, immutare traditiones datas ab Euangelistis & Paulo, sicut quidam delirant. Nec habent, quo ad hoc quod est facere aliquid esse pure de fide, parem auctoritatis firmitatem. Licet enim suas institutiones in dubium reuocare. Et hic aperitur modus intelligendi illud Augustini, Euangelio non crederem, nisi me compulisset auctoritas ecclesiae: ibidem enim ecclesiam sumit pro primitiua congregatione fidelium, illorum inquam qui Christum uiderunt & audierunt & sui testes fuerunt. Hæc Gerson, qui etiam in alio quodam loco illud Augustini, Euangelio non crederem, nisi me ecclesie compelleret auctoritas, inuertit & ait, Vicissim quoque dici potest, Ecclesiae non

crederē nisi autoritas scripturæ me impelleret. Tra-
ctauit eundem locum parī propē modo & Marfilius
Patauinus in Defensorio pacis, Dictione. 2. cap. 19.

Ioan. 10.

In euangelio secundum Ioannem legimus, Cum
pastor proprias oues suas emisit, ante eas uadit, &
oues illum sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Et
paulò post, Ego sum pastor bonus & cognosco oues
meas, & cognoscor à meis. Discernit ergo ecclesia in-
ter uerbum pastoris & alieni. Id quod nimirum fecit
cum euangelium Thomæ Barptolomæi & Nicodemi
repulit, Ioannis uero, Lucæ, Matthæi & Marci agnos-
uit. Quis autem ideo consequi dicat, Ergo oues habent
potestatem in uocē pastoris & faciunt ipsam, ut aiunt,
authenticam? Quin ideo, inquit, pastore sequuntur,
quia nota imò preciosa est ipsis uox pastoris. E diuerso,
Alienum autem non sequuntur ait, sed effugient
ab eo, Caussa, Quia non agnoscunt uocem eius. Pro-
inde oues ducuntur uoce pastoris. Quis autem nesciat
at oues esse ecclesiam, pastoris uocem euangelium ue-
ritatis? Subest itaq; ecclesia & regitur, non domina-
tur uerbo ueritatis.

Rom. 10.

Postremo cupio ab aduersarijs discere, quid intel-
ligant per ecclesiam cum aiunt, Euangelio non crede-
remus nisi autoritate compulsi ecclesiæ. Nō opinor
illos per ecclesiam aliud intelligere, quàm cœtum siue
congregationem fidelium. Nihil nunc dico de Papa
& suis fratribus Auernalibus, Cardinalibus dicere
uolebam. Interrogo autem an non à fide nomen ha-
beat fidelis? Neque id puto negabunt quod uel pueri
uerum esse norunt. Respondeant ergo, an illam Pat-
ri sententiam agnoscant, Fides ex auditu est, auditus
autem per uerbum dei. Si non agnoscunt, merito ha-
bebuntur

bebuntur impij. Si uero agnoscunt, capti sunt. Nā si fides p̄ spiritū sanctū est ex uerbo dñi, & fides efficit fidelē, fidelium aut̄ cœtus ecclesia est, consequens est, quod euangeliū siue uerbū domini sit ante ecclesiam, aut quod ecclesia nascatur ex uerbo dei, atq; hoc ideo prius sit & maius. Vnde etiam D. Petrus, Ex puro, in *1. Pet. 1.1* quit, corde diligit̄ uos inuicem, renati non ex semine mortali, sed ex immortalī, per sermonem uiuentis dei & manentis in æternum. Paulus item, Licet innumeros, inquit, p̄dagogos habeatis in Christo, non multos tamen habetis patres. Siquidē in Christo Iesu per euangelium ego uos genui. Ad quæ nimirum apostolica testimonia alludens D. Aurel. Augustinus, ecclesiam appellauit & filiam & matrem. Certe D. Apostolus Paulus eandem appellauit domum dei uiuentis, *1. Timo. 3.1* columnam & basim ueritatis, idē hoc nomine quod ueritati euangelicæ innitatur & regatur ab inhabitante sancto dei spiritu. Hæc autē respondere uoluimus Augustinianæ sententiæ corruptoribus.

Scripturæ authoritatem non pendere à generalium consiliorum definitiua sententia. Cap. VI.



Er consequentia respondebo illis quoq; qui aliquanto his sc̄dius hallucinantes, existimant scripturarum authoritatem non modo ab ecclesiæ, sed & à consiliorum generalium definitiua pendere sententiā. Illa enim iusta regula, inquit, secreteuere canonicos libros à nothis & apocryphis. Hic autem ab illis edoceri cuperem, quodnam consilium generale libros canonicos discreuerit à parum canonicis: Sed non poterunt quod proposuerūt *Nicena synodus.* demonstrare. Nicena enim synodus, qua nulla alia ue-

tustior inter generales sanctior & autoritate maior habetur ab omnibus, nihil de scripturarum canone decreuit. Nam cum in Nicea urbe Bythinia conuenerint patres CCCXVIII, plerique apostolica doctrina & uita clari, primo statim confessu surrexit ille magnus Eustathius praesul Antiochenus, & omnium antistitum nomine CONSTANTINO imperatori magno gratias egit hominisque laudauit institutum, qui turbulentam ecclesiam ob episcoporum quorundam disputationes concertationesque sedare studeret: qui cum finem dicendi fecisset, surrexit Eusebius cognomento Pamphili Caesariensis, episcopus, qui & ipse quaedam in laudem imperatoris & sancti sui instituti perorauit. Demum uero ipse sanctissimus Princeps Con-

*Oratio re-
gis Cōstan-
tini magni
de concor-
dia & scri-
pturis ca-
nonicis.*

stantinus, in tam celebri ministrorum Christi coronationem habuit de concordia & unanimi in ueritate consensu, reuocata omnibus in memoriam superiorum tyrannorum crudelitate, & quam honorifica pace nunc ipsius beneficio fruerentur. Tum nihil dixit esse indignius quam hostibus fidei domitis, quippe cum nemo inueniatur iam qui rebellare audeat, ipsos inter sese sacerdotes committi & se mutuo lacerare, atque ea re uoluptatem & risum praebere hostibus, praecipue
 ,, in disputationibus rerum diuinarum ac fidei, in quibus
 ,, tamen haberent sanctissimi spiritus doctrinam praescriptam, Evangelici enim & apostolici libri, ait, nec
 ,, non antiquorum prophetarum oracula, PLANE instruunt nos quid de uoluntate dei sentiamus. Proinde
 ,, hostili posita discordia sumamus ex dictis diuini spiritus
 ,, explicaciones quaestionum. Atque huiusmodi uerbis studebat piissimus Princeps apostolicorum dogmatum conciliare concordiam. Haec uero omnia sumpsimus

mus ex Theodoreti Cyreneſi, epiſcopi hiſtoria. Claret autem ex illa quanta authoritate etiam ante ſynodū Nicenam ſcripturæ canonicæ polluerint, ad quas rex ſanctiſſimus omnia epiſcoporum negotia inſtitui uoluit: quod dubio procul non potuiſſet ſi ſcriptura in ea demum ſynodo facta fuiſſet authentica. Vt autem huic ſynodo, ita omnibus quoq; alijs conſilijs ſyncerioribus ſcriptura ſancta iudicandi, agendi, decernendiq; unica fuit regula.

Augustini teſtimonia de authoritate ſcripturarum, de conſiliorum decretis & ſcriptis ſanctorum patrum.
Cap. VII.



Vm autem uideam aduerſarios plurimum permoueri ſententijs ſanctorum patrū, aſcribam nunc D. Aurelij Auguſtini locos aliquot, ex quibus æſtiment quanta ſit ſcripturæ authoritas & certitudo, quo item loco habenda ſint conſiliorum & patrum decreta, eccleſiaſticorum quoq; interpretum aut expoſitorum commentarij. Statui autem AVGVSTEM huius modo teſtimonia aſcribere, quod ſolius ſuſtinentiſſime uideantur, utpote de cuius fide totus orbis & laus eximia. omnes orthodoxi ſemper bene ſenſerunt. Certe Romanus Pontifex Celeſtinus, qui non ita longo tempore poſt mortem D. Auguſtini claruit, in epiſtola celebri ad Galliarum epiſcopos non minus diſerte quam uere, Auguſtinum, inquit, ſanctæ recordationis uirū quem pro uita ſua atq; meritis in noſtra communionē ſemper habuimus, NEC VNQVAM HVNC SIGNISTRE SVSPICIONIS SALTEM RYMOR ASPERSIT, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam ante à meis

semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubiq; cunctis & amoris fuerit & honori. Hæc Celestinus: uerum autem adiuuamus nunc maximi in ecclesia doctoris uerba.

Libro contra Faustum Manichæum II, cap. 5. de commentatoribus & commentationibus humanis loquens. De his libris, inquit, dici potest aliquid eos habere non consonum fortasse occultiori & ad dignoscendum difficiliori ueritati, quod aut sic remanserit, aut in posterioribus correctum sit, qui non præcipiendi autoritate sed proficiendi exercitatione scribuntur à nobis. Inter hos enim sumus quibus idem Apostolus dicit, Et si quid aliter sapitis, id quoq; uobis deus reuelauit: quod genus literarum non cum credendi necessitate sed cum iudicandi libertate legendum est. Cui tamē ne intercluderetur locus & adimeretur posteris ad quæstiones difficiles tractandas atq; ueras sanctas linguæ ac stili saluberrimus labor, distincta est à posteriorum libris excellentia canonicæ autoritatis ueteris & noui testamenti, quæ apostolorum confirmata temporibus per successiones episcoporum & propagationes ecclesiarum, tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi si quid uelut absurdum mouerit, non licet dicere, Author huius libri non tenuit ueritatem; sed aut codex mēdosus est, aut interpretes errauit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum quælibet innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ canonicarum scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscunq; eorum inuenitur eadem ueritas, longe tamen est impar autoritas. Itaq; in eis si qua forte propterea dissonare uidentur

tur à uero, quia non ut dicta sunt intelliguntur, tamē liberum ibi habet Lector auditorue iudiciū, quo uel approbet quod placuerit, uel improbet quod offenderit, & ideo cuncta eiusmodi nisi uel certa ratione uel ex illa canonica auctoritate defendantur, ut demonstretur, siue omnino ita esse, siue fieri potuisse quod uel disputatum ibi est uel narratum, si cui displicuerit aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa uero canonica eminentia sacrarum literarū, etiamsi unus propheta aut Apostolus aut Euangelista aliquid in suis literis posuisse ipsa canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quod uerum sit: alioqui nulla erit pagina qua humana imperitiā regatur infirmitas, si librorum saluberrima auctoritas aut contempta penitus aboletur aut interminata confunditur.

Epistola XIX. ad S. Hieronymum, Ego, inquit, factor charitati tuę solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honorēq; deferre, ut nullum eorum authorem scribēdo aliquid errasse firmissime credam. At si aliquid in eis offendero literis quod uideatur contrarium ueritati, nihil aliud quam uel mendosum esse codicem uel interpretē non assequutum esse quod dictum est, uel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo uerum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi uel per illos authores canonicos, uel probabili ratione quod à uero non abhorreat, persuadere poterunt. Nec te mi frater sentire aliquid aliter existimo, prorsus inquam nō te arbitror sic legi tuos libros uel le tanquam prophetarum uel apostolorum, de quorū scriptis quod omni errore careant dubitare nephariū

est. Similia legis Epist. 48. ad Vincentium contra Do-
na. & Rogat. de Vi corrigendis hæreticis, item epi-
stol. 112. ad Paulinam de Videndo deo, & epist. 111. ad
Fortunatianum Siccensem episcopum.

Libro contra Cresconium 2. cap. 31. Nos, inquit,
nullam Cypriano facimus iniuriam, cum eius quasli-
bet literas à canonica diuinarum scripturarum autho-
ritate distinguimus. Neq; enim sine causa tam saluber-
uigilantię canon ecclesiasticus constitutus est, ad quę
certi prophetarum & apostolorum libri pertineant,
quos omnino iudicare non audeamus, & secundum
quos de cæteris literis uel fidelium uel infidelium libe-
re iudicemus.

De baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 3. Quis,
inquit, nesciat sanctam scripturam canonicā tam ue-
teris quàm noui testamenti certis suis terminis conti-
neri, eamq; omnibus posterioribus episcoporum lita-
ris, ita præponi, ut de illa omnino dubitari & discepta-
ri non possit, utrum uerum uel utrum rectum sit quic-
quid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum au-
tem literas, quæ post confirmatum canonem uel scri-
ptæ sunt uel scribuntur, & per sermonem fortè sapien-
tiorum cuiuslibet in ea re peritioris & per aliorū epi-
scoporum grauiorem autoritatem doctorumq; prou-
dentiam & per consilia licere reprehēdi, si quid in eis
fortè à ueritate deuiatum est. Et ipsa consilia quæ per
singulas regiones uel prouincias fiunt plenariorum
consiliorum autoritati, quæ sunt ex uniuerso orbe
Christiano, sine ullis ambagibus cedere, ipsaq; plena
ræpe priora posterioribus emendari, cum aliquo
experimento rerum aperitur quod clausum erat, &
cognoscitur quod latebat sine ullo typho sacrilegæ su-
perbię,

perbiæ, sine ulla inflata ceruice arrogantia, sine ulla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana.

Huius generis possem pro autoritate scripturarum infinita alia proferre, nisi mihi planè persuasum esset ista sufficere sanctis & minime contentiosis ingenijs, quæ nimirū etiam sine hac mea disputatione pluris faciunt sapientissimi & æterni omnium sæculorū dei uerbum quàm omnium in orbe hominum quantumuis augustam autoritatem.

De firmitate & inuicta ui uerbi dei & scripturæ sanctæ. Cap. VIII.



Am ut nulla hominum autoritate confirmatur uerbum dei, ita firmitas eius nulla potest concuti potentia humana. Dominus est Luc. 16.
 nim in euangelio secundum Lucam, Facilius est, inquit, Luc. 16.
 coelum & terram præterire quàm legis apicem unum
 cadere. Et apud Matthæum, Coelum & terra præteri- Matth. 24.
 bunt, ait, uerba autem mea non interibunt. Quod per-
 inde est ac si dixisset, Omnino non fieri non potest quod
 dixit deus. Nam huius uerbum tam firmum & certum
 est, quàm quod firmissimum & certissimum. Compara-
 tionem petijt à firmitate & certis legibus elemento-
 rum maxime solidorum. Nam & Moses perpetuitate Deut. 12.
 quendam significare uolens, dicit, Seruabis præce-
 ptum meum, ait dominus, ut multiplicentur dies tui
 super terram, quam iurauit dominus, ut daret uobis
 quoad coelum fuerit super terram. Est & illud huius Ierem. 33.
 generis quod in Ieremia legimus, Hæc dicit domi-
 nus, Si irritum potest fieri pactum meum cum die &
 pactum meum cum nocte, ut non sit dies & nox in tem-

pore suo, & pactum meum irritum esse poterit quod pepigi cum Dauide seruo meo. Et iterum, Si pactum meum factum non est cum die & nocte, & leges cœlorum & terræ non posui, reprobabo etiam semen Iacob, ut non assumam de semine eius qui dominetur super semen Abraham. Videmus autem in cœlo omnia ferri lege certa, pulchra & inuiolabili: uidemus ferriem perpetuam: uidemus in admirabili opificio & in hac operatione iustissima exactissimaq; nihil ab hominum pendere arbitrio, sed solem & astra pro arbitrio conditoris oriri & occumbere certisq; uehi motibus, nec quicquam hic uota proficere hominum, ut uel celerius discescat, uel nox se diffundat super nos tardius. Proinde oportet & ueritatem multo esse certissimam atq; firmissimam, contra quam etiam nihil proficiunt omnium hominum consilia ac uires. Hæc autem omnia tam prophetarum quam Christi saluatoris uerba uidentur petita esse ex illa domini sententia, quæ Gene. 8. sic enunciatur, Posthac non maledicam terræ propter hominem, sed erunt posthac tempora seminis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, dies & nox nunquam cessabunt. Hanc scilicet seriem & uicissitudinem temporis inuiolatâ constituens, ut nunc ex eo intelligamus scripturæ, quæ uerbum dei est, ueritatem longe illis quidem firmissimis esse firmiorem, hoc est inuictissimam.

Isaie 40.

Iam & diuinus uates Isaïas pulchre comparans uires hominis cum immortalî ueritate clamat, Omnis caro scœnum, & omnis gloria eius quasi flos campi. Exaruit scœnum & emarcuit flos. Verbum autem dei nostri consurget & firmum stabit in æternum. Quis uero poterat de instituto nostro dici breuius: at quis interim

interim efficacius? Nihil pulchrius est flore, nihil fragrantius, at eodem quid obsecro caducum & minus diuturnum æque? Omnis autem hominum gloria, omnis uis & potentia flori comparatur, utpote fragilis & peritura, uel poëtis canentibus,

Caduca molitur genus mortalium,
Nec certa est res ulla nec tuta haud magis

Atq; umbra fumî. Et iterum,

Tale quidem genus est hominum quale est foliorum,
Quorû hæc uetus humi fundit, rursus illa uirescens
Profert sylua simul Veris cum afflauerit aura,

Menander item,

Caput atq; summa orationis hæc, Homo es,
Quo non est animal aliud usquam, quod modo
Surgat, modo cadat, citius atq; crebrius.

Ac iure sanè, quippe debilissimum

Cum sit.

At uero ueritas scripturæ solida, inconcussa & immota æternum stabit. Est enim æterni, ueri & omnipotentis decretum & ceu uirtus quædã eius qui dicit, Ego sum deus, & non est alius deus, & *Isaie 46.* nihil est mihi simile. Ego annuncio à principio nouissimum, & ab antiquo quæ nondum facta sunt dico, & consilium meum firmum stat, & quicquid uolo facio.

Idem alibi in eandem sententiam, Ego ego sum consolator uester, inquit, & quis es tu qui timeas ab homine qui moriturus est, aut à filio hominis qui quasi fortunæ reputabitur? & oblitus es domini dei factoris

tui, qui extendit cœlos & fundauit terram, cuius uerbum rectum est & omnia opera eius in ueritate. Hæc certe uidentur esse firmissima pro firmitate uerbi dei testimonia: quibus si qui nõ permouentur, digni profecto sunt, qui metuant perpetuo, trepident & incerti

rerum omnium spiritu uertiginis rotentur, donec hostili ore confiteantur omnia hominum fluxa, incerta & fallacia esse, solum autem uerbum domini cōstans sacrosanctum & per omnia inuiolabile,

Dominus permittit ecclesiam suam uarijs exerceri persequutionibus, in quibus tamen non sinit ulla tyrannide ueritatem scripturæ labefactari. Cap. IX.



Vnt tamen qui propter persecutiones tyrannorum contra uerbum dei feliciter instituta de scripturæ inuicta uel non nihil addubitent. Si enim tam firma est religio, aiunt, quæ ex uerbo dei petita & secundum præscripta sanctæ scripturæ instituta est, quæ fit ut cultores religionis huius secundum scripturam institutæ non uincantur modo sed perimantur omnino? Aut itaque necesse est illos destitui ueritate, quæ inuicta est, aut necessitate quadam tyrannorum libidini subiacet ueritas. Ad quæ respondens Apostolus, Propter euangelium, inquit, malis affligor quasi facinorosus usque ad uincula, at sermo dei non est uinctus. Quasi dicat, Affligi quidem possunt sancti ueritatis ministri, sed ideo non interit, uincitur ueritas uerbi dei & religio euangelij Christi, sublati etenim pluribus euangelij ministris, substitui possunt alij, qui inuitis etiam omnibus hostibus ueritatis, mendacia protrahant atque subuertant, afferant autem ueritatem, Perpetuo itaque inuicta permanet ueritas.

Pax huius
mūdi quæ
lis.

Tales uero qui nihil crepant quàm pacem persecutiones obijciunt & à felicitate externa metiuntur omnia, haudquaquam integri, sed mortaliū sunt corruptissimi. His enim ueritas et religio uera ibi superat & regnat,

& regnat, ubi non iubentur dura, non prohibentur
 impura, magistratus non curat quam bonis, sed quam
 subditis regnet, ubi prouinciæ regibus non tanquam
 rectoribus morum, sed tanquam rerum dominatoribus,
 imò & deliciarum suarum prouisoribus seruiunt,
 eosq; non synceriter honorant, sed nequiter & seruiliter
 timent. Hi abundant uolunt scorta publica, uel propter
 omnes quibus frui placuerit, uel propter eos maxime
 qui habere priuata non possunt. Illi ipsi in amplissimis
 & ornatissimis adibus, in luxu, in opiparis conuiujs,
 in splendore uestium, summum constituunt bonum,
 ubi cuiq; libuerit & potuerit die noctuq; ludatur
 alea, perpotetur, uomatur, defluatur. Illum iudicant
 hostem publicum & hæreticum seditiosissimū cui hæc
 displicet felicitas. Quisquis hanc uel mutare uel
 auferre tentauerit, eum excludunt, è sedibus eiiciunt
 & tollunt è uiuentibus. Eos uero pro orthodoxis antiquæ
 & pacatæ fidei cultoribus strenuis habent, qui illam
 populis adipiscendam curauerint adeptaq; seruaerint.
 Tam uidelicet pudendis prosperitatibus affluere uolunt
 quicunq; obijciunt nobis persecutiones. AT QVI rectius de his
 iudicans dominus in gladius à domino euangelio, Ne arbitremini, inquit, quod uenerim ad
 mittendum pacem in terram, non ueni ut mitterem immissus.
 pacem sed gladium. Nam ueni ut dissidere faciam hominem
 aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam,
 & sponsam aduersus socrum suam, & inimici hominis
 erunt domestici eius. Item apud Ioanē, Ioan. 19. Si me
 persequuti sunt & uos persequentur, imò ueni et tempus
 ut quisquis interficiat uos, uideatur cultū prestare deo.
 Vnde Paulus Apostolus, Omnes, in 1. Tim. 3. quit, qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu, persequu-

Matth. 5. tionem patientur. Apud Matthæum enim pronuncia-
at dominus, & ait, Beati qui persecutionem patiamur
tur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum
coelorum. Ex quibus testimonijs omnibus apparet
quàm uani sint qui per persecutionum tormenta re-
ligionis nostræ ueræ ueritatem & uerbi dei firmitatem
suspectam facere, imò & labefactare uolunt, deniq; q̄
prophani & leues sint quidam delicatuli, qui in ueri-
tate euangelica & in scriptura sancta nihil quærunt
quàm delicias & securitatem carnis.

*Causse
persequu-
tionum.* Præterea si quis expendat potissimas persecu-
tionum causas, deprehendet has nobis immitti à de-
mino, non ut aboleatur scripturæ ueritas ueraq; reli-
gio, sed ut electi ceu igne purgentur & uirtus in infir-
mitate perficiatur. Sic enim legimus in prima episto-

Cap. 4. la Petri, Charissimi, ne miremini, dum per ignem ex-
ploramini, quæ res ad experimentum uestri sit, perin-
de ac si nouum uobis aliquod obtingat, imò in hoc
quod confortes estis afflictionum Christi gaudete, ut
in reuelatione quoq; gloriæ eiusdem gaudeatis exul-
tantes. Paulus quoq; Apostolus, Habemus thesaurum

2. Cor. 4. hunc, inquit, in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia
sit dei & nõ ex nobis, dum in omnibus premimur,
at non anxij reddimur: persecutionem patimur, sed
non in ea destituimur: deijcitur, sed non perimus,
semper mortificationem domini Iesu in corpore cir-
cumferentes, ut & uita Iesu in corpore nostro manife-
stetur. Quin & D. Aurel. August. disputans in libris
de Ciuitate dei, quare dominus sanctos suos perinde
atq; prophanos multis diuexet malis. Quamuis longè
*Lib. 1.
cap. 9.* absint à facinorosis, inquit, flagitiosis atq; impijs, ta-
men non usque adeo se à delictis deputant alienos, ut
neq;

nec tēporalia pro eis mala perpeti se iudicent dignos. Excepto enim quod unusquisq; quamlibet laudabilitē uiuens, cedit in quibusdam carnali concupiscētia, & si non ad facinorum immanitatem & gurgitem flagitiorum atq; impietatis abominationē, ad aliqua tamen peccata, uel rara, uel tanto crebriora quanto minora, hoc inquā excepto, quis facile reperitur qui eosdem ipsos propter quorum horrendam superbiam, luxuriam & auaritiam atq; execrabiles iniquitates et impietates, deus, sicut minando prædixit, conterit terras, sic habeat ut hōbendi sunt, sic cum eis uiuat ut cū talibus uiuendum est. Plerunq; enim ab eis docendis admonendis aliquando etiam obiurgandis & corripiendis male dissimulatur, uel cum laboris piget, uel cum os eorum coram quibus sumus uerecundamur offendere, uel cum eorum inimicitias deuitamus, ne impediant & noceant in istis temporalibus rebus, siue quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere formidat infirmitas, ita ut quamuis bonis malorum uita displiceat, & ideo cum eis non incendant in illam damnationem, quæ post hanc uitam talibus preparatur, tamen quia peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in suis licet leuibus metuūt, iure cum eis temporaliter flagellantur, quamuis in æternum minime puniantur. Hæc omnia ex Augustino adduximus. Iam uero cum illa uitia omnibus prope sanctis & sæculis creberrima sint, nil mirum neque nouum uideri debet cuiquam, si dominus frequenter mala deriuet in ecclesiam suam, ut scilicet igne probationis scoriam excoquat impuritatis. Interim autem nihilominus inuicta permanet ueritas, Tametsi enim sint qui in persecutionibus uincantur & deficient,

multo tamen plures, imò & innumerè per tormenta
 horribilia intrepidi ad pulcherrimam mortem propo-
 rarunt. Quod si paucorū incōstantia uerbi dei firmi-
 tatem labefactare & in suspicionem sinistram rapere
 uideatur, profecto constantia plurimorum inuictā ue-
 bi dei uim approbat atq; commendat. Atq; huc iam fa-
 ciunt agones siue certamina martyrum nostrorum,
 quorum alij distenti sunt, aspernati redemptionem ut
 meliorem fortirentur resurrectionem. Alij rursus lu-
 dibrijs & flagris explorati sunt, insuper & uinculis &
 carcere: lapidati sunt, dissecti sunt, occisione gladij oc-
 cubuerunt, concremati ac rotis confracti sunt, oberra-
 runt in ouillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, af-
 flicti, quibus indignus erat mundus, in desertis erran-
 tes & montibus, in speluncis & cauernis terræ. Et hi
 quidem omnes confirmante eos uerbo domini, con-
 tra omnem mundi potentiam & ipsas inferorum por-
 tas, triumpharunt. Hi sunt qui constanter & dulci cor-
 dis iubilo in ipsis etiam tormentis cum Apostolo ce-
 leuma canentes, dixerunt, Quis nos separabit à dile-
 ctione dei? num afflictio? num angustia? num perse-
 cutio? num fames? num nuditas? num periculum?
 num gladius? quemadmodum scriptum est, Propter
 te morti tradimur tota die, habiti sumus uelut oues de-
 stinatae maclationi: uerum in his omnibus superamus
 per eum qui dilexit nos. Nam nobis persuasum habe-
 mus, quod neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; prin-
 cipatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, ne-
 que altitudo, neq; profunditas, neq; ulla creatura alia,
 poterit nos separare à dilectione dei, quæ est in Chri-
 sto Iesu domino nostro. Hinc profecto uidetur scri-
 ptura canonica hoc facta esse laudabilior & excellen-
 tior

De cōstan-
 tia nostro
 rum mar-
 tyrum.
 Hebr. 11.

Rom. 8.

tior, quo plus sanguinis p̄ij & docti propter hanc effu-
sum est. Egregia & immortales uidentur Gentibus
leges, pro quibus ipsi legislatores & optimi quicq; etiā
mortem oppetiſſe leguntur. Pro lege autem dei no-
ſtri, pro ueritate euangelica & religione ſcripturis tra-
dita, ſapientiſſimi, doctiſſimi, iuſtiſſimi, fortiſſimi &
piſſimi quicq; totius orbis delectiſſimi homines occu-
buerunt. Quanto ergo iubare ſol ille pulcherrimus il-
luſtria excellit aſtra, tanto fulgore præcellit lex dei no-
ſtri omnium gentium & populorum leges, iura & de-
creta, firmiſſima in mūdo religionis regula, quæ ſem-
per uincit, nunquam ulla tyrannorū crudelitate aut
ſauitia opprimitur.

De infami & horribili perſequentorum uerbi dei inte-
ritu, deq; ueritate ſemper triumphante. Cap. X.



QVemadmodum uero martyres diuinæ ueri-
tatis teſtes glorioſa morte occubuerunt, &
immortalem poſt ſe reliquerunt gloriā: ita
martyrum perſequentores uerbi dei & ſcripturarum
iurati hoſtes, primū ſua ſeſe tyrannide ignominia in-
eluibili polluerunt apud poſteros, deinde per acerbā
& infamia huius uitæ tormenta ingloriam & ingrātā
imò & exoſam abrumpentes uitam, in ſathanæ prin-
cipis ſui regiam, ad Cereris generū, æternum arſuri,
descenderunt. Prædixit hoc futurum apud Zache-
riam dominus, In die illa ponam Ieruſalem lapidem
leuare contenderint, lacerando lacerabuntur, & con-
gregabuntur contra eum omnes Gentes terræ. Quæ
enim illa Ieruſalem, niſi eccleſia ſancta canonica ue-
ritati innixa, cœtus fidelium, contra quem hoſtiū in-

structissimæ acies à tyrannis omnium sæculorum eductur continetur. Oppugnatur ergo strenue ab omnibus Gentibus terræ, uerum non citra perniciem oppugnantium maximam. Alludens enim ad morē Pa- læstinum dominus, apud quos iuuenibus lapis proponebatur ponderis grauissimi, in quo eleuando uires suas exercerent, hoc omnino dicere uidetur, Quem admodum lapidem exercitationis pro uirium uarietate alius à terra uix subleuat, alius attollit uel ad talos uel ad genua, ad humeros alius extollit, nonnulli uero super uerticem capitis efferunt, nullus tamen horum omnium ita deponit ut nō saucietur grauissime. Sic uarie quidem impetitur & exercitatur ecclesia, tyrannorum persecutionibus, & alij alijs truculentioribus sunt, grauiusq; affligunt ecclesiam, sed nullus impune quod libuit fecit, perierunt omnes.

Exemplis hæc commonstrare haud erit difficile. Impugnarunt ueritatem euangelicam monarchæ orbis potentissimi, sed suo maximo detrimento. Et quamquam igne & ferro sanctorum myriades complures è medio tollerent, ipsa tamen ueritas semper inuisa permansit, interim isti commeritas deo ultori poenitentia dederunt. Nam ut de Pharaone Aegyptio, de Sauri & Achabo Israelitarum regibus, de Sanherib, Antiocho, Herode magno & filio atq; nepote Herode Galilææ tetracha & Agrippa, reliquis item truculentissimis tyrannis nihil commemorem, nonne Domitianus Nero, qui ecclesiam dei infinitis affecit malis, tandem sibi ipsi manus sanguinolentas intulit ictuq; gladii in purum pectus trāsuerberauit, horribiliter clamitans. Dedecorose uixi, turpius pereor. Nota est Septimij Sæueri mors sæuissima, nota est eiusdem quoq; seueritas in Christo.

in Christianos. Iulius Maximinus dum innoxios persequitur & fidem Christi extinguere satagit, apud A-
 quileiam seditione militum discerptus est unâ cum fi-
 lio, cunctis conclamantibus, Ex pessimo genere ne ca-
 tulum habendum. Decius Christianorum lues la-
 tro & parricida crudelissimus, in solo barbarico inter-
 confusas militum turbas gurgite paludis submersus est,
 ita ut nec cadaver eius potuerit inueniri. Licinius
 Valerianus post multa mala Christianis illata à Sapo-
 re Persarum rege supatus, mox etiâ captus & orbatus
 luminibus, apud Parthos ignobili seruitute compu-
 truit. Aurelianus Cæsar subita morte uitam abruptit.
 Diocletianus uenenum hausit. Galerius Maximianus
 consumptis genitalibus defecit. Ita enim legimus apud
 Eusebium lib. Ecclest. histo. 8. cap. 18. Authorem sce- *Horribilis*
 ris ultio diuina corripuit, ille enim qui latis ac sagina *interitus*
 tis carnibus incedebat superbus, inflatis subito uisce- *Maximianus*
 ribus suppuratisq; distenditur. In profundioribus de- *ni.*
 hinc pectoris partibus obortum uulnus, totos intrin-
 secus uiscerum secessus tabo serpente depascitur. Post
 etiam fistulis quibusdam in superficie purulentis mea-
 tibus adaperitis, de interioribus putrefactis uulneris
 uenis ebullire undatim cœpit innumera uermium mul-
 titudo. Fœtor uero tam intolerabilis erat, ut nullus o-
 mnino ne medicorum quidem propius posset accede-
 re, quod carnes satis lætæ & in omni luxuria nutritæ,
 grauiorem ex corruptione nidorem putredinis exha-
 labant. Denique medicos quod uim fœtoris tolerare
 non possent interfici iubet: quorum è numero cum qui-
 dam iugulandus potius quam medicaturus assisteret,
 aspiratus à deo, Cur, inquit, erras imperator, & quod
 deus infert, ab hominibus putas posse reuocari? Nec

humanus est iste morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare quanta in seruos dei egeris, quamq̃ in religionem diuinam impius & prophanus extiteris, & intelliges unde tibi mala ueniāt. Maxentius sæuissimus hostis Christianorū aduersus Constantinum magnū Christianæ religionis patronum exercitum ducens, statim pulsus inq̃ fugam effusus foedissimam, in pontem nauigijs compositam ingressus, lapsu equi prostratus in profundum demersus est, uoratumq̃ limo pondere thoracis corpus uix repertum. Iulianus quodque imperator proficiscens in Persas, post uictoriam Persicam comminabatur se Christianos debellaturū, sed lætali confossus uulnere minari desijt. Aiunt autem quod cum fuisset uulneratus, mox manum suam sanguine suo compleuerit & in aërem proiecerit, dicens, *νεvικηκας γαλιλαϊε*, Vicisti Galilææ. Et in eo ipso confessus est cum blasphemia uictoriam, Transeo huius generis innumera exempla quibus abundant & historiæ & experientia quotidiana.

Ex hisce autem omnibus colliquescit quàm inuisa sit uerbi dei ueritas, q̃ nullo modo quiuerit subuertit ulla uel maximorum regum potentia. Maximos enim fuisse illos quos recensuimus reges, felices, sapientes & heroicis uirtutibus claros, nemo nescit quomodo historias à limine, quod dici solet, salutauit. Proinde uanissimi sunt quotquot suæ religionis præsidia collocant in Principes, in filios hominum in quibus non est salus. Nihil autem nobis ne nunc quidem post tot sæcula, post tot uictorias & triumphos, post commendatam ornatamq̃ sanctorum sanguine & spiritus testimonio ueritatem uel tantillum erit metuendum. Nulla hanc subuertet Turcæ potentia, nullus Persarum

Perfarum successus, nulla Tartarorum sæuitiā, nulla
 Principum felicitas, nulla Romanensium uel Pontifi-
 ciorum astutiā, nullæ deniq; potentissimorum popu-
 lorum uel minæ uel insidiæ. Stat inconcussa regis &
 pontificis nostri sententiā, Venit princeps mundi hu- *Iod. 1. 24.*
 ius & in me non habet quicquam: idq; loquutus sum
 uobis, ut in me pacem habeatis; in mundo afflictionē
 habebitis, sed bono animo sitis, ego uici mundum.
 Stat, æternumq; stabit & illud dei nostri inuiolabile *Luce 21.*
 uerbum, Cælum & terra transibunt, uerba autē mea
 non transibunt: & portæ inferorum non præualebūt
 aduersus illa. De humana autem potentia audiui-
 mus prophetam clamantem, Omnis caro fœnum, &
 omnis gloria eius quasi flos agri. Exaruit fœnum &
 flos decidit. Et iterum de uerbo domini, At uerbum
 domini manet in æternum. Iam si immineat persequi-
 tio, non est quod ideo credamus ueritatem protinus
 subuertendam. Cruce enim dominus suos uel affligit
 & corrigit, ne cum incredulo mundo damnētur, imò
 & ex hisce ærumnis liberentur, uel ut aurū igne pro-
 bat ut eorum uictoria & gloria sit illustrior. Hic autē
 opus est nobis patientiā. Cogitandum item quæ no-
 bis præmia proposita sint, quàm uani impiorum cona-
 tus, quàm dispar sit piorum & impiorum exitus, quæ
 deniq; ab utrisq; memoriā maneat ad posteros. Iusto- *Sapient. 9.*
 rum animæ in manu dei sunt, nec tanget illos tormen-
 tum. In memoriā æterna erit iustus, ab auditiōe mala *Psal. 111.*
 non timebit. Iniustorum autem animæ in eternū dam-
 nantur, nec aliam post se quàm suā turpissimā memo-
 riam relinquunt. Iustum enim est apud deum, quod
 testatur Apostolus, reddere illis qui affligunt sanctos, *2. Thess. 1.*
 afflictionem, & sanctis qui hic affliguntur relaxatio-

nem, tum uidelicet cū reuelabitur dominus Iesus de
 coelo, cum angelis potentiae suae, cum incendio flamae,
 qui infliget ultionem ijs qui non nouerunt deum
 nec crediderūt euangelio domini nostri Iesu Christi,
 qui poenam luent interitum sempiternum, à facie do-
 mini & à gloria fortitudinis illius, cum uenerit ut glo-
 rificetur in sanctis suis & admirādus fiat in omnibus
 credentibus. Sed immoramur his forte nimis diu, eae-
 dem repetentes & eadem semper oberrantes chorda,
 fit tamen hoc studio non malo. Hisce enim cupio pra-
 stantiam uerbi dei, uim inuictam, & fata persecutorum
 uerbi dei commendare quam diligentissime, ceru-
 te ut quisq; eo quo dignum est amore & studio uerbi
 dei reuereatur & colat.

Verbum dei siue scripturam canonicam uniuersa philo-
 sophia antiquiorem esse, scriptores item canonicos om-
 nium Gentium classicos authores longe antecellere.
 Cap. XI.

Per consequentia uidetur nonnihil etiam de-
 cendum esse de Antiquitate uerbi dei & scri-
 pturae canonicae deq; sacris scriptoribus. So-
 let enim uetustas & authorum prisca celebritas rebus
 quibuslibet haud modicam cōciliare aestimationem.
 Docui autem per huius libri principium uerbum dei
 statim ab ipso mundi exordio per dei inspirationem
 patribus reuelatum & ab his ceu per manus traditū
 esse posteris, donec instinctu dei MOSES ille scriptor
 in orbe omnium primus, istud referret in literas. Nūc
 ergo uel ex Gētilium codicibus seu testimonijs ostē-
 dam Mosē hunc nostrum antecessisse omnes illorū
 antiquitas poētas, historicos, legumlatōres & philosophos. Ab
 inuena

inuentoribus literarum auspicator. Quamuis ergo literarum usus, ut inquit Plinius lib. 7. cap. 56. æternus uideatur, Græcæ tamen & Latinæ literæ creduntur fieri tandem inuentæ. Communis eruditorum sententia censet literas in Græciam attulisse è Phœnice Cadmum sedecim numero A B C D E G I L M N O P R S T V, quibus Troiano bello Palamedè adiecisse quatuor hac figura $\Theta \Xi \Phi \chi$, totidem post eum Simonidè Melicum $\Sigma \text{H} \text{I} \Omega$, quarum omnium uis in nostris recognoscitur, Aristoteles X. & VIII. priscas fuisse A B Γ Δ E Z I K Λ M N O P P Σ T I Φ & duas ab Epicharmo additas Θ χ quàm à Palamede mauult. Iosephus autè in primo contra Appionem libro autumat Græcos ante Homeri ætatem omnino caruisse literis. At quantùm hæc sententia cū superiori discrepet uidere est ex supputatione annorum. Homerus enim sequendū Eratosthenis calculum post 100. annum Troianæ captiuitatis floruit. Appollodorus Atheniën. numerat 240. annos post excisum Ilium. Sed Cadmus bellum Troianum & urbem captam antecessit annis 259. ut nūc ad minimum anni 359. intercedant inter Cadmum & Homerum. Vt cunq; uero habeat istorū supputatio, certum est Mosen nostrum utroq; tam Cadmo quàm Homero antiquiorem esse.

Iam quod inuentis literis traditum est posteris, uel lex est, uita institutio sequendorum & fugiendorum regula, uel historia, testis temporum, lux ueritatis, magistræ uita, uel carmen, suauitate numerorum sese insinuans auditorum animis, uel disputatio philosophica, instituta de rebus diuinis & humanis. Cæterū Plinius in 7. lib. cap. 56. Ceres, inquit, prima leges dedit, Nasonè forte sequutus qui in 5. Metamor. cecinit, *Legislatores primi.*

Historici
primi.

Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.
 Græci uero iactitant suos Dracones, Solones, Zaleu-
 cos & Lycurgos. Alij gloriantur de Mercurio, Cha-
 rande, Pythagora, Minoë, & nescio quibus nomothe-
 tis. At hos omnes antecellit nō tēpore modo, sed inte-
 gritate etiā Moses. Profaicam orationem, ait Pli-
 nius, condere Pherecydes Syrius instituit, tempore
 Cyri regis, historiam Cadmus Milesius. Iosephus au-
 tem cum hoc iterum discrepans in libro contra Ap-
 pionem tradit moris fuisse Aegyptijs & Babylonijs,
 ut sacerdotes, quos hi Chaldaeos uocāt, res gestas cere-
 ta & perpetua serie conscriberent diligenter. Et hos
 quidem scriptores existimat ufos fuisse literis Phoeni-
 cijs. Idem, Qui historias, inquit, apud Græcos cōscri-
 bere tentauerūt, id est, hi qui circa Cadmum Milesiū,
 ut Acusilaus Argiuus, & post hunc quicūq; alij fuisse
 referuntur, paululum tempus Persicam, ut uidere est
 apud Hellanicum, militiam præcessere: sed eos etiā
 qui de cœlestibus & diuinis primitus apud Græcos
 sunt philosophati, id est, Pherecydem Syrum, & Py-
 thagoram, & Thaletem omnes concorditer conscri-
 tur Aegyptiorum & Chaldaeorum fuisse discipulos,
 & breuiter conscripsisse quæ à Græcis omnium anti-
 quissima iudicantur, ita ut uix ea credant ab illis fuisse
 conscripta. Ab his Strabo primo Geographiæ libro
 nihil abludens, Primum, inquit, ante omnia appara-
 tus ipse poëticus processit in medium & approbatus
 complacuit. Dehinc illum imitati, cum metrum solui-
 sent, reliquis poëticae seruatīs partibus, rem scriptis
 commendarunt, Cadmus uidelicet & Pherecydes &
 Hecataeus. Et mea quidem sententiā uidetur poë-
 tica omnium esse uetustissima. Fuerunt autem poëtae
 Athenæo

Poëte pri-
mi.

Athenæo & Pausania testibus ueteres sacerdotes, medici morum uitæq; magistri, animorum moderatores atq; adeo qui secreta naturæ docebant. Hi cum planè intelligerent uanam esse mentem hominis, ut quæ magis delectaretur fabulis quàm nuda & aperta ueritate, haud imprudenter imitati medicos, qui potiones amaras mellitis temperant succis, ueritatem ipsam & res arduas contexerunt fabulis, ut uel hac ratione iustitiam & uirtutes cõmendarent hominibus. Porro Iosephus contra Appionem, Constat autè quoniam apud Græcos, inquit, nulla inuenitur absoluta conscriptio poëmate Homeri uetustior. Cõtra quam sententiam Eusebius 10. libro præparationis euangelicæ, ostendit plurimos ante Homerum floruisse poëtas, Linum, Zetum, Philamonem, Thamyram, Amphyonem, Orpheum, Musæum, Epimenidem, Aristæum, Perseum, Aesculapiũ, & nonnullos alios, qui omnes Troianum bellum antecesserint. Idem Eusebius in præfatione operis *ἁγιωγράμ*, Homerus, inquit, Solone & Thalete Milesio cæterisq; qui cum his se- *Philosophi primi.* ptem sapientes appellati sunt, multò prior reperitur. Deinde Pythagoras extitit, qui non se sapientem, ut priores, sed *φιλόσοφος*, id est amatorem sapientiæ dici uoluit. Quem sequutus Socrates Platonem erudiuit, à quo famosa in partes philosophia diuisa est.

Hæc de prisci sæculi legislatoribus, historicis, poëtis & philosophis eorumq; tēporibus dicta sufficiant, addimus nunc quibus temporibus Moses floruerit, quem non semel diximus istos omnes longo interuallo antecessisse. MOSEN ergo Inachi fuisse temporibus eruditissimi uiri tradiderunt. Ex nostris Clemens *Quo tempore Moses floruerit.* & Africanus & Tracianus, ex Iudæis Iosephus &

Iustus, ueteris historiæ monimenta replicantes. Porro Inachus quingentis annis Troianum bellum antecedit. Ex ethnicis uero impius ille Porphyrus in quarto sui operis libro quod contra Christianos contextit, post Moysen Semiramim fuisse adfirmat, quæ apud Assyrios 150. ante Inachum regnauit annis: itaq; iuxta hostem illum nostrum 800. penè & 50. annis Troiano bello Moses senior reperitur. Vnde consequens est hunc Castore, Polluce, Libero, Mercurio, Apolline & cæteris dijs Gentium, ipsius quoq; Iouis gestis, quæ in Græcia in arce diuinitatis collocauit, uetustiorē esse. Illos enim omnes post Cecropem Diphym primum Atticæ regem fuisse constat. Cecropem autem Moysi coætaneum declarat Eusebius & antecedere Troianum bellum annis 350.

IVSTI-
NI *senten-*
tia de uetu-
state Mo-
sis.

Quamuis autē ista satisfacere queant Lectoribus, ascribam tamen in gratiam studiosorū, quid de eodem argumento Iustinus ille martyr Christi gloriosissimus & idem clarissimus philosophus scripserit. De Moysi enī antiquitate disputās in Admonitorio suo ad Gentiles, quem Latinum fecit Ioan. Franc. Picus Mirandulanus, Efficiam, inquit, ut percipiatis omnium siue historicorum siue sapientum siue poëtarum siue philosophorum siue legumlatorū, qui apud uos sunt, MOYSEN primum religionis nostræ magistrum multo esse se uetustiorē, idq; non ex nostris sed ex uestris demonstrabo historijs. Temporibus enim Ogigis & Inachi, quos pleriq; uestrorum terrigenas putauerunt, facta est Moysi mentio, ueluti ductoris & principis Iudaicæ nationis. Eius namq; Palæmon in primo Græcæ historiæ meminit & Appion Possidonij, tum in libro aduersus Hebræos, tum in quarto historiarum, et

ferens tempestate Inachi regis Argiuorum, Amaside
 in Aegypto regnante, Iudæos quibus præerat Moses
 defecisse, ijsq; Ptolomæus Mindesius consentit, qui
 res Aegyptias literarum monumētis commendauit,
 quicq; Atheniensium gesta cōscripserunt Hellenicus
 & Philocharus, qui res Atticas ut Castor & Tallus &
 polyhistor Alexander: amplius Iosephus & Philon,
 qui Hebræorum historias chartis mandauere, Mosi
 tanquam antiquissimi longeq; uetustissimi Iudæorū
 principis meminerunt. Sed & Diodorus apud uos hi *Diodorus*
 storicorum omnium probatissimus, qui Bibliothecas *de Mose.*
 compendio conclusit, & triginta continuos annos in
 Asia atq; Europa (ut ipse scribit) ambiēda cōsumpsit,
 nec non plurima proprijs oculis hausit, quadraginta
 suæ historiae libros reliquit. Quorum primo cum retu-
 lisset se à sacerdotibus Aegyptijs didicisse antiquum
 primumq; legislatorem fuisse Mosē, ita de eo ijs ipsis
 uerbis mentionem fecit, Post antiquam apud Aegy-
 ptios uitæ cōstitutionem, quam deorum hominumq;
 temporibus fuisse fabulantur, multitudini dicunt per-
 suasisse scriptis uti legibus eisdemq; gubernari Mo-
 sen magno animo uirum & probatissima uita celebra-
 tum. Idem paululum progressus dum uellet antiquo-
 rum legislatorum mentionem facere, primum citat
 Mosē, de quo in hæc uerba scribit, Apud Iudæos qui
 dem Mosē quem uocant deum, siue ob admirabilem
 diuinamq; notionem quam decernit hominum mul-
 titudini profuturam, siue ob excellentiā & potestatē,
 quibus uulgus ipsum susceptæ legilibētius obsequit.
 Secundum inter legis positores Aegyptios Sauchniū
 fuisse commemorat, insignem prudentia uirum, Ter-
 tium Sesochofin dicunt regem, qui non modo inter

Aegyptios bellicis negotiis præcelluerit, uerum etiam bellacem gentem legum positione frenauerit. Quarta tum Bochorim statuunt, & eundem regem quem memoriam prodiderunt, & de modo regnandi & de domestica dispensatione Aegyptiis præscripsisse. Quintus dicitur Xerxis pater Darius Aegyptiis legibus addidisse. Hæc uiri Gentiles de Mosis antiquitate literis mandauerunt, qui alieni sunt à nostra religione, & ea ipsa se ab Aegyptiis sacerdotibus didicisse retulerunt, apud quos non solum natus est Moses, sed etiam Aegyptia eruditione dignus est habitus.

*Tempora
philoso=
phorum
indicantur*

Idem post aliquot uerba subiungit, Necessarium autem existimo rationem haberi temporum quibus uiristri florere philosophi, ut noscatis eam, quæ uobis istos attulit ætatem, recentiorē & propinquam ad modum esse. Sic enim Mosis antiquitatem facilius cognoueritis. Ne autem de temporibus differens, pluribus argumentis usus, rem protrahere uidear, hinc paulo mihi exordiendum esse, Socrates Platonis, Plato Aristotelis præceptor fuit. Hi autem Philippi & Alexandri temporibus floruerunt, quemadmodum nobis Atheniensium Rhetores planè testantur, præsertimque Demosthenis contra Philippum scriptæ orationes. Quod autem Aristoteles Alexandro dum regnaret conuixerit, qui Alexandri gesta conscripserunt, abunde manifestat. Facile ergo est undecumque colligere Mosis historiam omnī exotica historia longe antiquiorē. Minime namque ignorare uos decet, nihil esse Gentilibus historiis exacte mandatum ante Olympiadas, nec ullam antiquam extare conscriptionem, quæ aut Graecorum aut Barbarorum gesta significet, sola prophetæ Mosis præcessit historia, quæ afflatione diuina Hebrais

Olympiades.

bræis literis ipse præscripsit, Neq; enim adhuc erant Græcæ literæ, sicuti earum præceptores literarum declarant, asserentes Cadmum ipsas ex Phœnicia primum attulisse & Græciæ tradidisse. Et primus inter uestros philosophos Plato testatur eas posterius inuentas, quippe qui in Timæo scripserit Solonem, inter sapientes sapientissimum, ex Aegypto redeuntem hæc ipsa Græciæ retulisse, quæ ipse ab Aegypcio sacerdote nec sanè uetusto audierat ad se dicente, O Solon, Græci semper estis pueri: nec apud Græcos senex quispiam. Et rursus, Omnes, inquit, quod ad animas pertinet iuuenes estis, neq; antiquam ullam opinionem, aut quicquam longæui temporis in illis habetis, nescitis autem multa sæcula mutis uobis peracta esse, ob id quod literis caruistis. Quapropter scire conuenit omnem historiam fuisse Græcis exaratam literis, quæ posterius inuentæ sunt, quibus utiq; literarum elementis si quis recte memorari uoluerit, inueniet omnem conscriptionem memoriæ commendatam, siue antiquorum poëtarum, siue legislatorum, siue philosophorum, siue rhetorū. Idem in eodem libro, quod nouum fortè quibusdam uideri poterat, ostēdit, quod Gentium poëta & philosophi à Mose didicerint, quam diuersa ab ijs quæ didicerāt tradiderint in suis uoluminibus. Neq; enim plerosq; uestrū latere, inquit, & Orpheus & Diodori & aliorū docuit historia, quod ensium scripsit, Homerus, & Solon, qui leges Athenensium scripsit, sed & Pythagoras & Plato & alij non nulli in Aegypto fuere, qui simulac ab historia Mosis eruditi sunt, illis ipsi contraria definiuere quæ prius amplexati fuerant. Post hæc multis ex Orpheo, Homero, Sophocle, Pythagora, maxime autem Platone

*Gentilium
auctores à
nostris didicerunt.*

DE SCRIPTURA

*Relinquitur
di libri
Gentium,
sacra legenda sunt*
 demonstrat Iustinus quæ ex Mose & prophetarum oraculis acceperint. Ad finem autem omnium horum fructum enarrans, Sed quamobrẽ iam uiri Gentiles, ait, horum mentionem feci? Vt cognoscatis fieri non posse ut religionem ueram ab illis addiscatis qui ne in his quidem rebus quicquam synceri ex seipsis scribere potuerunt, in quibus à prophanis sui generis hominibus collaudantur, quicquæ certa ueluti allegoria suis lucubrationibus deprompserunt ea quæ à Mose & reliquis prophetis didicerunt. Tempus igitur Gentiles uiri nunc postulat, ut qui ab exoticis historijs didicistis Mosen & reliquos prophetas eorum omnium qui apud uos sapientes existimati sunt, multo fuisse uetustiores, recedatis ab antiquo maiorum errore, & diuinitatis prophetarum historijs occurratis, cognituri ab eis uerum dei cultum, nõ artificiosi eloquijs artibus, non persuasionum illecebris enunciatum, hoc enim illorum proprium quos obfuscandæ ueritatis cupido perurget, sed pure atq; simpliciter: nominibus quoq; & uerbis quæcunq; se obtulerunt utentur illi, & uobis ea proferent, quæ sanctus in eos descendens spiritus afflauerit, refundenda in eos quibus mens est religionem ueram percipere.

Potentissimi in orbe reges magni fecerunt scripturas.
 Ad antiquitatem & præstantiam scripturæ canonicæ afferendam uidetur & illud facere quod potentissimi & maximi huius orbis monarchæ uerbo dei & religioni secundum hoc institutæ plurimum detulerunt. Notissima sunt quæ de maximo illo Babylonico rege ac uictore Nabuchodonosore scripsit Daniel, nec ignotiora sunt quæ de potentissimis regibus Persarum Cyro & Dareo Ezras retulit & Nehemias. De Alexandro magno testatur Iosephus

Iosephus quod suam illam fortunam & uictorias clarissimas, non sibi tribuerit, sed deo nostro uiuo et æterno ascripserit. Veniens enim Hierosolymam summum sacerdotem adorauit, causam uero à Parmenione rogatus, qui fieret ut cum omnes regem adorarent, ipse sacerdotem adoraret Iudaicum, respondit, Non hunc adorauit, sed deum cuius principatu sacerdotij functus est. Nam per somnium in huiusmodi cum habitu conspexi adhuc in Dio ciuitate Macedoniae constitutus, dumq; mecum cogitassem posse Asiam uincere, incitauit me, ut nequaquam negligere, sed confidenter transirem. Nam se perducturum meum dicebat exercitum, & Persarum traditurum potentiam; ideoq; neminem alium in tali stola uidens, cum hunc aduertissem, habens uisionis & probationis nocturnæ memoriam salutauit. Exinde arbitror diuino iuuamine me directum, Dariumq; uicisse uirtutēq; soluisse Persarum. Et hac quidem confessione licet amplissima minime contentus, insuper & in templum ascendit, & deo uero sacrificauit, haud suo ritui pertinaciter inharēs, sed sacrificauit ad Iudaici sacerdotis præscriptum. Obtulit præterea dona munificentissima, imò & sacerdotem cum plebe iussit uti lege patria, nimirum agnoscentes priscam & inuiolatam scripturarum fidem. Certe uaticinium Danielis quod ipsi prælegebatur ueneratus maximopere laudauit, admirans prophetiæ certitudinem. Fuit autem hic bellator Alexander & multorum deprædator regnorum, in deum, ministros dei ac scripturas diuinas, longe pientior, quam hodie sint pleriq; episcopi & monachorum abbates, quibus nihil est frequentius & furuius quam perpetua impietate & uerbum dei & ministros uerbi dei proscindere

lacerare atq; proculcare.

De Lxx.
interpreti
bus.

Lxx. interpretibus. Demetrius Phalereus regiae bibliothecae magister, coram rege gloriosissimo Ptolomaeo Philadelpho, de bibliotheca lege dei ornata disferens, disertis uerbis testatur, & ait, Scias rex legislationis Iudaicae uolumina nobis cum alijs deesse. Nam figuris Hebraicis & uoce gentili conscripta inexplicabilia nobis existunt. Videtur autem esse sapientissima et integra legislatio sicut a deo data est. Idcirco caeterius abdita a poetis seu conscriptoribus historiarum ut non facile meminerint eius neq; uirorum qui secundum hanc legem uixerunt. Nimis enim casta est ea quam non oportet prophanis linguis exponi. Et hoc quidem scripturarum maximi uiri praeconeio tanta diuinae legis cupidine accensus est rex, ut eius assequenda gratia nihil non faceret. Principio enim omnes in regno suo Aegyptio Iudaeos clementissime tractauit, imò & multa millia captiuorum & seruentium donauit libertate. Deinde per uiros praestantissimos Andream & Aristaeum incomparabilis pretij dona ad templum misit Hierosolymitanum. Tandem uero & scripturas sacras assequutus & interpretes seniores Israelis numero Lxx. maxima cum gloria ad omnes Gentes ueracissima in Graecum ex Hebraeo translata dei eloquia promouit. Cum enim lingua Graeca eo tempore omnibus prope Gentibus cognita esset & communis, non potuit uerbum dei per aliam spargi latius quam per linguam Graecam. Et dubio procul effecit hoc diuina prouidentia per maximi nominis regem, ut ita omnes Gentes pararet ad praedicationem euangelij Christi, quod post annos prope ducentos & quinquaginta

quinquaginta aut paulò plures per totum terrarum orbem prædicatione apostolica diffusum est. Inter Gentes enim illi paululum propensiores erant ad prædicationem euangelicam, quibus oracula prophetarum non omnino incognita erant. Videre hoc licet in illius Eunuchi Meroensis exemplo, qui descendens ab urbe Hierosolymorum, ad quã non ita multis ante diebus ascenderat adoraturus, legebat in curru Isaiam prophetam. Id uero cum obseruasset Philippus, adiunxit se curru, in quem mox principis uiri humanitate subleuatus, audit ex Isaiã sibi Christum prædicari, quem & complectitur & nostra religione imbuatur.

Quod si propius contemplerur & exactius pensitemus scriptorum nostrorum & pietatem & eruditio-
nem, minus mirabimur quod tantæ existimationis fuerint apud Gentes. Nam ut & de hac re in transcurso paucula hæc dicam. Verissime uidetur D. Hieronymus Dauidem Christianorum appellare Simonidem, Pindarum, Alceum, Flaccum quoque, Catullum & Serrum. Nam his omnibus nihil cedunt carmina nostra sacra, siue iucunditatem spectes, siue suauitatem honestam, siue eruditam rerum tractationem, siue energiam, imò nostra illorum hoc nomine multis superant nominibus, quod nihil habent spurci, nihil scurrilitatis & quod bonos mores potest coinquinare. Iam & collegium oratorum siue prophetarum nostrorum eloquens est, doctum, illustre, & omnibus ornamentis pulchræ orationis decens & comptissimum. Et ut de aliquibus quædam tantum dicam, nonne Isaias & Ieremias tunc grauitate tum omni orationis uirtute summo Ciceroni & eloquentissimo Demostheni? Daniel

A. A. S.

De doctrina ex eloquentia scriptorum.

Daniel.

maximum in mundo miraculum solus meretur no-
 men polyhistoris. Nam ut omnium regnorum fata re-
 censeat, ita breui historia complectitur & absoluit quic-
 quid logodedali gentium uix multis incipiunt libris.
 Solus perfecte describit res Babyloniorum, Persarum,
 Macedonum & Romanorum. Idē ille pingit res Chri-
 sti, regnum Christi, Antichristi consclerationem, sol-
 & urbis & orbis excidium. Quis autem grauius, per-
 spiciatius, neruosius, uerius & melius disputat de uita
 beata, de summo bono, de finibus bonorum & malo-
 rum, de appetendis & fugiendis, de uirtutibus, imo et
 de deo & rebus diuinis nostratibus philosophis, hoc
 est theologis? Prophetas & apostolos intelligo. No-
 stra religio uirum habuit philosophum, ad quem a fi-
 nibus terrae confluebant principes cum uiri tum fe-
 minae, ut eius modo audirent sapientiam. Is non Hira-
 chas aliquis in throno sedens aureo & de Tantali for-
 te potans, est, sed mortalium sapientissimus Solomon.
 Cui multos alios non gymnosophistas, sed diuinos re-
 ligionis scilicet nostrae cultores uiros sapientissimos,
 si liberet singula ad longum exponere, adiungere po-
 semus. Porro quisquis historicos nostrates contule-
 rit cum historicis Gentium, ni uerum fateri nolit, di-
 cet a nostris res maximas paucissimis ijsq; euidentissi-
 mis & maxime delectis cum uerbis tum sententijs esse
 se descriptas, imo nihil ab eis tractatum nisi cuius in-
 signis aliquis usus sit. De istis pronuntiabit quod lon-
 go orationis ambitu Lectores circunducant, quod au-
 res auditorum peritura mox suauitate plus demul-
 ceant quam animos rebus pulchris imbuant, quod
 plerunq; siue pro amore siue odio affectiue corrupte
 ex musca quod dici solet faciant elephantem, ex re se-
 ria

Solomon.

ria ridiculā, ut iam nihil dicam de uitijs eorum id ge-
 nus alijs innumeris. D. Aurel. Augustinus lib. de Do-
 ctina Christiana 4. cap. 6. hanc quæstionem propo-
 nens, An authores canonicæ scripturæ sapientes tan-
 tummodo an eloquentes etiam nuncupandi sint? Et re-
 spondet erudite in hæc uerba, Hæc quæstio facile solu-
 uitur. Nam ubi eos intelligo non solum eis nihil sapi-
 entius, uerum etiam nihil eloquentius mihi uideri po-
 test. Et audeo dicere omnes qui recte intelligunt quod
 illi loquuntur, simul intelligere, non aliter illos loqui
 debuisse. Sicut est enim quædam eloquentia quæ ma-
 gis ætatem iuuenilem decet, est quæ senilem, nec iam
 dicenda est eloquentia si personæ non congruat elo-
 quentis, ita est quædam quæ uiros summa authorita-
 te dignissimos planeq; diuinos decet. Hac illi loquuti
 sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa, ipsis enim con-
 gruit, alios autem quanto uidetur humilior, tanto al-
 tius non uentositate sed soliditate transcendit. Vbi ue-
 ro eos non intelligo, minus quidem mihi eorum appa-
 ret eloquentia, sed eam non dubito esse talem, qualis
 est ubi intelligo. Ipsa quoq; obscuritas diuinorum sa-
 lubriumq; dictorum tali eloquentiæ miscenda fuerat,
 in qua proficere noster intellectus non solum inueni-
 tione uerumetiam exercitatione deberet. Possent qui-
 dem si uacaret omnes uirtutes & ornamenta eloquen-
 tiæ, de quibus instantur isti, qui linguam suam nostro
 præponunt, ostendere in istorum literis sacris, quos
 nobis erudiendis & ab hoc sæculo prauo in beatum
 sæculum transferendis prouidentia diuina prouidit.
 Sed non ipsa me plus quam dici potest in illa eloquen-
 tia delectant quæ sunt his uiris cum oratoribus Gen-

tilium poetisue communia. Et quæ sequuntur. Nam pluribus per cōsequentia ostendit in sacris literis germanam inesse eloquentiam, quæ cum sapientia inseparabiliter sit coniuncta. Proinde quotquot obijciunt nobis scripturarum agrestem & rudem impolitumue stilum, & ignorantiam suam produnt & corruptionem. Nam animis adeo sunt molliculis ut nihil sustineant solidi. Elegans his nihil est nisi idem & canorū sit. Vera eloquentia ea proprie dicenda est, quæ rem quamlibet paucis & ad rem appositis, perspicuis & evidentibus uerbis explicare, & ueluti oculis subijcere potest. Et hanc eloquentiam in solis literis sacris inuenias. Prophanī quidem scriptores res quas tractant tot uerborum meandris inuoluunt ut uix te extrices. In scribenda historia Sallustio prima gloria celsa sit apud eruditos, nimirum quod paucis ijsq; propriissimis uerbis res exposuerit arduas. Quid quod ipse Euripedes author prophanus, Erasmo interprete, contra uanos illos loquentis eloquentiæ admiratores pronunciat, & ait:

Nam ueritatis sue uit esse oratio
 Simplex, uafis nec est egens ambagibus
 Interpretum, siquidem ipsa per se congruit.
 At sermo iniquus quia per se sit morbidus
 Medicamina exquisita deposcit sibi.

Doctissimi
 quiq; ex
 eruditiß.
 relicta phi
 losophia
 scripturas
 receperūt.

Ad commendationem sacrorum scriptorū etiam illud pertinere uidetur, quod optimi quiq; & maximī nominis apud Gentiles uiri deserta Gentili philosophia ad nostram sese fidem & philosophiam scripturis traditam conuerterunt. Non erant illi ueræ eloquentiæ ignari, non deerat illis uera eruditio, neq; priscam maiorum antiquitatem nesciebant, neq; eò uenerant clementia;

dementia, ut à bobus, quod dici solet, transcendere li-
beret ad asinos. Relicta autem philosophia sæculari,
nostra demum dogmata ambabus manibus amplexi
sunt, proinde consecræ est nostros scriptores &
nostram philosophiam præstare siue antecellere. Cæ-
terum ne quis sibi fucum fieri metuat, ex innumera
nunc turba eruditissimorū uirorum, certos aliquot,
primum strenuos & famosissimos philosophiæ, demū
uero nostræ professionis, sectatores fidelissimos recen-
sebo. *IUSTINVS* philosophus habitu quoq; philo-
sophorum incedens apprimèq; in secta Platonica, ut
ipse de se scribit, institutus, ad nostrā tandem conuer-
sus professionem, non tantum libros contra Gentes
conscripsit, sed & sanguinem suum pro Christo & ue-
ritate uerbi dei effudit, manifestissime illis significans
atq; testificans nostram præstare philosophiam. *TACIANVS*
quoque uir apud Gentes eruditissimus, in
prima statim ætate sua, cum maxima omnium sui ad-
miratione oratoriā docuit, deinde in Platonis partes
concessit, cumq; omnium philosophorum libros dili-
genter peruestigasset plurimumq; ætatis contriuisset
in ipsis, postremo ad nostra studia, utpote meliora, ar-
denti sese animo contulit, & libros contra Gentiles
composuit. Quis autē doctissimis Antonini & Com-
modi temporibus illustrior *PANTAENO* repertus
est: Huius enim inter Stoicos prima erat palma. At
tibi hic post multa philosophiæ studia nostras cogno-
uisset scripturas, tanto studio et amore erga uerbū dei
exarsisse dicitur, ut etiam ad prædicandū Christi euan-
gelium omnibus Gentibus, quæ in extimis orientis
partibus secessibusq; reconduntur fidei calore profe-
ctus sit, & usq; ad Indiam citeriorem uerbum dei præ-

*Iustinus.**Tacianus.**Pantænus.*

dicando peruenerit. Magna erat eruditorum copia etiam Pertinacis & Seueri imperio, sed inter omnes

Ammonius.

AMMONIUS ille, uel Porphyrio teste, summam obtinuit; uerum idem ille spreta philosophia scripturas canonicas recepit & in religione nostra usque ad finem uitae suae constanter perseuerauit.

Cyprianus.

CYPRIANUM uero quis nesciat in omnibus philosophiae partibus fuisse instructissimum, & eundem illum maxima cum gloria etiam Romae ubi oratoria tum maxime florebat rhetoricam docuisse; Rursum quis ignorat eundem illum episcopatum famosissimae Carthaginis suscepisse & sanguinem suum fudisse pro uerbo ueritatis? Ad

Origenes.

ORIGENEM uenio, qui studiorum suorum etiam philosophos plurimos habuit testes, quorum nonnulli liberos suos ad ipsum scribebant, alij autem iudicio eius comprobandos deferebant. Quid quod ipse etiam Porphyrius Christiani nominis hostis hunc non ut philosophum tantum admiratur, sed pro ipsa propemodum philosophia adoratur; indignans interim quod uir tantus scripturas nostras & recepisset & ornasset. Tertio enim aduersus Christianos libro, quemadmodum recensuit Eusebius, Origenes, inquit, cum esset paganus & Gentilibus, id est Graecorum studijs eruditus, ad ritum religionis barbarum declinauit, quo se conferens omne illud praecclarum ingenium philosophiae literis expolitum uitiauit atque corrupit, dum uitam quidem tanquam Christianus & impius agit, doctrinae uero & eruditionis Graecorum praefulgidum lumen ineptis & fabulosis narrationibus occupauit. Atque sequutus quippe fuerat omnia Platonis secreta. Institutus fuerat in libris Numenij & Chronij & Apollonij & Longini, sed & Moderati atque Nicomachi. In

In Pythagoricis uero summorum uirorum non eum latuere commentarij, Attingit etiã Charemonis Stoici & Cornuti uolumina, Ex quibus omnia secreta quæcunq; & mystica apud Græcos habentur assumens, ritui barbaro & superstitionibus Iudaicis coaptauit, ac philosophorum gloriã ad dogmata externa & peregrina conuertit, Hæc Porphyrius, Tantum autem testimonium etiam ab hoste meruit, qui cum non inueniret quod in literis culparet Origenis, ad conuitia & maledicta sese conuertit, & talibus eum conspergit maculis, quales nos illi merito omni laude dignissimas & mera ornamenta esse putamus.

Possẽ præter hos maximos in urbe & orbe philosophos, oratores & sapientes uiros cõmemorare, Africanum, Heraclã, Serenum, Minutium Felicem, Appollonium, Musanum, Anatolium, Melitonem, Milciadem, Rhodonem, Optatum, Hippolytum, sed & Dionysios, Clementes, Maximos, Theophylos, Victorinos & innumeros alios, qui deserta sæculari philosophia, in qua tamẽ erant absolutissimi artifices, ad literas & scripturas nostras omnia studia sua conuertit, Hodie uero cõtraria nobis probãtur studia. Vidas enim non paucos scripturæ studia ut horrida & inculta deserere, fallacem uero sed splendentem & fucoperegrino nitẽtem illam philosophiam summa insequi impotentia. Verum contra hos alibi erit cõmodior agendi locus. Ex ijs autem quæ hæcenus tradidit colligere licet scripturam, quæ uerbum dei est, philosophia Gentili non modo uetustiorẽ esse, sed scriptores etiam canonicos longo post se interuallo omnes Gentium scriptores relinquere. Vincit ergo prorsus & longe præcellit omnem mundi sapientiam diuinã

uerbi diuina ueritas, Quocirca D. Augustinus lib. de
 Ciuitate dei II. cap. I. non minus eleganter quam ueraciter
 pronunciauit, Ciuitatem dei dicimus, cuius ex
 » scriptura testis est, quæ non fortuitis motibus animo
 » rum, sed planè summæ dispositione prouidentiaè sit
 » per omnes omnium Gentium literas, omnia sibi gene
 » ra ingeniorum humanorum diuina excellens auctori
 » tate subiecit, Ibi quippe scriptum est, Gloriosa dicta
 sunt de te ciuitas dei. Et in alio Psalmo legimus, Ma
 gnus dominus & laudabilis nimis, in ciuitate dei no
 stri, in mōte sancto eius dilatans exultationes uniuersa
 sæ terræ. Et paulò post in eodem Psalmo, Sicut audi
 uimus ita & uidimus in ciuitate domini uirtutum, in
 ciuitate dei nostri, Deus fundauit eam in æternum.
 Item in alio, Fluminis impetus lætificat ciuitatē dei,
 sanctificauit tabernaculum suum altissimus, deus in
 medio eius non commouebitur.

De pietate & uero dei cultu interno et externo, & quod
 scriptura sancta omnia quæ ueræ pietatis sunt perfecte
 tradat. Cap. XII.



Estat ultimum quod reuera primum est, ut
 demonstramus scripturam canonicam per
 omnia perfecte absolutam, omnia continere
 quæ ueræ pietatis sunt, adeò ut post illam pietatis stu
 diose nullis opus sit traditionibus humanis quibus
 sarciat quod quibusdam legislatoribus in illa diminutum
 uidetur. Cæterum ad hanc rem demonstrandam
 necessariū erit pauca quædam delibare, primo quod
 dem de uera pietate quid sit, deinde quod ad hanc pie
 tatem nihil conferant traditiones humanæ.

Pietas
 quidē

ΕΥΡΕΙΣΤΑ ergo, quæ Latinis pietas dicitur, ex etymo
 sonat

sonat bonus siue uerus cultus, religionem alibi uertit
 D. Hierony. & Aurel. August. ad Macedonium epi-
 stola 52. Pietas est, inquit, uerax ueri dei cultus, unde
 omnia recte uiuendi duci oportet officia; & ad D. Hie-
 ronymum epist. 29. Pietas, inquit, quam Græci uel *εὐ-*
σεβειαν uel expressius & plenius *θεοσεβειαν* uocāt, aliud
 non est, quàm iustus dei cultus. Iam uero quis sit ue-
 rus dei cultus et quibus omnino coli uelit deus, ex scri-
 pturis cognoscamus, Moses itaq; Deut. 10. de uero dei *Quibus*
 cultu per compendium disputans, Et nunc Israel, in- *rebus con-*
 quit, quid dominus deus tuus petit à te, nisi ut timeas *latur deus.*
 dominum deum tuum, & ut ambules in uisus suis om-
 nibus, diligas eum & seruias domino deo tuo, in toto
 corde tuo & in tota anima tua: ut scilicet custodias
 precepta domini & statuta eius quæ ego præcipio ti-
 bi hodie ut bene sit tibi: Ex his autē colligimus, deum
 coli spiritu, uero animi timore, amore dei & mandato
 rum obseruatione, non quorumlibet, sed eorum quæ
 ipse præcepit, & quæ in tabulas digito proprio scripsit,
 & per Moſen toti mundo innotescere uoluit. Prophe-
 ta item Michæas his concinens, postquam omnis ge-
 neris bona opera & cultum dei uarium specialiter e-
 tiam enumerasset, tandem subiungit, & ait, Indicabo *Mich. 6.*
 tibi o homo quid sit bonum & quid requirat à te domi-
 nus, nempe facere iudicium, & diligere beneficentiã,
 & sollicite ambulare cum deo tuo. Quid hoc aliud est
 quàm si dixisset: Verus dei cultus non consistit in ul-
 la re externa, sed in amore dei & pximi, hoc est in stu-
 dio rerum diuinarum sedulo, nempe in fide, spe, inno-
 centia & charitate. His consentiunt quæ dominus a-
 pud Marcum in 12. cap. docet respondens legisperito,
 quodnam sit mandatum in lege primum. Apud Io- *Ioan. 6.*

annem interrogantibus Iudæis, Quid facimus ut opemur opera dei? respondit dominus, Hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille. Audis fidem in Christum opus esse uere bonum, ueram pietatem & religionem, uerum denique cultum. Paulus quoque, Hec est uoluntas dei, inquit, sanctificatio uestra, ut abstinatis à scortatione, & sciat unusquisque uestrum suam uas possidere cum sanctificatione & honore, non cum affectu concupiscentiæ. Omnibus autem istis concluditur uerum dei cultum esse fidem, innocentiam & charitatem, & per consequens pietatem ueram consistat in studio dei, fide, charitate & uitæ innocentia. Adde sententiam, quæ in libro de uero cultu cap. i. in hæc uerba legitur, Venio ad id quod est summum opus huius & maximum, ut doceam quo ritu quouere sacrificio deum coli oporteat. Id enim est hominis officium in eoque solo summa rerum & omnis beatæ uitæ ratio consistit, quandoquidem propterea facti & inspirati ab eo sumus, non ut cælum uideremus & solem (quod Anaxagoras putauit) sed ut artificem solis et cæli deum pura & integra mente coleremus. Nihil enim sanctius & singularis illa maiestas aliud ab homine desiderat, quàm solam innocentiam, quam si quis obtulerit deo, satis pie religioseque litauit. Homines autem neglecta iustitia, cum sint omnibus flagitijs ac sceleribus inquinati, religiosos se putant si templa ac aras hostiarum sanguine cruētauerint, si focos adoleuerint, ac ueteris ueni perfusione madefecerint. Quicquid aspectu raro se dijs suis, non ex aliqua diuinitatis ratione, quam nesciunt, sed ex suis cupiditatibus iudicant, nec intell-

2. Thef. 4.

Falsare= ligio=

gunt

gunt terrenis operibus deū non indigere. Nihil enim sapiunt nisi terrā, bonāq; & mala solius corporis sensu & uoluptate perpendunt. Huius arbitrio ut religionem ponderant, sic totius uitæ suæ acta disponunt. Et quæ sequuntur. Nam & in hoc cap. & sequenti plurima huius generis disputat.

Quis uero nesciat omnia ea, quæ de studio dei, de fide, deq; charitate in deū & proximū, id est de officijs uitæ et pietatis, itē de integritate & sanctimonia uitæ, scire refert, literis comprehensa esse canonicis? Quod si dubitas adhuc, audi dicentem Moſen, Et nunc *Deut. 4.* rael audi statuta & iudicia, quæ ego doceo uos, ut faciatis atq; sic uiuatis, & intretis possideatisq; terram, quam dominus deus patrum uestrorum dat uobis. Non addetis super uerbū, quod ego præcipio uobis, neq; minuetis ab eo, ut seruetis præcepta domini dei uestri, quæ ego præcipio uobis. Necessè autē est eam legem perfecte absolutam esse, cui nihil uel addi potest uel adimi. Quod si maior est apud te Christi & apostolorum autoritas, meminisse oportet Samaritanam dixisse ad dominum, Scio quod Messias uenturus est, qui dicitur Christus, cum ergo uenerit ille nobis nūciabit omnia. Cui respondit Iesus, Ego sum qui loquor tibi. Hæc extant apud Ioannem in cap. 4. In 15. capit. ad discipulos ait dominus, Vos amici mei estis, si feceritis quæcunq; ego præcipio uobis. Non posthac uos dico seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autē dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo nota feci uobis. Iam & Petrus *2. Pet. 1.* apostolus gratulans felicitati nostræ quod omnia quæ uere pietatis sunt abunde nobis sint tradita exclamat, Quam uero diuina uirtus oīa nobis largita est, quæ

Act. 20. ad uitam & pietatem pertinent, per agnitionem eius qui uocauit nos per gloriam & uirtutem. Paulus quoque Apostolus ualedicens apud Miletum Ephesinis presbyteris, Contestor uos hodie, inquit, quod mundus ego sum à sanguine omnium. Non enim subterfugí quo minus annunciarim uobis omne consilium dei. Proinde quæ ueræ pietatis sunt uerbo dei plane nobis sunt tradita. Nã quod aduersarij obijciunt, Tradita sanè sed non scripta esse, diluemus cap. 14.

De exter-
no dei cul-
tu.
1. Tim. 4. Quæris hic, scio, An aliquid ad pietatem momenti habeat cultus exterior, cum hæctenus claruerit uerum dei cultum circa interna uersari? Hic tibi respondet diuinus Apostolus Paulus, & ait: Exerce temerè ipsum maxime ad pietatem. Nam corporalis exercitatio paululum habet utilitatis, at pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat uitæ præsentis & futuræ. Multis ergo nominibus ipsa interna pietas præstat, in qua se sancti ante omnia & præcipue exercēt, interim uero non contemnunt si quæ data sunt externa dei instituta, ut certe sunt. Nam dominus tam in ueteri populo quàm in nouo externū quoq; cultum instituit. Verum hic duo maxime uidentur spectanda. Prius, exercitium externi cultus nihil ad uitã prodesse, nisi ipse dei spiritus ipsaq; fides cultoris pectus occupauerit prius. Nam fides iustam existimationem externo cultui conciliat, qui infidelibus aliàs risum commouet. Posterius, certū esse finem & causas certas ob quas ille institutus est à domino, certe non ut iustificet aut gratiam conferat, sed ut ancilletur religioni internæ & internum cultum exercent, præterea testetur atq; representet diuina beneficia, adeoq; & ueluti oculis contuenda subiiciat, deniq; ut homines qui infirmi

infirmi sunt & rebus uisibilibus maxime mouentur,
 haberent quo abstraheretur à prophanis ritibus Gen-
 tium, colligerentur autem in societatem populi dei,
 atq; in suo retinerentur officio, dum frequentius ob-
 oculos reuocarentur diuinæ bonitatis signa ac testi-
 monia, & in his quilibet sui admoneretur officij. Huc
 autem omnes ueterum ante Christi aduentum cere-
 moniæ sunt referendæ. Huc pertinent & illæ observa-
 tiones ac instituta quæ nobis de ministerio uerbi & sa-
 cramentorum dei tradita sunt. Neminem opinor of-
 fendit quod sacramenta Veteris & Nouæ legis con-
 iungens æquauerim. Quis enim ignorat Apostolum
 diserte dixisse, Patres nostri omnes eandem escam spi-
 rituali comedebant, & omnes eundem potum spiri-
 tualem bibebant. Bibebant enim de spirituali, quæ il-
 los comitabatur petra. Petra uero fuit Christus. Quis
 ergo iam non intelligat etiam eandem esse rationem
 sacramentorum ueteris & nouæ legis nisi quod illa si-
 gnificabant Christum uenturum, nostra exhibitum
 testantur. Nā hoc est quod alibi scribit Augustinus, dicitur in Psal. 73.
 Sacramenta nouæ legis salubriora & feliciora
 his, quæ in ueteri lege, eo quod illa promittant, hæc
 dent. Noluît enim nostris maiorem uim tribuere qua
 si ipsa conferant gratiam & sua uirtute res exhibeant
 significatas, sed quod nostra significant ea nobis à deo
 per Christum esse data ac exhibita, quæ patribus sue-
 rant promissa sed nondum præstita. Quod si tibi ui-
 deor parum candide Augustinianam interpretari sen-
 tentiam, ipse legito eundem copiosiora de his differen-
 tem, Tractatu in Ioan. 45. item lib. contra Faustū Ma-
 nichæum 19. cap. 11. & sequentibus. Nam non institui
 in præsentî de sacramentis & eorum efficacia disputa-

rare, sed hæc per occasionem & quantum instituto no-
 stro sufficit tantum annotare. Pergimus ergo nunc in
 negotio nostro. Quemadmodum uero omnia quæ faci-
 unt ad pietatem internam, plene nobis sunt tradita.
 ita quicquid externi cultus & exercitiij deo placet, liti-
 ris est comprehensum canonicis, ita ut nemo sibi sua
 uel rationem uel bonam intentionem credat esse se-
 ctandam. De ueteris populi statutis & ritibus ecclesi-
 sticis apertum habemus testimonium in 12. cap. Deu-
 teronomij, in hæc uerba positum, Non facietis iuxta
 omnia ea quæ nos hodie hic facimus, unusquisque quod
 rectum est in oculis suis. Quicquid igitur ego præci-
 pio uobis, id obseruabitis ut faciatis, non addes quic-
 quam super ipsum nec minues ab eo. Iam si quis Acta
 Apostolica & literas apostolorum diligenter expen-
 dat & excutiat, dicet illos in externis paucissimis suis
 se contentos, & iisdem cōstanter usos esse formis agen-
 di. Comprehēdunt Acta apostolorum gesta ab ascen-
 sione domini annorum paulò minus XXVIII. In his
 tamen actioni solenni Baptismi, Cœnæ aut Prædica-
 tioni uerbi dei, ne tantillū quidē uel additū uel adem-
 ptum legimus, unde iam absoluta eorū perfectio colli-
 gitur. Constat præterea eandem rationem aliquot sæ-
 culis diligenter custoditam esse apud posteros. Nesci-
 runt enim aliquot sæcula illa quæ temporum succes-
 sione & quorundā episcoporum obseruatione in ex-
 terno dei cultu uel addita uel adempta sunt. Interim
 uero nemo pius statim dixerit primitiuam ecclesiam
 quæ omnium sanctissima fuit, in aliquo fuisse diminu-
 tam, aut ipsam non plene & pleno dei cultu inserui-
 se domino. Quod autem quidam obijciunt de circum-
 stantijs, quæ uersantur circa sacramenta, sequenti ca-
 pitulo

pite ostēdemus & illas esse petitas ē scripturis, quā-
 uis uocentur traditiones ecclesiasticæ. D. Apostolus 1. Cor. 11.
 Paulus Corinthijs aliud tradere noluit de cœna domi-
 ni, q̄ quod acceperat ab ipso domino. Extat adhuc ho-
 die locus de hac eadē re clarissimus apud S. dei marty-
 rem Cyprianum, qui epistolarum lib. 2. epistola 3. Nō
 est ergo frater charissime, inquit, quod aliquis existi-
 met sequendam esse quorundam consuetudinem, si
 qui in præteritum in calice dominico aquam solam of-
 ferendam putauerunt. Quarendū est enim ipsi quem
 sint sequuti. Nam si in sacrificio quod Christus est, nō
 nisi Christus sequendus est, utiq̄ id nos audire & face-
 re oportet, quod Christus fecit & faciendum esse man-
 dauit, cū ipse in euangelio suo dicat, Si feceritis quod
 ego mando uobis, iam nō dico uos seruos sed amicos.
 Et quod Christus debeat solus audiri, pater etiā de cœ-
 lo testat̄, dicens: Hic est filius meus dilectissimus, *Matth. 17.*
 in quo bene sensi, ipsum audite. Quare si solus Chri-
 stus audiendus est, non debemus attendere quid ali-
 quis ante nos faciendum putauerit, sed quid qui ante
 omnes est Christus prior fecerit. Neq̄ enim hominis
 consuetudinem sequi oportet, sed dei ueritatem. Et in
 fine epistolæ, Nam si sacerdotes dei & Christi sumus,
 inquit, non inuenio quem magis sequi quā deum et
 Christum debeamus, cum ipse in euangelio maxime *Ioan. 8.*
 dicat, Ego sum lumen mundi. Qui me sequutus fue-
 rit non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen ui-
 tæ. Nec ergo in tenebris ambulemus, Christum sequi
 & præcepta eius obseruare debemus, quia & ipse alio *Matth. 23.*
 in loco mittens apostolos, dixit, Data est mihi omnis
 potestas in cœlo & in terra. Ite ergo & docete omnes
 gentes, tingentes eos in nomine patris & filij & spiri-

tus sancti. Docete eos seruare quaecumque praecepta uobis. Quare si in lumine Christi ambulare uolumus, praeceptis eius & monitis non recedamus. Haec omnia Cypriani sunt, qui tanto ardore haec scribere non potuisset, nisi prius credidisset omnia illa quae ad cultum coenae dominicae pertinet, abunde tradita esse uerbis & exemplo domini. Sed & Aurel. Augustinus nihil uarians a sententia D. Cypriani epistola ad Ianuarium 118. disertis uerbis scribit, Primo itaque tenere uolo, quod est huius disputationis caput, dominum nostrum Iesum Christum sicut ipse in euangelio loquitur, leni iugo suo nos subdidisse & sarcinae leui. Vnde de sacramentis numero paucissimis, obseruatione fidelissimis, significatione praestantissimis, societatem noui populi colligauit: sicuti est Baptismus trinitatis nomine consecratus, Communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur, exceptis his quae seruitute populi ueteris pro congruentia cordis illorum & prophetici temporis onerabant, quae & in quinque libris Mosi legitur. Et reliqua, Ex illis autem omnibus constare potest uel externam religionem satis perspicue & abundanter canonica traditam esse scriptura, utpote cum compendio breui contineatur, ita ut nullis copiosis & innumeratis ad illam absoluendam traditionibus humanis opus sit.

Discrimen legum siue traditionum humanarum, & quae in his nihil faciant ad pietatem. Cap. XIII.



seruimus haecenus de uera pietate, & quae in canonicis literis abunde sit tradita, nunc uero considerabimus traditiones humanas.

manas, quas alij ad perfectionem scripturarum necessarias esse contendunt. Demonstrabimus autem illas nihil conferre ad ueram pietatem, ut uel ex hac consideratione colliquescat scripturam canonicam ex seipsa perfectam omnia continere & tradere pietatis officia. Cum autem constet quosdam satis temere & imprudenter species humanarum traditionum commiscere, ante omnia uidentur illæ nobis diligenter esse discriminandæ.

Legum itaq; humanarum alia Politicæ sunt, Ecclesiastica alia, & alia quidem humanæ prorsus. Politicæ autem quas & ciuiles appellamus, uersantur circa ordinationem rerum ciuiliū. Instituunt enim rem publicam & præcipiunt de æquitate, iustitia, tranquillitate publica, de iure & obedientia. Cuiusmodi sunt leges Cæsareæ, principum, uel urbium de iudicijs publicis, de poena fontium, de assertione oppressorum, de iniuria propulsanda & uindicanda, de bello & pace, de emendo, uendēdo, locādo, de mutuo, de hereditatibus, idēq; genus alijs ad rem publicam & non ad religionem pertinentibus. De his uidetur loqui Apostolus Petrus in 1. epistola 2. cap. dicēs, Subditi estote cuius uis humanæ constitutioni, propter dominum. Idem enim protinus addit, Siue regi tanquam præcellentī, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur ad uindicatam quidem nocentium, laudem uero recte agentium. Hisce autem declarat quid intellexerit per humanam constitutionem, ordinationem uidelicet magistratus quæ instituta est ad res humanas conseruandas. Nihil ergo efficient qui contra ordinationes politicas illud domini dictum obijciunt, Frustra me colunt docētes doctrinas hominum. Hoc enim non de ciuilibus, sed

*De legibus
politicis.*

spiritualibus, ut uocant, constitutionibus intelligendum est. Et D. Petrus illis nos subiecit non ad dei cultum, sed ad nostrum emolumentum, quando re publica conturbata omnino salui esse non possumus. *Jerem. 29.* de & Ieremias agentibus in Babylone sub Nabuchodonosoris imperio Iudæis, ex ore domini in hunc modum consuluit, Sic dixit dominus exercituum deus Israel ad omnem transmigrationem quam transuli de Ierusalem in Babylonem. Aedificate domos & inhabitate, plantate hortos & comedite fructus eorum. Accipite uxores & generate filios & filias, accipite quoque uxores pro filiis uestris & filias uestras date uiris, ut pariant filios & filias, multiplicamini ibi & non minuiamini. Quærite pacem ciuitatis ad quam ego uos transuli, & orate pro ea ad dominum: quoniam in pace eius erit pax uestra. Quemadmodum ergo externus dei cultus, sicut præcedenti cap. ostendi, exercituum internum atque ita pietatem iuuat, ut nemo causari possit inuutiliter esse institutum; ita politicæ leges si æquæ sint & sanctæ, adiuuant charitatem, tranquillitatem publicam & hominum societatem conseruant, bonos defendunt, inordinatos autem redigunt in ordinem. Quocirca illas nemo bonus & sanus sub titulo humanarum traditionum abiecerit aut dissipauerit. Hic *Leges politica cum diuinis legibus non discrepēt.* men illud de politicis legibus additum adeoque & tota disputationi uolumus præfixum, illas esse optimas & maxime diuturnas leges, quæ quàm proxime ad mentem numinis accedunt & cum hac non dissentiunt. hoc est, quæ non pugnant cum ueritate religionis Christianæ, præterea iustæ sunt, æquæ, & pro ratione hominum & honesti temporum & locorum formata. Nam illam iniquam & cum religione nostra pugnantem præcipiat

cipiatur uel rex uel magistratus quilibet, pius legi ini-
 qua neque silet neque obtemperat. Habemus huius san-
 ctæ inobedienciæ plurima in sacris exempla, maxime
 in Daniele & socijs, in prophetis, apostolis & martyri-
 bus nostris. Est etiã omnium uoce celebratissima uox
 apostoli Petri contra magistratum dicentis, Oportet
 deo plus obedire quàm hominibus. Prudenter ergo
 & per sancte faciunt quicumque leges promulgaturis pri-
 us sua omnia conferunt cum lege dei. Extant enim in
 sacris literis plenissima exempla & institutiones abso-
 lutissimæ omnis generis magistratus, monarchiæ, aris-
 tocratiæ & democratiæ. Non quod putem principes
 & urbes sola Mosis lege uti debere, & huic mordicus
 inhærere, & has reipublicæ obtrudere. Habet enim il-
 la Iudaicæ genti tantum peculiaria complurima. Vo-
 lo autem ut leges politicæ cum præscriptis diuinis &
 notionibus dei primarijs, pectoribus pijs insculptis,
 sed & scriptura traditis, conferantur, & pro ratione
 locorum & temporum, pro ratione æqui & boni re-
 cte instituantur.

Venimus nunc à politicis legibus ad ecclesiasticas *De Eccle-*
 traditiones. Has autem intelligo, quæ è uerbo dei *sasticis*
 titæ, & pro ratione temporum & locorum ordinatæ, *traditioni*
 in ecclesia à populo dei agnoscuntur ac recipiuntur. *bus.*
 Voco autem illas Ecclesiasticas potius quàm huma-
 nas, quod non inuentæ & promulgatæ sint hominum
 arte & ingenio, sed diuino è scripturis dei spiritu, re-
 ceptæ autem & obseruatae à sancta dei ecclesia, quæ
 cum sit Christi sponsa, solius pastoris uocem audit.
 Quamuis ergo quædam custodiantur in ecclesia dili-
 gentissime, quæ non sunt expressa quidem uerbotim
 in scripturis canonicis, tamen ex ijs deducta sunt ræ

tione fideli id iubente & approbante. Vnde nonnulli
 hoc negotium haud perperam ita tradiderunt, Dupli-
 cia esse domini precepta ac uerba, alia quidem scriptura
 2. Cor. 7. & literis expressa, unde Paulus dixerit, Coniungatis
 præcipio non ego sed dominus; alia uero non scriptura
 sed ex mente dei secundum regulam uerbi dei dedu-
 cta; unde idem Paulus scripserit, De uirginibus præ-
 ceptum domini non habeo, consilium autem do, tanta
 quam misericordiam consequutus à domino. Et in sa-
 ne capitis, Opinor autem quod & ipse spiritum dei ha-
 beam, Cæterum copiosioribus exemplis quæ propo-
 sui declarabo, Baptizantur in ecclesia Christi infan-
 tes, & cum apportantur ad baptismi lauacrum sacri-
 fiunt pro eis publicæ preces, adduntur & testes sui-
 uades, qui fideiubent & omnem suam operam polli-
 centur infantulo, si necesse sit & catechisante careat.
 De his si quis requirat expressa scripturæ uel præce-
 pta uel exempla, nihil habemus quod pro obseruatione
 ne & traditione nostra literaliter, ut sic dicam, afferre
 mus; ideo tamen non sequitur baptismum infantium
 & quæ circa hunc fiunt, humanum esse institutum.
 Possumus enim illa omnia deductionibus planissimis
 & argumentis longe firmissimis è scriptura è præce-
 ptis dei & exemplis apostolicis deriuare & approba-
 re. Id quod tum alij ante nos tum nos ipsi alibi demon-
 strauimus. Cœnæ domini adhibemus etiam fidelem
 mulierum cœtum. At hæ non fuerunt dominicæ men-
 sæ conuiuæ, cum primum nobis à seruatore consecra-
 retur cœna. Eadem illa cœna ritu celebratur præser-
 uato. Fiunt preces & gratiarum actiones, canuntur ali-
 bi hymni, alibi recitantur tantum. Fiunt exhortatio-
 nes & obtestationes. Præleguntur certa ex sacrosan-
 ctis

tis euangelij & apostolorum epistolis, quæ tamen
 omnia, ita ut nunc usurpantur, in prima illa cœna nõ
 conspiciuntur. Quid quod in templo publico, non in
 strato aliquo cœnaculo, tempore item matutino, non
 uespertino, ante alios cibos sumptos, & non à cœna,
 cœnatur à nobis coram domino? Quod si quis petat
 ista omnia sibi in forma, ut aiunt, ostendi in euange-
 lio, litera sanè destituet nos, sed nõ sensus & ipsa euan-
 gelij mens aut spiritus ipse apostolicus. Omnia enim
 illa transsumpta sunt ex ipsa substantia dominicæ tra-
 ditionis, eadem & secundum decorum & ordinem in
 ecclesia pulchre disposita sunt, ut nunc prophanatio-
 nis sacrorum omnino non possint absolui, quicunq;
 clamitant, Frustra me colunt docentes doctrinas ho-
 minum, ac deinde pro sua libidine omnia salubriter et
 secundum scripturas instituta, conuellunt, damnant,
 & conculcant. Tamen si enim hæc uideantur humana
 & humanitus instituta, reuera tamen è formulis peti-
 ta sunt scripturæ & pro decoro & charitate synceri-
 ter ordinata. Talia prorsus & illa esse uidentur, quæ
 Apostolus domini Paulus tradidit de impari conu-
 bio, de uelands mulieribus templum introeuntibus, *1. Cor. 7. 16*
 de ordine & ratione prophetiæ. Videntur huc quoq;
 de ordine & ratione prophetiæ. Videntur huc quoq;
 numerandæ esse constitutiones de ferijs, de concioni-
 bus sacris, de precibus publicis, de excommunicatio-
 ne siue sceleratorum multa & alia ecclesiæ necessa-
 ria, quæ si in medium essent posita, ut ea quilibet pro
 suo arbitrio uolueret & reuolueret, seruaret aut negli-
 geret, nemo est qui non uideat quantum inde turba-
 rum, quanta confusio in ecclesia Christi oriret, quàm
 deniq; turbaretur ordo omnis, & charitas solueretur
 Christiana. Ideoq; non sunt aspernandæ protinus om-

nes traditiones ecclesiasticae, quod de uerbo ad uerbum in sacris non inueniantur. Probandae sunt potius an e sacris deductae sint, an cum certis illis religionis nostrae formulis pugnent an consentiant. NOLVMVS enim istis apertam esse fenestram quorundam libidinosi, qui ecclesiae Christi hoc praetextu quidlibet obtrudunt. Nam si ea diligenter expendamus quae in traditionibus ecclesiasticis praecipua sunt, constat ueterem ecclesiam semper fuisse contentam scripturis, utpote quae omnia traderet quae uerae pietatis sunt: deinde eandem ritus habuisse ex scripturis petitos utiles, simplices, minime sumptuosos & opido pauculos. Unde non potest non suspectum esse quicquid excedit hunc modum sobrietatemque & intra antiquos terminos non consistit; aut quod cum scripturis & sana fidelique ratione discrepat. Praeterea cum Paulus dixerit, Omnia diligenter & secundum ordinem & ad edificationem fiant ac ecclesiasticae leges omnes in hoc tanquam in scopulo intendant: humanae autem traditiones alio respectu & ex alijs orientur fontibus: ideo nihil firmamentum accrescet illis ex ijs quae haecenus de Ecclesiasticis traditionibus disputauimus.

De constitutionibus humanis.

Humanae etenim traditiones reuera illae sunt, quae ab hominibus & contra scripturam & sine scriptura, uel bona aut stulta potius intentione ac superstitione uel alio quopiam affectu humano prauoque natae conditae atque confirmatae sunt. Cuiusmodi sunt leges Papisticae, uariae & innumerae, de purgatorio & purgatorianis animabus, de expiationibus, satisfactionibus et Missarum nundinatione, de indulgentijs & anniuersarijs, de legationibus & emptiis precibus, de cantu & nescio quibus horis canonicis, de sacramentorum iustificatione

iustificacione & gratia, de merito cultu & ueneracione sanctorū, de idolis, pictura, anathematis, donis & uotis, de consecrationibus uarijs, de primatu Papæ, plenaria potestate sedis Romanæ, de Cardinalium institutione, Monachismo & quæcunq; ferè præcipiunt uanissimæ Decretales. Hæc & his similia ab hominibus ad cultum dei & ueluti columina quædam ueræ religionis instituta sunt. Et has traditiones maxime intelligunt, qui clamitant non omnia literis tradita esse canonicis, quæ pertinent ad perfectionem populi dei. Cum tamen illæ ne hilum quidem faciant ad pietatem ueram. Versantur enim circa res externas, superstitiosas, scripturis aduersas & contrarias pietati. Verum libet aliquot producere ex scripturis sacris testimonia quibus colliquescat humanas traditiones nihil facere ad pietatem. Apud Matthæum in 15. cap. accedunt ad Iesum qui à Hierosolymis uenerant scribæ et pharisæi dicentes, Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum. Non enim abluunt manus suas cum edunt panē. Agnoscis proculdubio & pharisæorum nostrorum expostulationem, Parum, inquit, reuerentialiter sentitis de sanctis sanctorum patrum sanctionibus. Sed audierunt isti à domino, Quare & uos transgredimini præceptum dei propter traditionem uestrā: Idem ergo & nostris obijcimus. Hoc autem dixit dominus, Si discipuli mei peccarunt tantopere leges humanas transgrediendo, quantopere delinquant obsecro qui legem dei præuaricantur? Proinde si iure interrogatis cur mei transgrediantur patrum traditiones, ego multo iustius à uobis causam postulauero cur uos transgrediamini legem dei, idq; propter traditiones uestras? Sequitur, Nam deus præce-

Frustra colitur deus traditionibus humanis.

pít, dicens, Honora patrem & matrem, & qui maledi-
 xerit patri aut matri morte moriatur. Quod perinde
 est ac si dixisset, Si negaueritis uestras constitutiones
 pugnare cum legibus diuinis, aut uestrarum custodiam
 non inducere obliuionem & neglectum legis dei, euius-
 cam id euidenti collatione. Nonne præcipit lex dei pa-
 lam, ut quisque parentes à quibus proxime post deum
 uitæ beneficium habet, honoret, foueat & si necessitas
 sit alatur? Non negabitis hoc opinor. Addit iam in euan-
 gelio, Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri aut
 matri, Quicquid doni à me confertur, id in tuum uen-
 titur commodum, & non honorabit patrem suum &
 matrem suam, & irritum fecistis præceptum dei pro-
 pter traditionem uestram. Hoc est, Si composueritis
 diuinæ legi uestram traditionem, uidebitis illas diser-
 pare prorsus. Nam traditio uestra liberos illaqueat,
 hos iubet opes legare templo & sacerdotibus. Adhi-
 bet fucum, illam scilicet donationem parentibus non
 minus quam liberis profuturam. Cum interim paren-
 tes ter miseri esuriant, algeant, rebusque necessarijs om-
 nibus destituantur. Quis uero hic non uideat dei le-
 gem uestra traditione non obscuratam modo esse, sed
 propè & exoletam? Verissime ergo infert, & ait: Hy-
 pocritæ recte de uobis prædixit Isaias, dicens: Appro-
 pinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me hono-
 rat, cæterum cor eorum procul abest à me, sed frustra
 me colunt, docentes doctrinas præcepta hominum.
 Habes apertum & firmum testimonium contra con-
 stitutiones hominum. Quid enim poterat dici planius,
 quam illis frustra coli deum? Vbi ergo nunc sunt qui
 existimant his sarciri quæ in literis desiderantur cano-
 nicis? Huius nimirum loci præsidio sanctus dei mar-
 tyr &

tyr & episcopus ecclesie Carthagineñ, Cyprianus, epist. libro 1, episto. 8, ausus est dicere, Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcumq; humano furore instituitur ut dispositio diuina uioletur. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum ueluti cancer & pestem fugiendo uitate 2. Timo. 2.
 pramonente domino, & dicente; Cæci sunt & duces Matth. 23.
 cæcorum. Iam et D. Apostolus Paulus post Christum omnem existimationem aufert constitutionibus humanis, dum ueritatem prorsus ijs adimit, mendacium Mendacia sunt traditiones humane.
 tribuit per omnia. Nam in epistola ad Titum loquens de Cretensibus mendacibus, Quamobrem redarguito illos seueriter, inquit, ut sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & præceptis hominum auersantium ueritatem. Audis opinor hominum præceptis semel & simpliciter adimi omnem ueritatem. Unde consequi necesse est præcepta hominum mera esse mendacia. Quis autem dixerit facile mendacijs sarciri posse quæ uidentur scripturis deesse canonicis? Quis deniq; credat mendacia quicquam ad pietatem conferre? Planius uero ad Colosseñ, idẽ Apostolus, Itaq; Coloss. 2.
 si mortui estis cum Christo, ait, ab elementis mundi, quid quasi uiuentes in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaueris, neq; contrectaris, quæ omnia ipso pereunt abusu, iuxta præcepta & doctrinas hominum, quæ uerbotenus quidem habent speciem sapientie per superstitionem & humilitatem animi & læsionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis. Quibus uerbis ostendit Apostolus Abstrahunt a pietate traditiones humane.
 traditiones hominum adeo non facere ad pietatẽ quicquam, ut ab hac modis abstrahat omnibus. Non uult igitur sanguine Christi iustificatos ab hominum præ-

ceptis pendere. Hæc enim prima fronte, inquit, habet speciem sapientiæ, sed si penitius introspexeris, nullam habent honorem, id est, pietatem ueram. Nam externa tantum sunt de quibus illa præcipiunt, quæ interrim à deo constat esse condita ad subleuandam hominum necessitatem, cuiusmodi sunt cibus, potus, uestitus & id genus alia. Quod autem illa speciem habent sapientiæ, id principio emergit ex superstitione, deinde uero ex animi humilitate, postremo ex læsione corporis. Hæc inquam conciliant autoritatē haud uulgarem humanis traditionibus. Et ἐδελοθησκεια, quam interpretes superstitionē uertit, uoluntaria est religio quam bona intentione & nostra nobis suscepimus ut ea colamus deum. Solent autem quæ ipsi nobis delibamus uehementius placere quàm quæ præscribitur diuinæ leges. Nō enim mentitur qui dicit, Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret. Hinc mirum sunt illæ uoces, Non potest non optimum id esse quodcunq; à nobis ad colendū deum suscipitur. Et deus hominis pietate qualis qualis sit delectatur. Proinde quicquid homo apud se instituit quo deum colat, damnabile non est, tametsi literis canonicis neque expressum sit neq; comprehensum. Accedit ad superstitionem animi humilitas, quæ reuera aliud nō est quàm ipsa hypocrisis, quæ cum mire placeat hominibus, non mirum si ipsædem probentur & traditiones humanæ. Nam harum authores hypocrisis sese in aures auditorum insinuarunt. De his ipsis paulò ante hæc Apostolus, Ne quis palmam, inquit, uobis intēuertat, data opera per humilitatem & superstitionem angelorum, in his quæ non uidit fastuosus incedens frustra inflatus à mente carnis suæ, nec obtinēs caput ex quo

Vnde ha-
beant au-
thoritatem
traditiones
humane.

Ioan. 17.

ex quo totum corpus per commissuras & cōpagines subministratum & compactum augefcit augmento dei. Et sanè planum est omnes traditionum humanarum magistros iactasse nescio quam sanctimoniam, uisiones item angelorum, imò & spirituum mirabilia colloquia & congressus frequētissimos. Inde uero oratae sunt nostrorum hominum uoces, Nos traditiones nostras accepimus à sanctis & deo dignis hominibus, qui etiam meruerunt diuina quaedam uidere spectra, & audire angelicas uoces, quibus sanè simpliciter credere malumus quàm plus sapere quàm oportet, aut os nostrum in caelum attollere. His omnibus accedit iam tertium læsio siue parsimonia corporis. Cur enim non probarentur ab omnibus traditiones, iniquiunt, quæ castigationem corporis præcipiunt, quæ item ab illis institutæ sunt hominibus, qui carnē cum suis concupiscentijs crucifixerunt? Malumus nos in horum legibus perseverare cōstanter, quàm ad euangelicos quosdam deficere, qui nihil curant temperantiam, molliter autem curant cuticulam. His autē modis traditiones hominum suam nactæ sunt apud omnes auctoritatem. Verum Apostolus diserte pronunciat illas nihilominus nullum habere honorem, pietatem nullam. Euici ergo scripturarum testimonijs humanas traditiones nihil facere ad pietatem, atq; ideo ipsas non absoluerè scripturarum ueritatem, quæ sola per se omnia tradit & continet quæ ueræ pietatis sunt.

Diluuntur aduersariorum argumenta, quibus & traditiones humanas propugnant, imò & diuinis æquant, & non omnia sacris literis tradita esse contendunt.

Cap. XIII.



Aeterum quo plus firmamenti seu roboris
 habeant quæ disputauimus pro gloria uerbi
 dei contra traditiones humanas, per conse-
 quentia addam argumēta potissima, quibus
 aduersarij in hoc erroris præcipitium deuoluti sunt.
 Principio enim existimant non omnia tradita esse ab
 apostolis & prophetis domini. Mox uero retorquens
 res confessa clamitant, Iam si isti tradiderunt omnia,
 attamen omnia omnibus non communicarunt. Et ite-
 rum, Quod si omnibus communicarunt omnia, inde
 tamen non consequitur quod scripserint omnia. Ad-
 dunt his testimonia scripturæ, præcipue uero quod lo-
 annis ultimo in hæc uerba legimus, Sunt autem & au-
 dia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singu-
 la, nec ipse opinor mundus caperet eos qui scriberentur
 libros. Rursus si scripserunt apostoli omnia, inqui-
 unt, Quid igitur opus erat meminisse traditionum? In
 1. enim ad Corinth. 11. cap. Cætera, inquit, cum uene-
 ro disponam. Et iterum in 2. ad Thessal. 2. cap. Roga-
 mus, ait, uos fratres per aduentum domini nostri Iesu
 Christi, ne turbemini neq; per spiritum neq; per ser-
 monem neque per epistolam, tanquam à nobis profe-
 ctam. Non inquit, enumerat epistolam tantum sed
 & spiritum & sermonem.

An omnia
 dicta &
 facta Chri-
 sti literis
 cōprehen-
 sa sint.

Ad hæc ita respondemus. Fatemur ingenue non
 omnia dicta & facta Christi tradita esse literis euange-
 licis. Nam illa tantum quæ ad salutem maxime neces-
 saria sunt scripserunt. Et quis obsecro facile credat sin-
 gula literis comprehendere posse, quæ dominus tanto
 tempore & sedulitate tanta patrauit? Continuis enim
 annis tribus iam priuata cum suis colloquia habuit,
 iam cum aduersarijs certamina instaurauit, sed & ad
 plebem

plebem in urbe, in templo, in ciuitatibus, in agro, in
 synagogis, imò et in deserto, ad ipsum mare, deniq; ex
 ipsis nauibus die & nocte infracto & stupendo studio
 & labore nunquam prædicare cessauit. Quid quod in
 ipsis conuiujs adeoq; & in itineribus res maxime ar-
 duas prolixis & diligentibus tractauit disputationi-
 bus? Quot morborũ genera curauit? Nam Matthæus
 in 8. cap. Omnes, inquit, male habentes curauit. Illa si
 quis speciatim persequi ac describere pergat, quot &
 quibus uerbis usus sit in priuatis institutionibus & di-
 sputationibus certaminibus quoq; , in conuiuialibus
 quæstionibus & cõcionibus publicis: rursus quæ lan-
 guentium fuerit conditio & patria, qui sexus & nata-
 les, quæ circumstantiæ, quæ deniq; loca, & quorum li-
 bet iudicia dicta & facta, & alia huius generis histori-
 ca, quis oro finis, quis librorum modus esset futurus?
 Felicissima itaq; usus hyperocha Ioannes, historiam
 suam claudit, & ait, Quæ si scribãtur per singula, nec
 opinor ipse mundus caperet eos qui scriberentur li-
 bros. Ergo ipsi cõceditis & testamini, inquit, quod
 non omnia tradita sint literis euangelicis. Dicimus,
 Quanquam omnia per singula (obseruate mihi hoc
 per singula) non sint scripta, ea tamẽ scripta sunt, quæ
 ad pietatem & salutem cõsequendam necessaria sunt.
 Atq; hoc est caput illud primarium, quod in hac cau-
 sa uolumus probatum. Obijciunt isti, Si non omnia fa-
 cta & dicta Christi scripta sunt, & tamen omnia quæ
 ad uitam uidentur necessaria scripta sunt, cõsequens
 est Christum & dixisse & fecisse res non necessarias.
 Sed negamus id consequi. Dominus enim pro sua in
 homines beneficentia unam atq; eandem rem uarijs
 modis exposuit, sed & signis uarijs uirtutem suam de-

monstrauit, quorum tamen omnium una atq; eadem natura est status & finis idem. Proinde cum unum ex multis producitur, omnium aliorum natura finis & ratio in hoc uno relucet. Quod interim plurima eiusdem generis supersunt, non illa quidem inutilia uana & superuacua sunt, sed diuinæ beneficentiæ argumenta; nihilominus stat et illa ueritas incōcussa, breui compendio omnia quæ ad pietatem necessaria sunt, comprehensa esse euangelicis literis. Id quod nunc & huiusmano & diuino testimonio copiosius probabimus. Idem ille Ioannes in fine cap. 20. apertissime scribit, Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ nō sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quod Iesus est Christus filius dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Quid his dici poterat manifestius? Multa quidem & alia fecit Iesus, sed hæc, inquit, ad fidem uestram institutendam sufficiunt. Nam si ita ut docui in filiū dei credideritis, saluabimini. Nihil est autem quod post salutem amplius optet fidelis anima. Nec ego primus locum sic expono. Nam Cyrillus lib. in Ioan. 12. cap. 68. ita scribit, Magna, ait Ioannes, multitudo signorum domini & immensus numerus est, sed hæc quæ retulimus SUFFICIUNT AD PLENISSIMAM FIDEM attente legentibus faciendam. Nec accusandus sum, si omnia non conscripsi. Nam si considerentur singula nullo penitus prætermissa, orbis librorum multitudinem non caperet. Hyperbolice autem dicimus sermonis huius uirtutem proferri. Nō igitur omnia quæ fecit dominus conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores quàm ad dogmata putauerunt sufficere, ut recta fide & operibus ac uirtute rutilantes, ad regnū cœlorum

*Oia que
salutis sunt
perfecte li-
teris esse
compre-
hensa apo-
stolicis.*

cœlorum perueniamus, per Christum dominum nostrum. Hæc Cyrillus. Ad eundem modum Erasmus ueterum interpretum diligentissimus scrutator, Etenim, inquit, si quis ea singillatim conetur enarrare, imensa uoluminum uis nasceretur, tantum autem literis proditum est, quantum ad salutem consequendam satis est. Et Chrysofomus explicans illa Lucae uerba, Superiore uolumine diximus Theophile de omnibus *Act. 1.* quæ coepit Iesus tum facere tum docere, ad assumptionem usq; quærit quomodo Lucas dicere potuerit de omnibus se dictis & factis Christi conscripsisse, cum Ioannes dixerit impossibile esse ut Christi facta omnia scribantur? Et respondet, Atqui non dixit omnia, sed de omnibus, perinde ac si dixisset, In genere de omnibus ad salutem necessarijs scripsi. Porro quod isti obijciunt apostolos domini non omnibus tradidisse omnia, primi certe non excogitauerunt, sed ab alijs acceperunt mutuo. Nam Tertullianus in Præscriptionibus hæreticorum, contra hæreticos disputans, Solent dicere, inquit, non omnia apostolos scisse, eadem agitati dementia qua rursus conuertunt, omnia quidem apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse. In utroq; Christum reprehensioni iniicientes, quia ut minus instructos, aut parū simplices apostolos miserit. Quis enim integræ mentis credere potest aliquid eos ignorasse quos magistros dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu, in conuictu, quibus obscura quæq; seorsum differebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Petrum ædificandæ ecclesiæ petram dictum, clauis regni cœlorum consequutum & soluendi & alligandi in cœlis & in terris pote-

Apostoli omnia sciuerunt, nihil ignorauerunt.

DE SCRIPTURA

statem? Latuit & Ioannem aliquid dilectissimum do-
 mino, pectori eius incubantem, cui soli dominus Iu-
 dam traditorem demonstrauit, quem loco suo filium
 Mariæ demādauit? Quid eos ignorasse uoluit quibus
 etiam gloriam suam exhibuit, & Mosen & Heliam &
 insuper de cœlo patris uocem? Non quasi ceteros re-
 probans, sed quoniam in tribus testibus stabit omne
 uerbum. Ignorauerunt itaq; & illi quibus post resur-
 rectionem quoq; in itinere omnes scripturas edisserere
 dignatus est. Iam cum hæretici illud domini ex euang-
 gelio, Multa habeo uobis dicere quæ non potestis por-
 tare modo, & quod à Paulo Petrus dicitur esse repro-
 hensus, obijcerent ad demonstrandam apostolorum
 ignorantiam pluribus uerbis ea diluit. Deinde hæc sub-
 iicit, Sed ut diximus eadem dementia est cum confi-
 tentur quidem nihil apostolos ignorasse, nec diuersis
 inter se prædicasse, sed non omnia uolunt illos omni-
 bus reuelasse, quædam palam & uniuersis, quædam
 secreto & paucis demandasse. Et post aliquot uerba,
 Dominus palam edixit, inquit, sine ulla significatione
 ullius taciti sacramenti, ipse præceperat, Si quid in te-
 nebris & in abscondito audissent, in lucem & in tectis
 prædicarent. Ipse per similitudinem præfigurauerat,
 ne unam mnam, id est unum uerbum eius sine fructu
 in abdito reseruarent. Ipse docebat lucernam non sub
 modio obstrui solere, sed in candelabrum constitui, ut
 luceat omnibus qui in domo sunt. Hæc apostoli omni-
 no neglexerunt, si non adimpleuerunt, abscondentes
 aliquid de lumine, id est dei uerbo Christi sacramēto.
 Neminem quod scio uerebantur, non Iudæorū uim,
 non Ethnicorū, quo magis utiq; in ecclesia libere præ-
 dicabant, qui in synagogis & in locis publicis non præ-
 dicabant.

Apostoli
 omnia om-
 nibus tra-
 diderunt.

cebant, imò neq; Iudæos cōvertere neq; Ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab eis uolebant, ordinariè exponerent. Multo magis iam credentibus ecclesijs nihil subtraxissent, quod alijs paucis seorsum demandarent. Quanquam & si quædam inter domesticos, ut ita dixerim, differebant, non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diuersam & contrariã illi quam catholice in medium proferebant, ut alium dominum in ecclesia dicerent, alium in hospitio, & aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto, & aliam spem resurrectionis apud omnes annūciarent, aliam apud paucos: cum ipsi obseruarent in epistolis suis ut idipsum & unum loquerentur omnes, & non essent schismata & dissentiones in ecclesia, siue quia Paulus siue alij eadem prædicarent. Alioqui meminerant, Sit sermo uester est est, & non non, quod amplius hoc à malo est, ne euangeliũ in diuersitate tractarent. Hæc Tertullianus. Hæc eadem diluunt etiã obiectionem de Traditionibus apostolorum oppositã. Certum enim est apostolos domini alia non tradidisse ecclesijs, & alia commendasse literis. Vnde idem ille Tertullianus in eodem opere, sic scribit, Constringant tale aliquid hæretici, Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? Sed & si confinxerint, nihil promouebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronuntiabit, neq; apostolici alicuius authoris esse neq; apostolici. Quia sicut apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & apostolici non contraria apostolis ædidissent, nisi illi qui ab apostolis descuerunt & aliter prædicauerunt. Hæc ille. Præterea petimus ab aduersarijs ut nobis edisserant

Que tradiderunt et quæ scripserunt apostoli cōsentiant.

*Edisserant
quæ sint
ab aposto-
lis tradita.* qui nam sint illi sermones, quæ ordinatōnes, de quibus ad Corinth. & Theff. loquitur Apostolus. Sed non potestis explicare. Quid ergo probabitis nobis istis scripturæ locis? Dixit sanè Apostolus, Cætera uero cum uenero disponam. Vestrum autem erit indicare quæ sit illa dispositio. Quod si perrexeritis nugari Paulum de Missa uestra aut de uestris loquutum esse constitutionibus, negabo. Qua re probabitis mihi quod didicistis? D. Hierony. in Matth. cap. 23. Quod de scripturis non habet auctoritatem, inquit, eadem facilitate conueniuntur qua probatur. Ad hæc, si uestræ constitutiones componantur cum scripturis apostolorum, apparebit illas cum his pugnare ex diametro. Nihil ergo conficitis uestris illis scripturæ locis. Cæterum quod ultimo proposuistis apostolos non omnia scriptis demansasse licet omnia tradiderint ecclesijs, confutauimus in initio mox huius capituli, demonstrantes tam diuina quam humana auctoritate, omnia quæ ad salutem consequendam pertinent perfecte tradita esse historia euangelica. Addimus istis etiam hoc quod D. Paulus in 3. cap. ad Ephesios manifeste testatur se primis eius epistolæ capitibus, quanquam breui compendiosam plenissimo tractatur, omnem cognitionem suam in mysterio Christi exposuisse. Verba enim eius ita habent, Audistis dispensationem gratiæ dei, quæ data est mihi in uos, quod secundum reuelationem notum mihi fecit mysterium quemadmodum ante scripsi paucis, ex quibus potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi. Quod si epistolæ ad Ephesios addamus alias tredecim epistolas, profecto maxime gloriari licebit omnem fidem apostolicam & omne pietatis negotium scripturis comprehensum esse apostolorum.

Omnia mandarunt scriptis apostoli.

apostolicis. Verū hac de re nonnulla trademus etiam
in cap. 15.

Ad hunc uero modum fusi & fugati aduersarij no-
ua praelia tentant, clamantes: Quod licuit apostolis id
nobis quoq; qui in locum apostolorum successimus,
licebit. Licuit autē istis leges condere. Nam in Actis
cap. 15. Visum est, inquiunt, spiritui sancto & nobis.
Et in Actis 16. cap. manifesta sit mentio Decretorum
apostolorum. Vnde etiam nobis potestas data est de-
creta conscribendi promulgandiq; in ecclesia. Audio
quidem clamorem satis confidentem. Audio uoces ia-
ctabundas, quod Solones isti in locū successerint apo-
stolorum, probationem uero quam ante omnia expe-
ctabam, nullam audio. Tantāne autoritate polletis,
ut satis sit rem uel dixisse? Negamus omnibus modis
uos in locum successisse apostolorum. Ideo autem ne-
gamus, quia mores & doctrina uestra cum uita & do-
ctrina apostolorum omni modo & plus quā ex dia-
metro discrepant, atq; repugnant. Caretis uocatione
legitima & euangelica. Nullum deniq; in uobis appa-
ret apostolicum uestigium. Proinde non estis aposto-
lorum Christi successores, sed illorum potius de qui-
bus ita scripsit ex ore dei propheta Ezechiel, Coniura
tio prophetarū eius in medio eius, sicut leo rugiens,
& qui rapit pradam animam comederūt, thesaurum
& quod preciosum est acceperunt, atque uidas eius
multiplicauerunt in medio eius. Sacerdotes eius uiou-
lauerunt legem meam & prophanauerūt sancta mea,
nec discrimen fecerūt inter sanctum & prophanum,
sed & à sabbatis meis absconderunt oculos suos, &
ego prophanus factus sum in medio eorum. De uo-
bis conqueritur & Isaias propheta, & ait: Speculato-

Successores
res aposto-
lorum.

Ezech. 22.

Isai. 56.

res eius omnes cæci sunt, nec quicquam nouerunt. Omnes sunt canes muti nec ualent latrare, iacentes dormiunt, & amant dormitationem. Et canes impudentes anima nesciunt saturitatem, & pastores ipsi nihil sciunt neque intelligunt, sed omnes in uias suas respiciunt, quisque ad commodum suum de termino suo. Venite accipiam uinum & potabimus ficeram; & erit sicut hodie sic crastina die, imò multo maius & multo excellentius. Horum inquam sectatores estis. Illis uita & moribus respōdetis. Id quod minime potestis negare. Ipsa enim conscientia uos accusat. Testatur hoc ipsum & quotidiana experientia adeoque totus orbis.

Decreta si Cæterum in Actis apostolorum nihil noui in ecclesia
ne cano= instituerunt apostoli. Nam lege dei iam olim prohibita
nes apo= ta erant idolothyta & scortatio. Suffocatum autem &
stolorum, sanguis sub legē pertinent charitatis, quæ æterna est. Ideo enim appellatur à Ioanne præceptum uetus. De hoc autem decreto apostolorum intelligendus est locus quem citant aduersarij ex 16. cap. Actuum apostolorum. Sic enim habet is locus ex ueritate Græcæ nica, Tradebant ipsis seruanda dogmata, ipsa inquam iudicata siue decreta apostolorū. Explicans enim quæ illa dogmata siue placita apostolorum fuerint, addit iudicata inquam ab apostolis, hoc est, quæ iudicauerant decreuerantque Hierosolymis apostoli. Tradebant autem ipsis seruanda decreta, dixit pro eo quod est, inuuebant Gentes & docebant eas id seruare quod communibus ecclesiæ suffragijs decretum fuerat, nempe, Sola dei per Christum gratia & absque legis adminiculo iustificari credentes ex Iudæis & Gentibus omnes. Iustificatos autem decere modestiā & ut libertate sua neque abutantur, neque more pristino uiuant, atque ideo abstineant

abstineant à suffocato & sanguine, item ab idololatria
 idolothytiis & scortatione, quæ apud Gentes erant uul
 gatissima receptissimaq;. Proinde quod quidam hic di
 sputant de Canonibus apostolorum non tantum sale
 caret, sed & prophanum est. Canones illi apocryphi
 sunt & multa habent absurda, stolidi & parum con
 uenientia apostolico spiritui. Verum oportet tenebrio
 nes istos, quibus non sufficit lex dei, institutio prophe
 tarum, imò & euangelium filij dei, & solida apostolo
 rum doctrina, talibus niti fundamentis.

Quamquam uero illa per se sint impia & plus quam *Apostoli*
 ruinosi, ut tamen subuertantur penitus, ostendam *nemini re-*
 nunc paucis apostolos Christi mandatis domini sui con- *liquerunt*
 tentos adeo nullum post se reliquisse successoribus con- *ius conden-*
 dendi leges exemplum, ut hic magis docuerint nihil *di leges.*
 in ecclesia aliud esse tradendum quam quod traditum
 quisque accepit à domino. Nam dominus apud Matth.
 in 28. cap. ablegans apostolos in totum mundum, tale
 ipsis dat mandatum, Adducite siue discipulos facite
 mihi omnes Gentes. Adducendi quoque modum præ
 scribens, ait: Baptizate illos & docete. Et quemad
 modum formam baptizandi explicat, dicens: Bapti
 zantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Ita
 & doctrinam suis limitibus concludens & quid natio
 nes doceant definit, & ait: Docentes eos seruare om
 nia quaecumque præcepi uobis. Non iubet illos leges con
 dere & has obtrudere nationibus, sed docere quæ
 cumque ab ipso didicerant. Ita & Marci ultimo: Ite, in
 quit, in mundum uniuersum & prædicate euangelium
 omni creaturæ. Quicumque crediderit & baptizatus fue
 rit saluus erit. Qui non crediderit condemnabitur. At
 Paulus ad Romanos 1. cap. scribit se esse segregatum

Act. 26.

ad euangelium dei prædicandum, quod quidem deus
 promiserit per prophetas suos in scripturis sanctis de
 filio suo. Vnde & coram rege Agrippa, Iudei, inquit,
 comprehensum in templo tentauerunt me interfice-
 re, sed nactus dei auxilium usq; in hodiernum diem
 sto, testificans tum paruo tum magno, nihil aliud di-
 cens, quàm ea quæ prophetae prædixerant futura esse
 in se & Moses. Ex his autem sequitur dominum non de-
 disse ullum ius condendi leges, cum euangelium præ-
 dicare mandauit: quin potius scripturas sacras enar-
 rare & ex his redemptionis & regenerationis myste-
 rium tradere populis præcepit. Euangelium enim quod
 à domino traditum refertur apostolis, prius promissum
 & scriptum est in lege & prophetis. Etenim Apostolus
 qui euangelium plene & synceriter prædicauit, mani-
 feste testatur aliud se non docuisse quàm quod lex &
 prophetae prædixerint. Iam & prophetae ipsi, adeoq; Mo-
 ses sanctissimus nullum sibi ius condendi leges usum
 parunt. Subinde enim illi in ore habent, Sic dicit do-
 minus: & Os domini loquutum est. Et Ieremias in 23-
 cap. Propheta, inquit, apud quem est somnium, narret
 somnium: & qui habet uerbum meum, loquatur uer-
 bum meum, recte & uere. Quid paleis cum tritico? An
 non uerbum meum quasi ignis dicit dominus, & qua-
 si malleus conterens petram? Huc quoq; uidetur illud
 Pauli pertinere, Quod si ego uel angelus de caelo præ-
 dicauerit uobis euangelium præter id quod prædica-
 uimus uobis, anathema sit. Descendimus nunc ad hu-
 mana testimonia. Tertullianus in Præscrip. hæret. No-
 bis, inquit, nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed
 nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Au-
 postolos domini habemus authores, qui nec ipsi quicquam

quam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignauerunt. Itaque si etiam angelus de cœlo aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis. Hęc Terentullianus aperte opinor satis pronunciauit contra omnes nomothetas aduersariorum nostrorum. Chrysoftomus quoq; Homelia in Epist. Pauli ad Titum 1. Omnia, inquit, euangelium continet & præsentia & futura, honorem, pietatem, fidem, simul omnia prædicationis uerbo conclusit. Sicut enim præco præsentibus omnibus in theatro prædicat, ita & nos, inquit Apostolus, publice prædicamus ea ratione ut nihil addamus sed ea tantum quæ audiuimus prædicemus. Ea quippe uirtus præconis est ueraciter quæ sibi credita sunt omnia prosequi, non aliquid addere aut immutare aut auferre. Hucusq; Chrysofto. uerba retulimus, quibus omnino quod probatum uoluimus credimus confirmatum.

Verum aduersarij his omnibus licet apertis & ueris omnino neglectis suum illud tyrannicum ius conuolendi leges persecutes illas omnibus uiribus conatur pro diuinis legibus cœtui obtrudere fidelium: atque ideo multi sunt in laudibus ecclesiæ ebuccinantis. Nam aiunt illam esse sponsam Christi immaculatam, quæ errare non possit, regnum dei in quo dominus spiritu suo regnet. Deinde illis plausibilibus quidem magna cum grauitate appendunt, suas illas traditiones non suo sed illius sacrosanctæ ecclesiæ nomine & conditas esse & promulgatas. Atque hoc ipsum protinus ita demonstrant, Traditiones nostræ, inquit, nate & æditæ uel certe confirmatæ sunt in consilijs à patribus. Fuerunt autem hi in nomine Christi &

- ecclesie collecti, unde consequens est ipsorum decreta à spiritu Christi esse profecta & per ecclesiam instituta. Nam si uerum est, inquit, quod dominus dicit, Vbi duo uel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio illorum, consentaneum est eum nequaquam abesse cœtui tot sanctorum & eruditorum hominum. Addunt dominum dixisse ad discipulos: Multa habeo uobis dicere, quæ modo non potestis portare. Cum autem uenerit spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Hoc autem sancte iurant præstitum esse in consilijs; unde mox inferunt, Quemadmodum ergo diuinæ leges ita & patrum & consiliorum constitutiones audiendæ sunt. Nam scriptum est: Qui ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Ad cumulum hunc argumentorum adijciunt etiam epicheremata quædam quibus maxime per mouetur turba simplicium, quibusque magnam sibi fidem conciliant. Aiunt enim maximam esse uim consuetudinis, traditiones autem suas perpetua consuetudine obseruatas esse in ecclesia. Rursus haud uerisimile esse tot sæculis, sæcula tot, tot uiros doctos & sanctos aberrasse à ueritate catholica.

*Ecclesia
Christi
sponsa est.*

- Ad ista uero paucissimis sic respondeo: Quia ecclesia Christi est sponsa, ideo uni & soli sponso adheret amore sincero: solum audit, nec fornicatur post alios matores alios, qui similitudine sponsi & fucis quibusdam sponsum mētuntur. Nam solius sponsi sui uoce contenta est, peregrinas doctrinas neque admittit neque audit. Quia certò nouit neminem posse uel alia ad salutem conducibilia uel meliora tradere. Atque ad hunc modum de ipsa loquitur apostolus, dicens, Adiunxi & ceu glutino ferrumineque compegi uos uni uiro, ut uirginem

uirginem castam exhiberetis Christo, sed metuo ne qua fiat ut quemadmodū serpens Euam decepit ueritas sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate erga Christum. Nam si is qui uenit alium Iesum prædicat, quem non prædicauimus, aut si spiritum alium accipitis quem non accepistis, aut euangelium aliud quam accepistis, recte sustinissetis, Scripta sunt illa ad Corinthios sanè, sed si ipsa in nos transferamus euidentiōra erunt omnia. Proinde si ecclesia & membra Christi sumus, semel Christo cōsecrati sumus, ut hunc unum & solum audiamus. Huc enim pertinet allegoria de connubio & integra uirginitate seruanda. Irreputant autem hic alij etiam proci qui simulant se negotium agere sponsi, cum suum maxime agant. Hi sunt pseudoapostoli & legumlatōres nostri, boni specie ita imponentes simplicibus quemadmodū olim Eue impositus serpens sathanas. Hic autem Apostolus, Non est, inquit, quod alijs & nouis post me utamini doctoribus. Merito quidem ascisceretis uobis alios post me doctores, si aliud euangelium & aliam ueritatem siue doctrinam præter eam quam ego uobis annunciaui, tradere possent, cæterum cum nemo mortaliū alium Christum, aliam salutem & euangelium aliud prædicare possit, præter id quod à me prædicatum est, sine causa auditis post me alios doctores. Ecclesia itaq; que certa est & obsignata spiritu dei quod in Christo est omnīs plenitudo, quam plene tradidit prophetarum & apostolorū prædicatio, post hanc nullos moratur nomothetas. Sic enim colligit, Aut idem cum doctrina recepta recolligunt isti, aut diuersum. Si idem, iam nõ caruimus ueritate, neq; illa legislatiōe opus erat. Christo sponso nostro illam gloriam dabimus, non homini

DE SCRIPTURA

bus. Si diuersum, iam omnino audienda nō sunt quæ
nimirum ex inspiratione serpentis traduntur. Itaque
ecclesia institutione apostolica & prophetica contem-
ta, non miratur uersutam illam serpentis progeniem.

*Ecclesia
non errat.*

2

*Ecclesia
regnū dei.*

3

*Ecclesia
communio
sanctorum*

4

Hæc ecclesia uerbo ueritatis fulta non errat: non ideo
quia collectio hominum est, sed quia regula scripturæ
canonicæ quæ spiritus sancti inspiratio est, gubernatur.
Hoc enim nomine ab Apostolo appellatur columna
& basis ueritatis. Destituta autem uerbo ueritatis,
utiq; errare potest. Hæc etiā regnū Christi est. Nam
Christus regnat in ecclesia. Regnat autem uerbo &
spiritu ueritatis. Proinde ubi uerbum dei non est, ibi
coniuratio nebulonum & spiritus mendaciæ regnat.
Dixerat sanè dominus, Ero uobiscum usq; ad consum-
mationem sæculi. Verū alibi exposuit quomodo uo-
biscum sit mansurus, nempe per spiritū ueritatis. Por-
rò spiritus ueritatis constantiæ spiritus est, qui neque
pugnantia tradit neq; traditam ueritatē recantat. Pug-
nantia autem decreuere cōsilia patrum, id quod in
nitis exemplis probare possem, nisi hoc iam lippis no-
tum esset atq; tonsoribus. Quis ergo non uideat domi-
num in illorum confessum non uenisse? Rursus cum
hic ueritatis spiritus tā diserte testatus sit omnia quæ
ueræ pietatis sunt tradita esse literis canonicis, quis
porrò credat eundem spiritum testatam recantasse ue-
ritatem? Recantasset certe si uera essent quæcunq; in-
nugantur de suis constitutionibus. Hæc deniq; eccle-
sia est communio sanctorum, sanguine et spiritu Chri-
sti domini nostri sanctificata, quæ hoc signaculum ha-
bet quod folius pastoris uocem audit, alieni nō audit.
Nam ipse dominus apud Ioannē in cap. 10. Pastor pro-
prias oues uocat nominatim & educit eas, & cum pro-
prias

prias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illū sequuntur, quia nouerunt uocem eius, alienum autem non sequuntur, sed effugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Idem in cap. 8. Qui ex deo est, inquit, uerbum dei audit. Hic addere possumus, Iſti autē non non audiunt. Nam suas traditiones pro uerbo dei supponunt, aut hoc neglecto illas unice obrudunt, ergo ex deo non sunt. Vnde non est quod se & suas traditiones ecclesie nomine uenditēt. Dixit sanē dominus, Vbi duo uel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio illorum. Sed obseruandum est quod nō tantum dixit, Vbicunq; duo uel tres congregantur, sed adiecit, In nomine meo. In nomine autem Christi congregantur, qui uerbum Christi custodiunt & gloriam Christi quarunt. Suo nomine conueniunt, qui neglecto Christi euangelio priuatas leges statuunt & suam gloriam quarunt. Id cum fecerint humanarum traditionum magistri tam in ipsis cōsilijs quàm extra cōsilia, non est quod illa domini promissione glorientur. Verum cōsilia ipsa, inquit, reguntur à spiritu sancto. Quis negat? modo regantur à scriptura quæ est instinctus spiritus sancti. Absq; scripturis reguntur à spiritu erroris ac apostasie. Nam solus deus uerax est, omnis autem homo mendax. Hinc D. Augustinus epist. contra Pascentium Arrianum 174. Non in nobis ipsis, inquit, uel per nos ipsos ueraces sumus cum sumus, sed cum ille in seruis suis loquitur qui solus uerax est.

Fateor præterea dixisse ad discipulos suos dominum, Multa habeo uobis dicere, quæ modo non potestis portare. Sed quid hæc ad Cōsilia & Patres? Ad didit enim dominus, Cum autem uenerit spiritus ue-

Cōsilia reguntur à spiritu sancto.

Explicatur locus Ioan. 15.

ritatis ducet uos in omnem ueritatē. Querimus enim
 aduersarios, An uenerit apostolis promissus spiritus,
 an non uenerit? Si non uenit, mentitus est Christus
 qui uenturum prædixit; mentitus est & Lucas qui ip-
 sum testatur uenisse. Si autem uenit certe omnem ue-
 ritatem docuit. Quid ergo relinquitur, quod Lycu-
 gis nostris reuelet? Vides quàm parum ipsis cõgruat
 aut conferat Christi illud uerbum. Quid quod statim
 per expositionem sequitur quid sit ille spiritus aposto-
 lis traditurus, non utiq; ius nouas condendi leges aut
 constitutiones nouas, sed hoc ipsum quod dominus
 iam antea tradiderat. Nã in capite 14. idem dominus,
 Paracletus autem ille, ait, qui est spiritus sanctus, que-
 mittet pater nomine meo, ille uos docebit omnia, &
 suggeret uobis omnia quæcunq; dixi uobis. Omnia,
 inquit, docebit uos quæ scilicet ad uitam & cõsequen-
 dam & instituendam satis sunt. Ea uero tradidi uobis
 hactenus; sed exciderunt per imbecillitatem humani
 ingenij, ille ergo suggeret & in memoriam reuocabit
 quæcunq; hactenus commēdaui uobis. Quapropter
 patribus illis quibus de gloriantur aduersarij nihil re-
 linquit uel faciendum uel absoluendum. Præterea se-
 quitur in eodem 16. Ioan. cap. Spiritus ueritatis ducet
 uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à semet-
 ipso, sed quæcumq; audierit loquetur, nimirum sug-
 gerendo discipulis, quæ pridem acceperāt à domino.
 Addit, Et quæ uentura sunt annunciabit uobis. Quæ
 obsecro futura? Lege obsecro D. Apostolum Petrum
 in epist. posteriore per integrum cap. 2. & 3. & rogare
 desines. Audi uas electionis Paulum in 2. ad Tim. 4.
 cap. dicentem, Erit tempus cum sanam doctrinam nõ
 sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coacerua-
 bunt

Act. 2.

Spiritus fu-
 tura annũ
 ciat.

bunt sibi doctores, ij quibus pruriant aures, & à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uero conuertentur. Obtestor igitur ego coram deo & domino nostro Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos in apparitione sua & in regno suo, prædica sermone, in ista, tempestiue, intempestiue, argue, increpa, exhortare cū omni lenitate & doctrina. Et in priorē epist. cap. 4. Spiritus, inquit, diserte loquitur quod in posterioribus temporibus desciscant quidā à fide, attendentes spiritibus impostoribus ac doctrinis damnationum per simulationem falsiloquorum cauterio notatam habentium cōscientiam, prohibentium contrahere matrimoniū, iubentium abstinere à cibis, quos deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem, quod quicquid creauit deus bonum sit & nihil reijciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Vides Lector miseros illos suas sponte proferre gladium quo iugulentur. Nam quid poterat uiuidius & euidentius produci contra impium illud ius condendi leges, & contra ipsas leges, quas tantopore iactitāt aduersarij. Spiritus sanctus non iussit illos conscribere leges, uerum prædixit id ipsos facturos, atque contra deum & maximo cum ueritatis detrimento. Quis ergo non intelligat illorum leges nihil habere diuini, atque ideo prorsus esse aspernandas. Interim uero nemo in uniuersum dānat uel *Non damnantur omnia cōsilia* prisca uel mediæ ætatis cōsilia, si quæ aliquid ex scripturis pro ueritate & ecclesiarum pace contra hæreticos decreuere. Damnamus autem quæ neque ad scripturas respexerunt, neque cum ijs consentiunt. In cap. 13. satis disputatum est de traditionibus ecclesiasticis & quo loco à pijs habeantur. Sic & ecclesiam de qua

Qui ecclesiam non audierit, &c. loquitur dominus apud Matth. in 18. cap. nemo contemnere iubet, Placet enim nobis quoque illa domini sententia, Qui ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Loquitur autem dominus de ea ecclesia quae Christum inhabitantem habet & caput colit, uerbum eius reueretur & adorat, scelera persequitur, & sceleratos ad poenitentiam adhortatur, Ideo enim praemittitur, Si peccauerit in te frater tuus, uade & argue eum inter te & ipsum solum. Et quae sequuntur, Locus enim manifestissimus est, de correctioe sceleratorum scriptus, & non de legibus Papisticis.

De uis consuetudinis. Quod item isti aiunt magnam esse uim consuetudinis, fateor quidem Augustinum dixisse quod isti colligunt, sed adiecit idem, Si consuetudini suffragatur ueritas. Nam lib. de baptismo contra Donatistas 4. cap. 5. ita scribit, Plane uerum est quod ratio & ueritas consuetudini praeposenda est; sed cum consuetudini ueritas suffragatur, nihil oportet firmiter retineri. Iccirco cum ueritas scripturae non suffragatur consuetudini, nullius momenti est. Nam & dominus in euangelio non dixit, Ego sum consuetudo, sed, Ego sum ueritas, ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habet lumina uitae. Et in lege domini non semel iubet nos dominus ad legem suam respicere, exempla autem & ritus populorum auersari. Quod autem aduersarij aiunt, Traditiones suas perpetua consuetudine in ecclesia esse obseruatas, palam & turpissime mentiuntur. Qui enim has uel delibauerunt, non nesciunt per omnia esse nuperas & huiusmodi quae nihil pietatis, eruditionis aut uetustatis, plurimum autem

superstitionis, stultitiae, auaritiaeque habent.
Pari impudentia & uanitate obijciunt tot saecula.
Id quod

Id quod historiarū periti optime norunt. Sed demus An tot sæ-
 uera esse quæ proponunt, suasq; superstitiones annis culis erra-
 mille quingentis durauisse, an uero ideo non erraue- uerit eccle-
 runt quia diu errauerunt? An impossibile illis uide- sia?
 tur errare dei populum? Quid ergo dicent de prisca
 illa Israelis ecclesia? An non erat dilecta deo? An non
 in medio eius habitauit omnipotens? Quid enim ali-
 ud præfigurabat arca? Aut quid aliud dicit scriptura?
 Inhabitabo in illis & inambulabo, & ero illorum deus Leuit. 26.
 & ipsi erunt mihi populus. At hæc ecclesia nihilomi-
 nus erroribus sese foedissimis, annis etiam compluri-
 bus, & per frequenter, intricauit atq; polluit. Testan-
 tur id historiae sacrae librorum Mosis, Iudicum atque
 Regum. Fiebat hoc quoties lumine uerbi dei deserto
 fornicabantur post tenebras, id est traditiones & in-
 uentiones suas proprias. Nec tamen ideo quod quidã
 inferunt nulla erat ecclesia. Hæc enim in ueritate non
 in specie, in integritate non in multitudine consistit.
 Putauit aliquando Helias ille prophetarum maximus 3. Reg. 19.
 actū esse & de religione & ecclesia dei uera, atq; ideo
 clamat, Dereliquerunt pactum domini filij Israel. Al-
 taria tua destruxerunt & prophetas tuos occiderunt,
 & derelictus sum ego solus, cuius animam nunc quo-
 que quærunt ut auferant. Verū audit à domino, Re-
 liqui mihi in Israel adhuc septem millia uirorum, qui
 genua sua non incuruauerunt Baal, neq; manū oscu-
 lati sunt. Ita certe factum est diuina bonitate etiam no-
 stro & maiorum nostrorum sæculo. Licet enim annis
 multis pro uera pietate superstitione regnauerit, pro ue-
 raci uerbo dei mendaces superstitiones, & pro euan-
 gelio Christi abominatio Antichristi, nihilominus re-
 gnauit etiam dominus in medio suorū, qui per mun-

dum dispersi deum in Christo, spiritu & ueritate adorant, fide, charitate & uitæ innocentia coluerunt, execrantes abominaciones iniquitatis, imò & animæ quoq; suam ponentes pro testamento dei & lege ex celsi. Proinde nunquam defuit Christo ecclesia sua, neq; ille suis defuit, sed spiritu suo sancto regnauit in eis, qui apud Lucam dixit, Noli timere pusille greges, quia complacitum est patri uestro dare uobis regnũ. Rursus nunquam non displicuit illorum cœtus domino qui neglecto uerbo dei sua uoluntate & libidine nouum cultum & nouas leges, obscuratis ueteribus induxerunt: quapropter nihil efficient si pro abusu suis aduersarij huiusmodi ecclesiam opponant. Non quod simplices alioqui homines & minime malos, neque ex malitia, sed ignorãtia hic peccantes, à Christo auulsos diabolo consecremus. Dominus enĩ clemens est & misericors, qui cõniuet ad delicta & errores hominum, gratiaq; sua nobis peccata nostra condonat, & eum simplicium pectoribus spiritum indit, qui uel sero adeoq; in ipsis morientibus operatur, quæ sub iudicium & sensum nostrum per omnia non ueniunt. Proinde falso colligunt qui aiunt, Si maiores nostri non sunt damnati, quos tamen constat in recepta, sed est, pontificia fide migrasse ex hac uita, profecto consequens est dogmata & traditiones, quas nunc damnatis, non esse damnabiles. Nam salus ipsis non contingit ex obseruatis traditionibus, sed ex miseratione dei nostri, per quam & fides ipsorũ purificata est. Quod si his spretis pergas mihi perpetuo patrũ obiectare exemplum, Aio non eandem esse rationem utrorumq;. Planissime enim prædicatur nobis ueritas euangelica, ut hanc non possimus non aspernari siue animarum nostrarum

Luc. 12.

De maiorum nostrorum salute & exemplo.

nostrarum detrimento maximo. De maioribus nihil temere iudico, quod occulta dei iudicia nesciam. De nobis uero pronunciauit uerbum Christi in hanc sententiam: Si non uenissem & loquutus fuisset eis, peccatum non haberent, nunc autem non habent quod prætexant peccato suo. Præterea patres isti non proponuntur nobis à deo imitandi, sed scriptura sancta. Sequamur ergo scripturas, & relinquamus patres clementis dei oculo & iusto iudicio.

Porro si aliquid momenti habet hominum eruditio & sanctimonia, si hinc fides & religio roborat, quæ fides & religio, nostra est confirmatio. Nam non uideamus quæ in omni mortalium genere & toto terrarum orbe sanctiores & doctiores fuerint prophetis & apostolis, imò horum omnium principe Christo filio dei sapientiâq; patris. Hi uero contenti uerbo dei & scripturis sanctis, nullas constituere traditiones nouitas. Quid ergo obiectatur mihi eruditio & sanctimonia, quæ à deo & uerbo eius nullam habet approbationem? Credamus potius diuino dei apostolo Paulo dicenti, In Christo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientie reconditi. Id quod dico ne quis uobis probabilitate sermonis imponat, Quemadmodum ergo accepistis Christum Iesum dominum ita in eo ambulate, sic ut radices habeatis in illo fixas & in illo superstruamini confirmeminiq; per fidem, sicut edocti estis exuberantes in ea cum gratiarum actione. Videte ne quis sit qui uos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem iuxta constitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum. Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & estis in illo completi. Hac ad aduersariorum cauilla-

1047. 19.

Eruditio
& sancti-
monia hu-
mana.

10

Coloss. 2.

tionem respondere uolui simul & Traditiones hominum refutare. Faxit dominus ut humanarum legum studiosi stulto & peruerso zelo renunciantes, toto peccatore amplectantur scripturas Canonicas, quæ solæ ad pietatem perfecte formandam sufficiunt. Id quod iam copiosius persequemur.

Tractatur historia de inobediētia Saulis scripta 1. Reg. 15. Locus item Pauli ex 2. ad Timoth. 3. cap. de absoluta perfectione scripturæ, contra humanas inuentiones & dispensationes. Cap. XV.



T enim ea quæ hæcenus contra humanas leges pro absoluta scripturarum perfectione disputauimus commendabiliora fiant & certiora, paucis nunc perstringam memorabilem illam historiam de Saulis inobediētia à Samuele accusatam quam ipse Samuel mirifice descripsit. Facit autem ad institutum nostrum præcipue, docens quàm religiose deceat adhærere præceptis & uerbis dei nostri, qui sua à nobis mandata requirit, nostras intentiones ac traditiones constantissime reijcit atque pro scelestissimis flagitijs habet. Deinde appendam & apostoli locum ex 2. ad Timoth. 3. cap. testantem scripturam sufficere ad ueram pietatem recte & plene tradendam. Dixit ergo ad Saulem Samuel, Misit me dominus ut ungerem te in regem super populum eius Israel, nunc ergo audite uocem uerborum domini. Exordium quidē hoc breue sed euidentis est. Debet, inquit, aliqua esse mei apud te autoritas. Imperio enim dei te iam pridem regnum inauguraui, & tum quidem deo tu stipulabar obediētiā. Et negotiū quod iam ad te refero, non meum sed dei est. Audi ergo uocem uerborum dei, & obedi-

to man

to mandatis ipsius. Sic dicit dominus exercituum, Re cogito quid fecerit Amalek Israeli, & quomodo oppo fuerit se in uia, quando ascēdit de Aegypto. Imperiū, inquit, quod tibi iniungitur æquum est & iustum, licet uideatur crudele & tyrannicum. Et iniuriæ ueteres sunt, quas nunc auspice deo uindicabis. Videbar equidem illarū esse oblitus, quod ad annos propè quadringentos multa dissimularim & uindictam distulerim, sed iam probe recolo. Equidem tum Mosi præceperam ut scelus eius gentis in librum cōscriberet, attestans aliquando deleturum me nomen Amalechiticū à terra. Tantum autem abest ut ab eo tempore scelus commissum aboleuerint, ut etiam sceleribus nouis & infandis criminibus ipsē innumeris, damnationis auerint cumulum. Nunc ergo uade & percute Amalek & excinde omnia quæ habet, non parcas illi, inter se tam uirum quam mulierem, infantem & sugentem, bouem & ouem, camelum & asinum. Atque hoc dei imperium regi exequendum à deo impositum plañissimis uerbis ideo expositum est, ut rex intelligeret nullam hic admittendam esse dispensationem. Et iustitia dei poscebat ut cum populo crudeli & sanguinario, in quo omnia maderant sanguine, ageretur crudeliter. Aequissimo ergo præcepto paruisset rex, si fauisset: nunc autem scriptura dicit, Et percussit Saul Amalek, apprehēditq; Agag regem Amalek uiuum, & omnem populum exterminauit in ore gladij: & percit Saul & populus ipsi Agag & melioribus ouibus atq; armentis pinguioribus agnis & cunctis quæ bona erant, nec deleuerunt ea; uniuersum autem peccus uile & attritum peremerūt. Hoc autem factō peccat ipse rex unā cum populo duplici nomine, partim

Exod. 17.

Causas in
stas habet
mandatum
dei.Disertū est
dei manda
tum.Peccatur
contra mā
datum dei.

quod ex tot hominibus unum seruant regem. Partim
quod attrita prorsus conterunt, opima autem pecora
conseruant. Non exprimit scriptura cur parsum sit re
gi barbaro, & quid in hoc seruando spectarit rex Israe
litarum Saul, in dubio relinquitur an domi regem sta
tuerit iugulare. Nam uerbum domini aperte pronun
ciarat, Nemini parces, omnes interficies. Quod attia
net ad pecora, afferet postea rationes rex Israelis, sed
protinus adiungitur quàm male consuluerit factum
eius omnipotens. Speciem quidem pulchram habuit
conseruatio regis barbari. Humanum enim est misere
ri & parcere. Poterat item Saul dicere, Seruauit ha
ctenus regem idololatram in exemplum ut domi ca
dat maiori cum gloria domini & calamitosiore inte
ritu. Verum deus nihil moratur nostras intentiones,
sed districte cupit seruari suas leges & institutiones.
Vnde sequitur, Factum est autem uerbum domini ad
Samuelem ad hunc modum, Poenitet me quod con
stituerim Saul regem, quoniam defecit à me & uerba
mea non impleuit. O grauem sed iustam dei sententiam.
Turpius nihil est, grauius in hominem nihil dici potest,
quàm apostatam esse à deo, perfidum & desertorem dei.
At os domini talibus titulis exornat & prædicat factum Saulis.
Competit autem hoc in omnibus eos, qui imitantur exemplum Saulis.
Nec est quod quisquam hic ullo se cõmento extorqueat. Siue enim
unus siue plures sint reges, principes, pontifices, con
silia & urbes, si quid faciunt præter uel contra uerbum
domini, perfidi sunt apostatæ & desertores dei. Nã scri
ptura ipsa exponens quid sit apostatare siue deficere
à domino, addit, Et uerba mea non impleuit. Ergo uer
bum domini non implere, imò & in uerbo dei ludere

Non im
plere uer
bum dei
est apostatare.

atq; hoc p̄ nostra uel libidine uel bona intentione tor-
 quere & retorquere est apostatare à domino. His ue-
 ro auditis ira efferuescit in regem propheta, attamen
 tota nocte clamat ad dominum, nimirum pro rege de-
 precans. Vbi obiter discunt principes quos habeant *Regum am*
 amicos aut inimicos adulatōres ue in aula. Nemo in fa- *mici et inā*
 ciem resistit regi, nisi unus hic propheta: nemo indi- *mici,*
 cat & corripit peccatum regis, nisi unus hic Samuel,
 at nemo interim diligit regem impēsius, nemo pro eo
 orat ardentius. Nam in precibus hic tota nocte perse-
 uerat. Regum ergo ac principum amici sunt qui ipsis
 indicant & opprobrant scelera, qui libere accusant.
 Nebulones contra adulatōres & regum regniq; pro-
 ditores sunt, quicunq; ad quaq; regis uitia paratum
 & in promptu habent colorem aut unguentum quo
 obducant & obliniant ulcus.

Idē ille uenerandus & grandæuus senex nihil cum
 statur sed festinat & cogitat errabundā ouem in uiam
 reducere. Vnde scriptura, Surrexit, inquit, Samuel
 diluculo ut mane Sauli ueniret obuiā. Descendit itaq;
 in Gilgal, & obuium habet regem, qui blande compel-
 lans prophetam, Benedictus tu domino, ait, impleui
 uerbum domini. His uero & prophetam laudat pro- *Decretarj*
 pter successum felicem, & sese iactitat expleuisse quæ *putant se*
 mandauerat dominus. Audet enim sibi perfectionem *expleuisse*
 arrogare, qui tamen nihil quod deo placuit fecit. Idē *mandatum*
 faciunt quibus cum nobis est negotium. Posteaquam *dei.*
 enim nihil recte fecerunt sed perperam omnia, cōtem-
 nentes legem dei & suas traditiones magnificentes,
 audent tamen iactare nescio quam perfectionem; imo
 & Christianam religionem sine suis illis traditionibus
 imperfectissimam fore incircuncisis labijs pronuncia-

ant. Cæterum propheta se opponit modis omnibus, pluris faciens unum deum quam reges plurimos, Si implesti uerbum dei, inquit, quæ est uox illa ouium in auribus meis & uox bouum quam ego audio: Rex autem artificio hypocritico & prophetae os circumlinire & culpam omnem in populum cogitat deriuare. Dicit enim, De Amalek adduxerunt ea: quoniam pepercit populus melioribus ouibus & bobus, ut ea immolaret domino deo tuo (obserua emphasim in uoce Tuo) reliqua autem internicione deleuimus. Verum hanc principis hypocritism uersutamque superbiam protrahens redarguit, & ait, Permite quaeso ut quoniam tibi places & recte tibi uideris fecisse, exponam, quid deus de te & facto tuo iudicet. Nonne cum paruulus es les in oculis tuis caput factus es in tribubus Israel, unxitque te dominus super Israel, & misit te dominus in uiam, & ait, Vade & excinde peccatores Amalek & pugna contra eos donec consumas: Quare ergo non audisti uocem domini: lam diuertisti ad prædam & fecisti quod malum est in oculis domini. Sentio, inquit, quid te seduxerit, tua illa insignis superbia & quod tibi tua placet sapientia. Olim cum esses humilis & a solo uerbo dei penderes, nec quicquam tibi & tuæ sapientia tribueres, nec crederes te regno administrando aptum, placebas eximie domino atque adeo ut regno dignum te iudicaret & in regnum subueheret; nunc autem quia tibi places deo displices. Quod si Decretarij nostri simpliciter fide crederent & committerent se uerbo domini, confitentes, quod res est, illo omnia esse tradita que ueræ pietatis sunt, traditiones neque conscriberent, neque curarent conscriptas; nunc uero cum inflati superbia impia, putant sine sua sapientia imperfectum esse uerbum

Causæ traditionum et inobedientiae superbiae et auaritia.

bum dei, pro temeritate sua addunt & in religione faciunt quæ uolunt, & grauissime cum Saule peccant. Deinde mirifice urget uerba domini, uerbotim propè illa quæ iniunxerat repetens. Quasi dicat, An non plene aperte & diserte quid faceres præscripsit dominus? non ut quod tibi bonum uideretur faceres, sed ut excinderes totam gentem Amalekiticam, idq; propter peccata & scelera, sed & pecora uastares omnia? Hoc factum oportuit. Hoc deus à te postulauit. Iam uero festinasti ad prædam, & credis te rem egregie cõfecisse. Vis autem audire quid sentiat de bona intèntione tua deq; facto tuo dominus? Dicam, Fecisti quod malum est in oculis domini. Quid bone deus diuinus hic propheta dixisset si plerasq; nostrorũ uidisset traditiones, quæ aliud nihil spirant quàm rapinam & auaritiã? Ad prædam sanè conuersus est Saul, sed eam prædam non sibi, sed domino uoluit cõsecrare. Nostri sua quæ runt per omnia. Proinde si sacrificium Saulis reiectũ est à domino, non est quod putemus quicquam placere deo in istorũ auaris traditionibus. Nec obstat quod illi interim sibi egregie placent. Stat enim uerbum dei æternum, Fecisti quod malum est in oculis domini.

Nemo enim existimare debet illa in Saulem tantum competere, aut illa historia rem modo agi & proponi alienam. Nam communis omnium caussa hic agitur. Dominus enim uel hodie contra omnes decre- *Conferuntur inter se præcepta dei & decreta hominum.* tarios iustam & ueram hanc cœlitus detonat sententiam, Facitis quod malũ est in oculis domini quicũq; neglecto uerbo dei uestras sequimini traditiones. Placeant sanè sibi deuoti & zelosi patres & fratres, deo hoc nomine displicent. Deus dixit, Non faciatis simul lachra neque colatis, Decretarij & faciunt & colunt.

Deus omnino uult se adorari inuocari & coli solū. Decretarij sanctum, religiosum & deuotum putant diuis supplicare & seruatorū dei ossa ac uestes uenerari. Deus remissionem peccatorum & iustificationē, gratia suā per unicum dominum nostrum Iesum Christum tribuit. Decretarij autem ascribunt operibus, meritis, indulgentijs, & nescio quibus alijs nugis. Deus præcipit cultum & sacrificia spiritualia, fidem, charitatē, innocentiam, purasq; preces; externa ut aurum, gemmas, preciosas uestes, & his similia reijcit. Decretarij hæc approbant, tradunt & urgent, in uero dei cultu planè frigent. Deus, Vos, inquit, nolite uobis uocare patrē super terra, neq; uocemini Rabbi. Vnus est enim pater uester qui in cœlis est; & unus est magister uester, nempe Christus; omnes autē uos fratres estis. Decretarij uero tot patres & magistros uitæ sibi delegerūt, tot ordines, hoc est sectas, tot regulas monachicas induxerunt, quot capita lerneæ hydra pullulasse fertur. Dominus item simpliciter pronunciauit, Qui crediderit in filium dei, in iudicium non ueniet, sed transiuit de morte in uitam. Decretarij autem hoc torquentes nugantur fabulosissima quædam de quodam igne purgatorio, qui emptitijs precibus, sacris, indulgentijs, & alijs quibusdam mercibus Romanis extinguitur. Dominus sacrosanctam cœnam suam nobis in sui memoriam instituit, ut in ipsa (si modo uera fide accesserimus) saginati spiritaliter, beneficia eius memoremus, & gratias agamus inq; unum corpus cœnamus. Decretarij autem ex hac mirabilē fecerūt numdinationem, opus operatum, & sacrificium quotidianum pro peccatis uiuorum & mortuorum, adeo ut nunc ueteris instituti uix cernantur uestigia quædā.

Idem

Idem dominus accepto poculo & actis gratijs in cœna, suis omnibus illud porrexít, & ait: Bibite ex hoc omnes. Vnde Marcus ait: Et biberunt ex eo omnes. Decretarij autem sacrilego ausu uiolantes institutum domini, solis sacrificijs poculum uendicarunt, populo fidei surripuerunt. Possent huius generis infinita alia proferre nisi ea iam olim nimis cognita essent toti mundo. Nemo autem non uidet peccata decretariorum nostrorum delictum Saulis mille modis excellere. Nec minus aperta sunt quæ nobis per prophetas & apostolos præscripta sunt, quàm quæ Sauli per Samuelem præceperat dominus. Omnibus ergo modis etiam cõtra nostra decreta & decretarios nostros pronuntiata est illa domini uox, Facitis quod malum est in oculis domini.

Cæterum nescit conuiuere peruersus & sui æstimatione corruptus hominis animus, quando semel inceptit sibi placere & dispensare circa uerbum domini. Prodit enim se superbum & pertinax ingenium, et mox ac redarguitur delicti, exilit & parat se ad defensionem suæ existimationis & sui instituti. Ita enim erumpit Saul, & ait: Imò audiui uocem domini, & abij in uiam ad quam me misit dominus, adduxiq; regem Agag Amalek, & Amalekitas excidi excidio. Accipit autem populus de præda oues & boues anathematis primitias ut sacrificet domino deo tuo in Gilgal. Ad hunc modum solent omnes decretarij contendere nihil se peccasse contra dominum, cum omnia fecerint ad gloriam dei ex bona animi intentione. At opposita interim sunt, Non fecisti, & Feci. Ais me apostasse à uerbo dei. Ego nego, & credo me impleisse uerbum domini; sed hoc certamen inter ueritatis cano-

*Defendunt
sua traditio-
nes de
cretarij.*

nicae propugnatores rigidos, & traditionum humanarum defensores zelosos, erit perpetuum. Saul omnium decretariorum antesignanus & Hector in hoc conflictu locum suum strenue tutatur, & ait: Quod regem attinet teneo ipsum in uinculis. Nihil ergo hic peccatum est. Cadet adhuc & nece quidem magis calamitosa & maiore cum dei tui gloria. Quod autem ad armata attinet non ego illa, ut tu ais, rapui, sed populus, nec tamen alia quam intentione optima ac deuotissima. Nam ad cultum ea accepit, & ad cultum quidem non alieni dei sed dei tui, cuius causam tu tam strenue agis, cui tantam gloriam inuidere non debes. Haec autem illa ipsa sunt quae hodie proferuntur ad defensionem externi & superstitiosi cultus ac traditionum humanarum. Viri, inquit, zelosi fuerunt patres sancti, qui haec instituerunt pro gloria & ad cultum dei, non malo quidem animo ambitioso, sed bona & deuota intentione. Quis ergo ista, nisi diuinae gloriae subinuidens & cultum dei omnem subuersum impie cupiens, non approbaret? Atqui rigidus ille Samuel parum ciuilem illarum deuotionum interpretes intonat, An tam uolupte & gratum domino sacrificium, quam est obedientia? Ecce melius est audire quam sacrificare, & melior est auscultatio quam adeps arietum. Manet ergo in sententia uerbi diuini diuinus propheta, inuictus Achilles ac propugnator statutorum dei. Nihil dimouetur a recepta sententia. Non metuit superbientem & ferocientem regem, nec curat nec recipit responsum in speciem quidem pulchram, sed aperte cum praeepto dei pugnantem. Collatione autem rerum maximarum uerbum dei extollit, bonas intentiones deicit. Nam uerbum dei & obedientiam uerbi dei confert cum

*Præfertur
obedientia
rebus in
mundo præ
stantissimis.*

cū ijs rebus quæ apud mortales adeoq; & ipsum Saulem uidebantur esse præstantissimæ, nec confert modo, sed uerbū dei omnibus modis præfert, dicens; An quisquam tam stultus est ut credat domino tam grata esse sacrificia quàm grata est obedientia? Ego certe libere pronuncio magis deo gratum esse si audiamus uerbū eius, & faciamus aut omittamus quæ ille præcepit uel prohibuit, quàm si uerbo eius neglecto omnia quæ in mundo sunt ipsi offeramus. Proinde licet quibusdam nostri sæculi hominibus sancta deuota egrègia & pulchra uideantur, quæ præter & cōtra uerbum dei ex bonis intentionibus instituta sunt à patribus & hodie obseruant propè ab omnibus, ego tamen libere cum Samuele pronūcio, præstare & magis deo placere si istis omnibus neglectis & calcatis, audiremus uerbum dei & secundum hoc institueremus omnia nostræ religionis, pauculis illis contenti, quibus nos dominus iuuare uoluit non onerare. Quid quod grauiora sequuntur? Samuel enim illis & si euidentissimis & maximis minime contentus, subiungit, Quo *inobedien* *tia præfer* *tur maxi* *mis in mun* *do sceleribus.* *magia* *est apostasia* *siue rebellio, & uanitas idololatriæ* *indurare animū, aut nolle obsequi.* *O magna & iusta dei iudicia.* *O cæcas mentes hominum.* *Saxum est non homo, quisquis diuina hac sententia non concutitur totus.* *Quemadmodum enim obedientiam & auscultationem uerbi rebus in mundo præstantissimis contulit, ita nunc inobedientiam & apostasiam confert sceleribus in mundo maximis, & idololatriæ.* *His autem quid poterat uel fingi atrocius et abominabilius? Quisquis autem à uerbo dei etiam bona intentione recedit & quod sibi bonum uidetur sequitur, magia & idololatriæ crimen desit.*

gnat. Eant ergo nunc quibus libet & defendant cum Saule bonas intentiones & traditiones hominū. Nam tam libere pronunciat propheta sanctissimus de facto in speciem bono adeoq; de omnibus bonis intentionibus & constitutionibus humanis. Adiecit idē ille grauiſſimis istis & aliud nō minus graue et atrox, dicens: Quoniam autem abiecisti uerbum domini, abiecit & ipse te ne sis rex. En habes unde maxima in orbē mala deriuentur, & ex quibus causis maximorum regnorum conturbationes, regum deiectiones, populiq; clades exoriātur, ex neglectu uerbi dei, & quod diuinis meliora uidentur quæ ipsi confinximus. Non abiecerat Saul (quod quibusdam uideri poterat) uerbum domini. Nam cultor dei uolebat uideri, & quæcunq; fecerat, bona intentione in gloriā dei fecerat. Nolunt etiam decretarij nostri desertores uocari dei & legum eius. Verum stat æternumq; stabit irreuocabilis & uerissima dei sententia Apostatas esse quicunq; à uerbo dei recedunt & cum hoc dispensantes humanas intentiones sequuntur. Et hæc hætenus de certamine illustrium & maximorum in orbe uirorum, Regis potentissimi & prophetae omniū sanctissimi, in quo uersata est famosa quæstio de bonis intentionibus & constitutionibus humanis, sed & pro uerbo dei contra humanas traditiones pronunciatum.

2. Tim. 3.

Verba Apostoli Pauli, quæ secundo loco tractatum recepi, breuissima sunt, cæterum paucissimis omnina de scripturis prædicant quæ prædicari possunt, illam uidelicet omnibus seruire ætatibus & sæculis, eandem in omnem uitæ partem ualere, sed & ad omnia doctrinarum genera utilem esse, deniq; solam omnia quæ germanæ pietatis sunt cōtinere atq; tradere. Pertinet

Pertinet autem is locus ad nos peculiariter. Vaticina-
 tur enim in eo capite de postremi sæculi hominibus
 consceleratissimis & pseudoprophetis impudentissi- *pseudop-*
 mis & mēdacissimis. Aperta est descriptio & tam apte *prophetæ.*
 tenaciterq; nostris inhæret decretarijs ut omnino pur-
 gare se, latere aut quicquam dissimulare non possint.
 Quemadmodū, inquit, Iannes & Iambres resistebāt
 Mosi, ita hi resistunt ueritati, homines mēte corrupti,
 reprobī circa fidem, sed nō proficient amplius. Siqui-
 dem amentia eorum euidentis erit omnibus, quemad-
 modum & illorum fuit. Hæc de pseudoapostolis. Post
 hæc præscribit quomodo pijs, maxime autem religio-
 nis antistites, saluis mercibus & sine fidei ac ueritatis
 naufragio è tantis procellis enauigent, nempe si perse-
 uerent in doctrina & exemplo apostolorum, si deniq; *scopus pie-*
 inhæreant scripturæ sanctæ fideliter, cum illa omnia *tatis.*
 abunde tradat quæ ad ueram pertinet pietatem & re-
 ligionem. Dicit enim, Tu uero affectatus es doctrinā
 meam, institutionem, propositum, fidem, lenitatē, cha-
 ritatem, patientiam, persecutiones, afflictiones, quæ
 mihi acciderunt, &c. Hanc, inquit, doctrinam meam,
 hoc uitæ exemplum, & hanc agendi, iudicandi & lo-
 quendi formulam imitare, quā ex Paulo Christi apo-
 stolo didicisti, quisquis & temetipsum & ecclesiam tibi
 commissam cupis saluam. Gloriam dei quære ante
 omnia, Christi meritā iustificationem & sanctificatio-
 nem per fidem commenda omnibus, charitatē incul-
 ca diligenter, uoluptates sperne & incessanter perse-
 quere, afflictiones autem propter Christum & euan-
 gelium illatas forti & infracto animo tolera. Quod si
 uideris hostibus uerbi dei omnia succedere ad uotū
 ipsosq; feliciori successu frui, noli offendi aut ab insti-

*Succensus
impiorum*

*Studium sa-
crarum li-
terarum.*

tuto sancto propter infortunium tuum retrahi. Perpe-
tuo enim homines mali & impostores, perficient in pe-
ius, dum illis errasse non est satis nisi & alios secum se-
ducant. Tu autem persistito in his quae didicisti, & quae
tibi sunt concredita. Constantia in uero, res facit esse
saluas. Leuitate amittitur ueritas. Nam traditio tradi-
tionem ferit, & quo plures crescunt constitutiones, hoc
minus ad iustam frugem peruenit semen uerbi domi-
ni. Perseuera igitur in illis quae tibi sunt tradita ab apo-
stolis. Quae illa? Quae alias quoque scripturis traduntur
canonicis. Sequitur enim, Cum scias a quo didiceris.
A quo obsecro? A Christi apostolo Paulo, in primis
autem a sancto dei spiritu, qui loquutus est per propheta-
tas. Nam sequitur, Et quod a puero sacras literas no-
ueris. Timotheus enim cum esset natus matre Iudaea
pro more eius gentis ab ipsis incunabulis institutus
creditur in literis prophetis. Iam uero infert literas
illas ad salutem perfecte tradendam sufficere, dicens:
Quae te possunt eruditum reddere ad salutem per fi-
dem quae est in Christo Iesu. En quid poterat ad nego-
tium praesens dici manifestius? Scripturae, inquit, sa-
erae possunt te eruditum reddere ad salutem. Quid cu-
pis amplius? Hoc illud est quod in praesenti uolumus
tibi approbare, sufficere ad salutem sacras literas. Sunt
tamen apostoli uerba de scriptis testamenti ueteris tan-
tum intelligenda. Noui enim testamenti opera, sole cla-
riora, nondum cum haec scriberet Paulus, aedita erant
omnia, & in uolumen, ut nunc sunt, redacta. Vnde li-
quido aestimare licet quid tantus apostolus de utriusque
testamenti perfectione pronunciaisset, qui tam libera-
liter & splendide de lege tantum & prophetis testifica-
tur. Signanter uero addit, Per fidem quae est in Chris-
to Iesu.

sto Iesu. Nisi enim tam in lege quàm in prophetis legentes, ad Christum ceu cynosuram unicam & certissimam, oculos animi intendamus, uariæ oborientur errorum nebulae. De Iudæis enim legimus, Occæcati sunt sensus illorum. Nam usq; ad diem hodiernum uelamen in lectione ueteris testamenti manet, nec tollitur uelum quod per Christum aboletur. Et ad hunc usq; diem cum legitur Moses uelamen cordibus illorū impositum est. At ubi conuersi fuerint ad dominum tollitur uelamen.

Sequitur nunc quod in hac causa est præcipuum, *Perfèctio*
 Omnis, inquit, scriptura diuinitus inspirata. Nō enim *et utilitas*
 de qualibet hominum etiam sapientum philosophorū *scripturæ.*
 & decretariorum scriptura (ut scripturarū uaria sunt
 genera) loquitur, sed de Canonica, quæ creditur à spi-
 ritu sancto inspirata. Quid illa? Uttilis est. Ad quid ob-
 secro? Ad omnem uitæ partem, ad omnia omnium æ-
 tatum sæcula instituenda, deniq; ad omnia doctrina-
 rum genera. Nam species quasdam subiungit, & ait:
 Primo utilis est ad expositionem & demonstrationem
 earum rerum, quæ scire refert de deo & natura eius,
 de cultu dei uero, de uera uirtute, de fide & iustifica-
 tione, de bonis operibus siue officijs pietatis, de uita
 beata, deq; uita futuri sæculi, & si quid huius generis
 aliud scire refert. Hæc enim pars comprehendit omnia
 dogmata nostræ religionis. Quocirca non est ut quis
 illa sibi putet à Consiliorum definitione esse petenda.
 Secundo utilis est scriptura *περὸς ἁλλήλων*, id est ad re-
 dargutionem erroris eorumq; qui se opponunt ueri-
 tati. Id quod alij tribuere Consilijs & Patribus. Nisi e-
 nim hi, inquit, hæreses discussissent, actum esset de
 religione nostra. Cæterum non uident scripturis su-

peratos esse hæreticos, ut nunc omnis gloria in solidū cedat scripturæ. Tertio utilis est scriptura *πρὸς ἐπιτιμωσίν*, id est ad correctionem, siue ut Ambrosius uerit, ad integrandum & restaurandum, si quid collapsum sit in religione aut peccatum in moribus hominū. Decretarij hoc laudis suis traditionibus ascribūt, quo nomine illas appellitant ordinationes & disciplinas ecclesiasticas. Paulus uero scripturas ait utiles esse ad restorationem. Quarto, utilis est scriptura *πρὸς παιδείαν*, id est ad disciplinam, castigationem ac informationem in uera innocentia & integritate uitæ. Addit his & aliud excellētius, VT INTEGER SIT DEI HOMO AD OMNE OPVS BONVM APPARATUS. Non ait, Vt inītiatus sit in pietate, & mox absoluitur per traditiones humanas, sed ut integer sit seruus dei, non ad hoc aut illud bonum opus, sed ad omne bonum opus apparatus. Abite ergo quò digni estis cum traditionibus uestris quicunq; cōtenditis humanas constitutiones ad ueram pietatem absoluendā cultoribus dei necessarias esse, nec scripturas omnia quæ pietatis ueræ sunt complecti & tradere. Sufficiant tibi Christiane Lector quæ ad ueram pietatem sufficere ex traditiōe apostolica credidit antiquitas. Quod si quid docendum est, si tradenda dogmata aut excutienda, si errores aut hæreses ueniunt uel reuincendæ uel confutandæ, si quid repurgandū erit ab asperginibus humanæ insipientiæ, si quid reparandum, aut mores corrupti sunt corrigendi, breuiter, si quid agendum in religione, recurramus ad scripturas. Ex his petamus recte administrandæ religionis formulas. Abūde enim omnia tradit quæ pietatis sunt.

PERORATIO AD REGEM.

AVDISTI Rex sanctiss. quanta sit uerbi dei scripturæq; Canonicae authoritas. Consentunt in hanc cœlum & terra. Cœlitus enim illa oraculis, signis & prodigijs cōfirmatur à deo uero; uiuo & æterno. Hanc ille diserte pronunciat suam esse uoluntatem, suum illud æternū & irreuocabile uerbum. In terris autem optimi, doctissimi & sapientissimi quicq; ad istam ceu infallibilem omnium agendorū & fugiendorum regulam respectarunt, huic sese dederunt totos, huic deniq; extremum impenderunt spiritum. Iam & ipsa sæculorum omnium series inuictæ uel scripturæ amplissimum detulit testimoniū. Opposuerūt se quidem uerbo domini potentissimi, adde et successu felici reges & imperatores clarissimi, nationes & regna nobilissima, collegia item sacerdotū estimationis maximæ; opposuerunt se inquam disputationibus argutis, artibus uafris, armis ualidis, & supplicijs crudelissimis, cæterum frustratis, fuis, fugatis oppressisq; his omnibus ipsa uicit æternūq; regnabit immortalis scripturarum ueritas. Hæc illa scriptura est. Rex serenissime, quæ primas tenet in omni eruditionis & scriptorum genere. Ad hanc pleriq; Gentium, qui modo ulla polluerūt eruditionis fama, respectarunt, & ex ipsa si quid ueri, boni & egregij habent decerpserunt. Hæc enim aliquot sæculis omnes poetas, oratores, philosophos, historicos, & legislatores antecellit, omnium in mundo uetustissima certissima & absolutissima philosophia. Hæc enim sola perfecte continet quæcunq; ad consequendam uitam beatam pertinent. In hac omnes partes uitæ, omnes gradus & ordines rite instituntur. In hac cernuntur omnium

doctrinarū genera, omnes deniq; uirtutum & uitiorū species, quicquid itē de uera theologia, de recte sentiendi, iudicandi, loquēdi, agendiq; regula dici potest, hæc una tradit perfectissime, utpote per omnes partes suas integra & nullatenus diminuta.

Nunc ergo Domine mi Rex cum hæc ita habeant, & tanta omnino sit scripturæ sanctæ authoritas, certitudo, firmitas, uetustas & perfectio absoluta, te autem unxerit dei bonitas super populū et hereditatē suam, ut hanc gubernes in ueritate & timore dei, in iudicio & iustitia, non potes quicquam te & tua uocatione dignius, piū magis & toti regno utilius agere, quam decretis hominū semel omnibus neglectis, subuersis ac conculcatis te totum dei uerbo tradere, & secundum scripturas Canonicas & uitæ & regni tui omnia instituire. Fecerunt hoc ante te optimi quicq; fortissimi, sapientissimi & sanctissimi reges, qui etiam hoc nomine egregiam sui apud posteros memoriam reliquerunt, & nūc & usq; in sæcula sæculorum regnabunt felices apud regem regum deum æternum uere optimum maximum. Roborantur & regna terrena ueritate plana, perspicua & pura. Solidatur hæc iusta obedientia. Inseritur & populo amor & studium erga Principem immortale, inuictum, maximum. Cæterum ut ueritas omnibus innotescat, mēdacia & imposturæ hominum dispareant, opus est fidelibus canonice ueritatis ministris & præconibus. De quibus aget liber posterior, quem nunc auspice deo aggredimur.

FINIS LIBRI PRIMI.

DE EPISCO-

PORVM QVI VERBI DEI MI-

NISTRI SVNT INSTITVTIONE ET FVNCTIONE

contra superstitionis tyrannidisq; Romanæ

antistites, ad Serenissimum Angliæ Re-

gem Heinrychum VIII. Henrychi

Bullingeri Liber secundus.



SCRIPTVRVS de institutione & fun-
ctione ministrorum uerbi dei non omnia
ad amissim & ad plenum persequar quæ-
cumq; de hoc negotio dici possunt, sed tan-

tum summa sequens uestigia rerum latissime sparsa
in breue quodpiam contraham compendium. Doce-
bo autem quæ sit ministerij huius antiquitas, & qui
primi fuerint prophetæ, hoc est ministri uerbi. Deina-
de quæ origo sit, quæ causæ & officia sacerdotij Le-
uitici, & quæ circa hoc cõsideranda ueniunt, perstrin-
gam. Hinc ostendam quod in locum Leuitarum, au-
thore Christo domino, doctores uenerint euangelici,
quodnam horum sit officium, & qui ad hoc muneris
deligendi sint. Adijciam his quædã de scholis priscis,
de stipendio ministrorum uerbi dei usq; recto & san-
cto facultatum ecclesiasticarum, item de dignitate
& authoritate episcoporum. Et quo plus roboris di-
sputata habeant, opponam ijs rursus quæ de nouo
pontificatu suo, maxime uero de plenitudine potesta-
tis Romani episcopi confinxerunt Pontificij. Vbi scri-
pturæ quædam loca & argumenta nonnulla, quibus
suum illum errorẽ statuunt atq; defendunt, explica-

*Argumen-
tum libri.*

bo, demonstrans apostolicum ministerium & quæcunq; ad hoc pertinent conseruandum, istorum traditionibus prauis prorsus esse antiquata adeoq; & subuersa. Et hanc querelam de corruptissimo episcoporum statu non nuperam sed priscam esse euincam, ne quis forte putet me affectui indulgere & bilem, quod dici solet, releuare uelle. Postremo appendam qui & quo tempore exorti sint, quorum opera a te & improbitate inuincibili imperium Romani episcopi suorumq; antistitum adeo in immensum excreuerit. Quemadmodum uero priorem librum de uerbo dei siue scriptura sancta, quæ episcopi cuiuslibet materia est, quam tractet & in qua sese exercent, non nisi ad utilitatem ecclesiæ Christianæ ædidi, ita posteriorem hunc de episcoporum institutione & functione, nullo alio quàm iuuandi studio adieci. Proinde si quæ asperius in se dicta cõpererint episcopi & sacerdotes nostri, meminerint quæ & quanta sit eorũ corruptio, cum tamen ipsorum sanitatem integritatemq; oportuerat esse omnium absolutissimam, meminerint desperatos propè morbos corporis non posse molliculis & suauibus fomentis, sed medelis acerbioribus & plerunq; incisuris curari. Iam cum grauiores sint animorum morbi, non uideo cur non isdem quoq; medicina acerbior paranda sit. Proinde resipiscant quicunq; sibi consultum uolunt, ne ab inextinguibili igne iræ dei nostri aliquãdo, & citius quàm expectent, absorbeantur; & qui nunc laborant in uinea domini fideliter, qui nomine & re episcopi sunt, cõtendant se indefines in uirtutibus uincere & ministerium suum magno cum ecclesiæ fructu approbare domino cui seruiunt. Neq; uero & in his nostris quicquam in se dictum

Et cum interpretetur quod reuera in pseudoepiscopos, hoc est, qui nomine episcopi re ipsa lupi sunt uoracissimi, iusta seueritate diximus.

De prophetia, eius antiquitate, & primis sacerdotibus.

Cap. I.



Verunt in mundo ab ipso statim rerum exordio uiri singulares rerum peritia præstantes ac religiosi, quorum opera usus est dominus ad instituendum mundum doctrina sana, legibus æquis, ritibus sanctis, & puro uitæ exemplo. Unde nos colligimus institutionem propheticam, sacerdotium siue uerbi dei ministerium, simul cum mundo & cum primis parentibus nostris cœpisse diuinitusq; inter homines ordinatum esse. Nam quicumq; dei cognitionem non uulgarẽ, rerum quoq; peritiam præclaram, & eam omnino nacti erant, quam & alijs hominibus tradere poterat, ijdem & sacrorum erant præsidēs, quocirca uel prophetæ uel sacerdotes à primo illo sæculo appellabantur. Significat autem Græca uox προφήτης eum qui prædicit futura, uatem uide-
Propheta
 licet ac diuinum. Componitur enim uox ex προ, id est quid præ uel ante, & φημι loquor seu dico. Hebraïca uox נביא, quã pleriq; nostrorũ uerterunt propheta, latius patet. Significat enim diuinæ mentis cõscium adeoq; dei apud homines interpretem, qui dei uoluntatẽ ac placita hominibus annunciat & ad illa facienda urget atq; perpellit. Ita enim legimus Exo. 7. Et dixit dominus ad Moſen: Ecce dedi te deũ Pharaonis, eritq; Aaron frater tuus propheta tuus. Tu dices Aarõni quid loquatur, & Aaron loquetur ad Pharaonem, Apud Ieremiam quoq; ait dominus, Misi ad uos seruos Ierem. 21

meos prophetas mane surgendo, dicens, Reuertimini nunc quisq; à uia sua mala, & bona facite studia uestra, & nolite ire post deos alienos. Et iterum, Dedi uerba mea in ore tuo, & constitui te super gentes & regna, ut euellas & extirpes, perdas & subuertas, ædifices et plantes. Hinc uero propheta etiam רְאִי, id est speculatores & episcopi dicti sunt, itē רְאִי, id est uidentes. Tamen enim excubitores & magistri morum erant, quàm eruditi homines quibus amplior contigerat rerum diuinarum cognitio quàm alijs hominibus uulgariibus. Ita legimus in libro Samuelis, Olim si quis ibat deum consulturus dicebat, Venite & ibimus ad Uidentem. Nam qui hodie propheta uocatur, antea uocabatur רְאִי uidens. Huc illud quoq; Pauli pertinere uidetur, Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem. Ex quibus omnibus colligimus Prophetam esse uirum numine afflatum, mentis diuinæ consciū, dei apud homines interpretem, uitæ exemplum, morum moderatorem ac magistrum, iustitiæ exactorem, expositionem sacrorum, & legum disciplinæq; custodem. Porro Sacerdos uox Latina significat ministrum sacrorum, hoc est hominem deo dicatum consecratumq; ad faciendum sacra. Deriuatur enim uox à sacris. Sacra uero non sunt quæ creduntur tantum esse sacra, sacrificia, aræ & templa, uestes & uasa, sed quæcunq; ueniunt sub nomine religionis & iustitiæ consideranda, sacra in primis leges. Quocirca & apud gentes sacerdotes non tantum erant custodes templorum, sed legum quoq; non in hoc tantum instituti, ut sacrificia traderent, sed ut religionem, iustitiam uitæq; innocentiam ac tuerentur. Neq; enim quoslibet ad hoc muneris

Ierem. 1.

2. Reg. 9.

1. Cor. 14.

Sacerdos
quid?

muneris deligebant, sed ex ciuibus, è doctis, è plebe & senatoribus, è militiæ deniq; præfectis probatissimos quosq; uiros grandæuos, longo rerum usu, in omni genere uitæ, in publicis & priuatis muneribus exercitatissimos instructissimosq;. Talibus inquam deferebant sacerdotij functionē ac dignitatē. Talibus quoq; libentius credebatur parebatq; populus, utpote peritia rerum, grauitate morū, & ætate prouecta illustribus & auctoritate dignitateq; reuerenda cōspicuis uiris. Atq; hoc nomine crediderim Hebraicam linguā suos sacerdotes nuncupare כהנים, id est præsides, non sacrificatores tantum, sed et omnis iustitiæ & religionis præfectos, heroes ac principes.

Huiusmodi uero prophetarum ac sacerdotum delectam copiam habuisse priscum illud sæculum, testis est historia sacra. Adam enim qui primas inter hos merito tenet, uerus dei & propheta & sacerdos fuisse credendus est. Quæcunq; enim de uera religione & moderato sacrorum usu custodit posteritas, ab Adamo religionis & sacrorum primicerio, ceu per manus, accipit. Et quæcunq; ille de his à deo didicit, sanctissima fide filijs suis tradidit. Adamo proxime accedit Seth, cuius diligentī & pia opera effectum est, ut nomen domini, per impiam Caini stirpem neglectum & in hoc grege propè obsoletum, nunc in sancta Sethi prospia & rectius & frequentius inuocaretur. Enoch uita immortalis & resurrectionis typus, quia cum deo diligenter ambulauit, non potuit non sancto uitæ exemplo compluribus sui æui hominibus profuisse, unde merito inter primos habetur prophetas ac sacerdotes. De Noë nullum dubium est quin sacerdos & propheta dei magnus fuerit. Sacrificauit enim domino,

Veteres
propheta
& sacra
dotes.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

odoratusq; est dominus odorem quietis, ut scriptura
 testatur, & propitiatus est dominus: in quo & typus
 Ephes. 5. Christi spectandus uidetur. De quo Paulus ad Ephesios,
 Christus, inquit, dilexit nos & tradidit semetipsum
 pro nobis, oblationem ac uictimam deo, in odorem
 bonæ fragrantia. Idem Noë ab ipso etiam apostolo
 2. Pet. 2. Petro appellatur præco iustitiæ, nimirum ob prædicationem
 iustitiæ, quam creditur constanter ante diluuii
 iudicium prædicasse deplorato aliâs sæculo. De
 Gene. 20. Abraham oraculum dei in Genesi ad Abimelech regem
 Gerar pronunciat & ait: Nunc igitur restitue uiro
 uxorem suam. Est enim propheta, & orabit pro te,
 ut uiuas. Iosephus quoq; primo Antiquit. lib. cap. 15.
 Primus, inquit, Abrahâ apud orientales præsumpsit
 pronunciare deum creatorẽ unum esse cunctorum, &
 opinionem quam de deo tunc cuncti habebant ausus
 est oppugnare, admonens illius prouidentia cuncta
 geri, huic uni seruiendum esse, & gratias ei agendas
 in omnibus soli. Iam et illud nemini obscurum est, quod
 non semel domino immolauit: quocirca non immerito
 sacerdos dñi appellari poterit. Melchizedek simul &
 rex fuit & sacerdos, minister nimirum iustitiæ & religio
 nis. Hic uero non ideo dicitur fuisse sacerdos, quia panem
 & uinum obtulit domino. Nam illa pro munere
 transeunti Abrahæ uictori cum copijs suis protulit ad
 recreandos delassatos famelicosq; et à cæde regum rede
 untes milites. Aliâs, quod ei ætati moris erat, offerre
 solebat domino. Nunc autem eo magis sacerdotij munere
 fungitur, quod & deum laudat & Abrahæ uirtutem.
 Illi nimirum gratias agens pro uictoria: hunc autem
 proponens exemplum quem imitentur populi pastores.
 Nam uirtutem commendare, & ad uirtutes animare,

animare, deniq; & sanctos homines in sancto retinere officio, uera sunt sacerdotum munia. In illis & Iethro Moſis ſocerū inclaruiſſe nihil ambigimus. Erat enim ſacerdos Midian, uir proculdubio diuinus, rerum diuinarum humanarumq; peritus, iuſtitia cultor & recta religionis doctor. Et ne omnia recenſeam prophetarum & ſacerdotum exempla, uetus Iudæorum traditio eſt in populo dei ſemper fuiſſe ſacerdotes. *Primogenitos enim ea ſanctos eſſe dignitate, utpote ſeniores & rerum peritiores. Cui quidem ſententia non uideatur refragari ſcriptura, quæ in Exodo ſacerdotum meminit, priuſquam inſtitutum fuiſſet Leuiticum ſacerdotium.*

Colligimus uero ex iſs omnibus originem & uetuſtatem prophetia ac ſacerdotij pertinere ad ipſa rerū primordia, ſanctiſſimosq; patriarchas & optimos religioſiſſimosq; in primæuo illo ſæculo uiros prophetas fuiſſe & ſacerdotes. Hi omnes ut nō creati ſunt ſolenniter ullis ceremonijs adhibitis, ita ſanè rebus ipſis, cognitione uidelicet numinis, iuſtitia, eruditione, prudentia, & morum probitate fuerunt ornati. Neq; uero & magnos ſumptus faciebant in externa religione exercenda & conſeruanda. Nullis enim uſi leguntur templis auguſtis, aris politis & deargentatis, pateris inſtrumentisue aureis. Credebant enim deum ſpiritu non litera delectari. Frugales ergo erant & in mactandis hoſtijs, liberales cōtra in erogandis opibus ad egenorum neceſſitatem ſubleuandā, promptiores quoq; erant ad exercendam iuſtitiam colendamq; uirtutem quā in ſplendore ceremoniarum inſtituendo. Intellegebant enim externa illa ſacra inuenta eſſe ad exercendam internam animi pietatem, ſine qua illa deo

Primogeniti quondam ſacerdotes.

Puritas & ſimplicitas priſci ſacerdotij.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

plane non probentur. Intelligebant illa gratitudinis confessionis & maximarum rerum esse testimonia ac symbola, ideoque in res ipsas conuertebant oculos, & his assequendis omnes animi vires intendebant: quo nomine & à deo approbati sunt. Nam per fidem, inquit Paulus, meruerunt testimonium seniores.

Heb. 11.

Institutio Leuitarum & eorum functio. Cap. II.



Aec de prisco sacerdotio delibauimus, sequitur nunc de sacerdotio Leuitico. Postquam dominus ducatu Moſis populum Iſraelis ex Aegypto liberaffet, et iam ſtatuere in hoc populo peculiarem ſibi eccleſiam atque rempublicam conſtituere, primo quidem in hac Nomophylaces legum cuſtodes, ſanctum ſcilicet magiſtratum inſtituit: dein de uero leges promulgauit & ſanciuit: poſtremo delegit ſacerdotes, non ex omni quidem plebe primogenitos, ſed ex omnibus tribubus certam tribum Leuitarum uidelicet, idque propter eius tribus uirtutem. Nam ita legimus in Exodo, Stans Moſes in porta caſtrorum ait, Qui domini eſt ueniat. Et congregati ſunt ad eum omnes filij Leui. Quibus ait, Sic dicit dominus deus Iſrael, Ponat quiſque gladium ſuum ſuper foemur ſuum, euntesque & redeuntes de porta ad portam caſtrorum occidat quiſque fratrem ſuum ſocium & propinquum. Fecerunt autem filij Leui iuxta uerbum Moſi, & ceciderunt de populo in die illa quaſi tria millia. Nemo miratur quod dicitur. In lege enim ſcriptum eſt, Sacrificans dijs alienis ſacrificabitur, praeter deo ſoli. Factus quidem Leuitarum in ſpeciem atrox, ſed reuera pulchrum & deo placens opus eſt. Nam & Moſes illud laudans ait, Implete manus ueſtras hodie domino, unus

Origo Leuitici sacerdotij.

Exod. 32.

Exod. 20.

unusquisque pro filio suo & pro fratre suo, ut detur uobis benedictio. Quasi dicat, Egregiam sanè nauastis operam, primo quod in partes domini cōcessistis, deinde quod de idololatriis ad præceptum domini supplicium sumpsistis: pro tanta uirtute magnum profecto præmium debetur uobis omnibus, nimirū sacerdotiū. Proinde initiate uos sacerdotio. Hactenus primogeniti fuerunt sacerdotes uestri, ex fratribus & filiis uestris, iā uero illa gloria ad uos translata est. Præterea non eritis gratis sacerdotes, sed dabunt uobis fratres uestri benedictionem, id est, munera quæ immoletis domino. Hæc autem est institutio siue origo Leuitici sacerdotij.

Reliquum est ut nunc dicamus de officio Leuitarum, hoc est, ut doceamus in quem finem instituti sint à deo Leuitæ. Officia quidem ipsorū latissime patent, & ab ipso Mose descripta sunt copiosissime, maxime in iure Pontificio, id est in eo libro quem nos appellamus Leuiticum, unde petant licebit quicumque de his absolutam disputationem cupiunt, ego summam modo rei perstringam, & in genere illos ad ministeria sacra institutos credo, sicuti retulimus de prisco quoque sacerdote. Porro in ministerio sacro primas obtinet, quod modo etiam diximus, institutio in lege & uoluntate dei, iccirco præcipue instituti erant Leuitæ ut docerent legem dei & erudirent populum. Deinde ut orarent pro populo & huic benedicerent. Postremo ut tabernaculi & externi cultus curam gererent, id quod latissime diffunditur. Hæc certe sunt prima sacerdotalis munij capita. Falluntur ergo qui credunt Iudaicos sacerdotes lanios tantum fuisse & ceremoniarum magistros. Nunc enim scripturæ testimonijs comproba-

Officia Leuitarum.

bo quod proposui, si illud prius dixerō Leuitis non ha-
 cuisse quicquam docere quod non esset lege dei pro-
 ditum. Quod autem prima functio eorum fuerit doce-
 re, claret uel ex illa lege domini, quæ Leuit. 10. in hæc
 uerba extat, Et loquutus est dominus ad Aaron, di-
 cens: Vinum & siceram non bibes, tu & filij tui, qui
 sunt tecum, cum ingressi fueritis tabernaculum testi-
 ficationis, ne moriamini; statutum sempiternum sit in
 generationes uestras; & ut discrimen faciatis inter san-
 ctum & inter prophanum, inter immundum & mun-
 dum: VT QVE DOCEATIS FILIOS ISRAEL
 OMNIA statuta quæ loquutus est dominus ad eos per
 manum Mosi. Hanc eandem legem repetijt Ezechiel
 totidem propè uerbis quantq̃ paulò significantius, &
 dixit: Nullus sacerdotum uinum bibit quando ingre-
 diuntur in atriu interius. Et docebunt populū meum
 discrimen sancti & prophani, & facient eos interno-
 scere immundum à mundo. Multo autem planius Ma-
 lachias de sacerdotali officio ad sacerdotes loquens ue-
 terumq̃ Leuitarum fidem laudans, & præsentium ac-
 cusans perfidiam, Pactum meum fuit cum Leui, in-
 quit, in uita & pace, dediç ei illa (sacerdotium & glo-
 riam) ob timorem quo me timuit, & quod à facie no-
 minis mei territus est. Lex ueritatis fuit in ore eius, &
 iniquitas non est inuenta in labijs eius, in pace & in re-
 ctitudine ambulauit mecum, & multos auertit ab ini-
 quitate. Quoniam LABIA SACERDOTIS CV-
 STODIENT SCIENTIAM, & legem requirēt ex
 ore eius. Quia legatus domini exercituum est, Ex qui-
 bus omnino liquet potissimas sacerdotalis functionis
 partes esse instituere docereq̃ populū. Huc pertinet
 etiam omnis ille mundus & ornatus uestimentorum
 sacerdos

Sacerdoti
 fuit doce-
 re,

Ezech. 44

Malach. 2.

Vestes sa-
 cerdotum
 Leuit.

facerdotalium. His enim significabatur hieroglyphica quadam ratione quales deberent esse sacerdotes, nimirum eruditi à deo, prudentes, integri, temperates, iusti & uitæ sanctimonía puri. Inter cætera quibus Pont. Max. ex more redimitus cultusq; prodibat, gerebat in pectore rationale siue pectorale iudicij, in quo positi erant *Vrim & Thummim*, illuminationes et integritates, Septuaginta uerterunt *ἀλλωσις καὶ ἀλήθεια*, manifestatio et ueritas. Hoc uero quid significabatur aliud, quàm quod in pectore sacerdotis debet esse uerum iudicium de rebus diuinis, quod deinde non sibi retineat sed coram ecclesia proferat cum ueritate. Neesse enim est ut cœlesti illuminationi ac sapiētiae iuncta sit integritas & uera animi constantia, deniq; & puritas uitæ. Cæterum non est mei instituti allegoriarum uestium in præsentiarum contexere, qui plura eius generis quærit, leget doctrinam D. Hieronymi de Veste sacerdotali ad Fabiolam dissertationem. Hæc in hoc tantum in transcurso attigi, ut intelligeres docendi functionem Leuiticis sacerdotibus præcipue fuisse iniunctam. Ad eruditionem sacerdotalem iudicandiq; formas uarias referendas puto, iudicia scilicet ea quorum mentio fit Deut. 17. causas item matrimoniales, sed et lepræ iudicium, quod hodie haud imprudenter ad phisicos, medicos & chirurgos urbium relatum est. Adhibebantur etiam pugnis & militiæ sacerdotes. Noluít enim dominus leges inter arma silere. Nec ignoro & nonnullas alias esse partes officij sacerdotalis, quæ sub eruditionem poterant referri, sed illa mihi in præsentia ad meum institutum sufficiunt.

Venimus iam ad Preces, de quibus non est quod ponam testimonia: Scriptura enim ubiq; testatur *sacerdotum fuit orare.*

cerdotum fuisse supplicare iugiter pro populo. Neque semel id factitasse leguntur prophetarum sacerdotūque primarij uiri, Moses, Samuel, ac Ieremias. Ezechiel *Ezech. 13.* planè cōqueritur & sacerdotes accusat grauius quod sese pro populo contra domini furorem mox deseuerum non opponant precibus & doctrina sana, qua reuocent ad pœnitentiã. In Numeris cap. 6. formula certa præscribitur qua iubebat dominus populo bene dicere sacerdotes. Loquutus est enĩ dominus ad Moysen, dicens; Loquere ad Aaron & ad filios eius, dicēs; Sic benedicetis filijs Israel, dicetisq; ad eos; Benedicat tibi dominus & custodiat te. Illuminet dominus faciẽ suã super te & misereatur tui. Leuet dominus faciem suam super te, & ponat te in pace. Ponẽt itaq; nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Huc uero pertinebat Ara quoq; thymiamatis typus orationis sanctorum.

Sacerdotes ac Leuitæ tabernaculi curam gerant.

Iam uero circa curam Tabernaculi & circa sacrificia uaria operosa & molesta fuit institutio. Tabernaculum enim & uasa in ipso omnia erant portatilia. Unde & singulis propè familijs singulæ tabernaculi & uasorum partes ac onera expediendæ, gerendæ, custodiendæq; delegabantur: id quod fufius exponitur per prima quatuor Numerorū capita. Deinde uarij quoque generis & ritus erant sacrificia: de quibus per initium Leuitici differitur. Iam ut candelabri ignisq; perpetui magna cura, ita mensæ ac panum propositionis & reliquarum ceremoniarum maxima erat religio. Onerosa quidem illa operosaq; fuit religio, sed quam sibi sua superstitione ascruerat populus carnalior ad externum cultum propensior. Facile potuisset dominus pristina illa simplici & frugali sanctorum patrum religione

Operosa & sumptuosa religio.

religione cōtentus esse, sed populi cum salus tum di-
 ricies aliud exigebat. Assueuerant in Aegypto huius
 modi externæ religionis exercitijs. Vnde periculum
 erat ipsos exoticam repetiturum religionem, ni quæ-
 dam cōcederet diuina prudentia. Proinde ne aliquan-
 do deum ritu colerent nouo & gentili, & ut sacramen-
 ta quoq; Christi haberēt, typica & externa illa conces-
 sit: cuius quidē administrationem & expositionē com-
 mittit sacerdotibus suis. Horum ergo intererat non
 tam exercere cultum externū eo ritu & modo quem
 præscripserat dominus, quàm exponere in quē finem
 illa sint instituta & quid significant. Id quod illi sacer-
 dotes & propheta: optima fide fecerunt, quorum ad
 nostram memoriā peruenerunt codices ac opera.
 Quanquā uero patres nostri (ut hoc interim in trans-
 cur(u) annotem) operosa & sumptuosa habuerint sa-
 cra, nihilo tamen plus in ijs operosissimis et copiosissi-
 mis exhibitū eis credimus quàm in paucis illis suis sa-
 cramentis habuerint primi sæculi patres, uel nos hodie
 in nostris acceperimus symbolis. Sed hæc hæcenus.

De Cantoribus Leuiticis non est quod multa di-
 cam, cum musica sero tandem in ecclesiam dei indu-
 cta legatur, authore quidem Dauide, Nathan & Gad
 prophetis, sed tamen haud citra spiritum dei. De qua
 re pluscula tradit author lib. Paralip. Cum uero Iudai
 gens umbratilibus illis intenta, negligeret maiora,
 fidem, pietatem et iustitiā, audit à sancto dei propheta
 Amos. Sic dicit dominus: Odiui & abominatus sum
 festiuitates uestras, nec odorabor suffitum coetuum
 uestrorum. Et cum obtuleritis mihi holocausta uestra
 atq; munera non accipiam, sed & pacifica pinguium
 uestrorum non aspiciam, Aufer à me tumultum siue

Cantores
Leuitici.

1. Para. 25.

2. Par. 29.

Amos 5.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

strepitum canticorum tuorum, & concentum instrumentorum musicorum, quia non audiam. Erumpat autem sicut aqua iudicium, et iustitia quasi torrens uehemens. Proinde præstat multis ceremonijs & canticis iudicium & iustitia: sine his cantus Leuitarum tumultus erat sonitusq; confusus. Quia non est pulchra laus in ore peccatoris, sed tumultus, & ut D. Hieronymi uerbis utar, grunnitus suis et clamor asinorum. Patet autem uel ex his in officio sacerdotali præstantior rem esse doctrinam iudicij & iustitiæ.

Functionem sacerdotalem regali iunctam fuisse, citra tamen ambitionem & tyrannidem. Cap. III.



Dedendum uidetur illis quod dominus functionem sacerdotalem & regalem cōiunxit, idq; propter officij cognationem & quod alterū sine altero felix & saluū esse nequit. Vterq; tā rex q; sacerdos minister est, minister inquā dei et ecclesiæ. Itaq; sacerdos non præferabat se regi, neq; rex interim aspernabatur prophetam. Vterq; erat deo subiectus, uterq; ministrabat, uterq; iubebat omnia sua ad præscriptum legum diuinarum componere. Ideo in Num. 27. ad Moſen ait dominus, Tolle Iosue filiū Nūm, uirum in quo est spiritus, & impones manum tuam super eum, statuesq; eum coram Eleazar sacerdote & coram uniuersa multitudine, & præcepta dabis ei in oculis eorum. Dabis quoq; ei de laude tua, ut scilicet obedientes fiant omnes qui sunt de congregatione filiorum Israel. Et stabit ante Eleazar sacerdotem, qui consulat pro eo oraculum Vrim coram domino, & iuxta uerbum eius egredientur, atq; iuxta uerbum eius ingredientur tam ipse quā uniuersi filij Israel cum eo

eo atq; totus coetus. Audimus auspice deo hic agi omnia, deumq; ipsum tam rege quam sacerdote uti ut ministris suis. Statuitur ergo princeps in corona populi ante sacerdotem, nimirum ut sacrorū legisq; diuinæ peritum, non ut hic se principi præferat & pro sua libidine regem subiiciat ad oscula pedum, sed ut pro principe deum oret, ipsumq; dominum consulat ut ei benedicat, & quæcunq; in lege sua præcepit dominus respondeat. Nam in Deuteronomio legitur significan- *Deut. 17.*
 tius in hæc uerba regibus præscriptum, Cum federit rex in solio regni sui, faciet sibi describi exemplar huius legis in uolumine, idq; à sacerdotibus & Leuitis, eritq; illud apud eum, et legere debet in eo cunctis diebus uitæ suæ, ut scilicet discat timere dominum deum suum, & obseruare omnia uerba huius legis atq; statuta ut faciat ea, &c. Audis opinor sacerdotum esse legem dei describere à uero exemplari, & hoc regi offerre, non regibus dominari: regum uero esse legem recipere & secundum hanc omnes uitæ actiones informare. Vterq; ergo minister est, uterq; legi dei adeoq; ipsi deo subiiciebatur.

Ideo autem legimus reges postea inauguratos esse à prophetis & sacerdotibus ut dei ministris, legibus item reges à prophetis grauius fuisse accusatos *Reges un-*
de à sacer-
dotibus. & obiurgatos, uerum ob neglectum legis & facinora grauiā. Qui iam sacerdotibus secundum legem dei agentibus paruerunt reges, laudantur in scripturis, ut Dauid, Solomon, Ezechias, Iosaphat & multi alij: rursus qui rebellarūt, ueluti Saul, Hieroboam, Achab, Jehoiakim, Zedechias & reliqui, merito uituperantur. Nam qui ministrum dei contemnit, ipsum deum cōtemnit. Interim uero strenue suum exequen-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Sacerdo-
tes officio
deiecti
sunt à re-
gibus.

tes officium Leuitæ neq; regibus neq; principibus ne-
que populo parcebant, parebant autem regi unâ cum
populi cœtu. Huius se seruos appellabant. Testimo-
nia si requiras plurima inuenies in libris Regum, non
adulatorum quidem, sed maximorum prophetarum.
In illis ipsis libris proditum est à sanctis regibus etiam
summos sacerdotes ab officio fuisse amotos & alios in
locum surrogatos, cæterum non præter meritum eius
qui abijciebatur, neq; quicquam hic actum est contra
leges dei. Fuerunt enim reges qui repudiarunt sacere-
dotes, & ideo repudiati leguntur à domino. Repudia-
runt enim propter dicendi libertatē & integritatem,
quod nollent sua accusari scelera. Quid quod in Nu-
meris posteaquam inauguratus esset Iosue, statim sub-
iunguntur aliquot capita non politica tantum traden-
tia, sed ecclesiastica quoq; : Sancti enim magistratus
est religionem in primis curare, auaritiā sacerdotū
coërcere, idololatriam & superstitionem excindere,
& nullo modo committere ut auaritia sacerdotum le-
gem dei cõtaminet. Igitur Iosue exhibetur Commen-
tarius Factorū. Nam 28. & 29. cap. de Festis agitur &
sacris: in 30. cap. de Votis, ubi maxime peccare potest
sacerdotum auaritia: in 31. describitur bellum Madia-
niticū. Principis enim est iniurias à populo sibi com-
missas prohibere, & illatas iusto bello uindicare: in 32.
describitur terræ diuisio, ut Iosue & princeps quilibet
intelligeret ad se pertinere rerum diuisionem & cura-
ram ut cuiuslibet suum illud obueniatur. Sic inquam da-
batur principi potestas agendi quæ pertinebant ad in-
columitatem & religionis & reipublicæ conseruan-
dam, etiam contra sacerdotes si modo pergerent esse
nebulones. Rursus sacerdotum erat citius uitam pe-
nere

nere quàm legem relinquere, imò & principi se opponere & contra hunc incessanter clamare, si modo is contra legem aliquid fuisset molitus. Nota est historia Zachariæ filij Iehoiada, qui sese etiam cum uita periculo opposuit regi Ioas. 2. Par. 24.

Proinde cum uterq; tam rex quàm sacerdos legi dei subiectus fuerit, uterq; alteri manum præbuit, & in communi religionis & reipublicæ negotio non separabantur, quos dominus uoluit esse coniunctissimos. Hinc uero pax erat & tranquillitas regni. Rursum magna regni oboriebatur conturbatio, si uel reges nollent audire sacerdotes, uel sacerdotes legem dei negligenter & sua tantum quærent. Testantur hoc Iudicum & Regum Israelis & Iudæ Chronica atq; historia. Ex quibus etiam coniectare licet quanta fuerit authoritas ac dignitas officij sacerdotalis & prophetici. Summus pontifex. Iam uero quod unus cæteris esset prælatus diciturq; summus uel pontifex uel sacerdos, reliqui sacerdotes tantum appellarentur & Leuitæ, typum prætulit rerum futurarum. Christus enim præfigurabatur per sacerdotem summum, reliqui autem sacerdotes figuram gessere populi Christiani. Id quod Paulus testatur in epistola ad Hebræos. Nemo ergo illa sic interpretetur quasi hisce typicis aliquid cõcessum sit humanae ambitioni & superbiæ.

De uestigialibus sacris & scholis priscis. Cap. IIII.



In istis porrò suis prouiderat deus uitæ necessaria. Dignus etenim est operarius mercede sua, & qui reipublicæ aut ecclesiæ ministrat, merito cõmunibus ecclesiæ alitur impensis. Hinc in lege definitur pensio sacra, ferunturq; leges de ui-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Deute. 18. Et ministrorum. Ante omnia uero repagula ponens
 avaritiæ & cupiditatem comprimens sacerdotū, Non
 debet esse sacerdotibus Leuitici generis, inquit domi-
 nus, & toti tribui Leuitarum pars & hæreditas inter
 Israel. Causam addit, Quia dominus est hæreditas eo-
 rum, Quasi dicat: Sufficiat eis portio quæ offertur do-
 mino, hanc enim sacerdotibus obuenire uolo. Hæc au-
 tem erat amplissima. Huc enim pertinebant sacrificia
 de quibus Numeri 18, sic legis: Omnes oblationes san-
 ctorum, quæ offerunt filij Israel domino tradidi tibi
 (Aroni) & filijs tuis atq; filiabus tuis tecum, statuto
 perpetuo, pactum salis perpetuum erit coram domi-
 no, tam tibi quàm semini tuo tecum. His splendidissim-
 is quidem accedebant primitiui fructus & noualia,
 deniq; uarij generis Vota, de quibus fufe differitur ul-
 timo Leuitici capite. Rursus cedebant sacerdotibus
 primogenita, quorum ratio diligēter tractatur in Nu-
 meris cap. 18, Ibidem de Decimis legimus, Filijs uero
 Leui ecce dedi cunctas Decimas Israelitarum in pos-
 sessionem, pro ministerio eorum qui scilicet exequun-
 tur cultum tabernaculi. Omnes ergo Leuitæ accipie-
 bant Decimas: soli sacerdotes participabāt sacrificijs.
 Neq; enim omnes Leuitæ sacerdotes erāt, sed filij mo-
 do Aaronis, neq; omnes habitabant ad tabernaculū,
 sed diuisi per omnem promissionis terram populo do-
 mini prædicabant. In anno semel iterū & tertio ascen-
 debant ad tabernaculum, domini uisendi gratia. Iam
 & certas urbes & domicilia propria iusserat eis desig-
 gnare dominus. Sic enim legis, Et loquutus est domi-
 nus ad Mosen, Præcipe filijs Israel ut dent Leuitis de
 hæreditate possessionis suæ urbes ad habitandum, sed
 & suburbana iuxta ciuitates per circumitum earum
 dabitis

Quid ces-
 serit sacer-
 dotibus ex
 Leuitis.

Exod. 27.

Num. 35.

dabit^{is} Leuitis. Ciuitates habebunt ut in eis habitent,
 ut in eis alant cuncta animalia ipsorum. Significat enim
 suburbium, in praesenti, locum qui nec uitis
 nec seminarijs feritur, fertilis tamen & ad conseruatio-
 nem pecoris idoneus est. Illis uero facultatibus & tri-
 butis sacris ut rebus utebantur proprijs. Vnde quic-
 quid praestabant beneficentiae perinde aestimabatur
 ac si alius quispiam de haereditate sua uel ex labore par-
 tis opibus benefecisset. Scriptura enim diserte testatur
 & ait: Dedi uobis illa pro haereditate uestra. Item, Re- Num. 20.
 putabitur oblatio uestra ac si fieret de frumento areae
 aut de plenitudine torcularis. Et iterum, Comeditis
 decimas in omni loco, tam uos quam familia uestra.
 Est enim haec merces uestra pro ministerio uestro. Pro-
 inde nebulones erant quicumque Leuitico ordini am-
 plas illas inuidebant opes, quicumque uel annuas nega-
 bant pensiones, uel fraudabant, uel ad mendicitatem
 eos adigere cupiebant, quibus liberaliter prouisum
 uoluit dominus. Ezechias rex Iudae religiosissimus 2. Par. 31.
 magna diligentia curauit sacerdotibus & Leuitis suum
 persolui pensum. Nam sacra historia testatur, & ait:
 Et praecipit rex populo habitati in Hierusalem ut da-
 rent partem sacerdotibus & Leuitis, ut fortiter incum-
 berent legi domini. Et cum inualuisset uerbum regis
 auxerunt filij Israel primitias frumenti, uini, olei, mel-
 lis & cunctorum prouentuum agri, & omnes decimas
 copiose attulerunt. Qui item habitabant in urbibus
 etiam ipsi decimas bouum & ouium & alias decimas
 sanctas obtulerunt, & fecerunt acruos. Neque uero so-
 li Iudaei in suos sacerdotes fuerunt liberales, de Ae-
 gyptijs testatur etiam scriptura quod suis sacerdotibus
 maximum impenderint honorem, & quod stipendia

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Gen. 37. eis cōstituerint ampla. Certe cum fames miserè totam Aegyptum diuexerat, nihil tamen de ipforum diminutum est dimenso. Strabo item Geographiæ lib. 17. Heliopoli domos amplas uidimus inquit, in quibus sacerdotes habitabant: imò dicunt hanc olim sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophiæ & astronomiæ deditorum. Nunc is ordo & studium defecit, nec quisquam nobis tali exercitio præesse ostendebatur, sed homines tantum qui sacrificia curarent. Hæc Strabo. Et illa de sacris uestigalibus dixisse sufficiat.

De scholis
Leuiticis. Descholis Leuitarum præcis consequenter dicemus. Noluît dominus tributa illa tanta fucis & otiosis impendi hominibus, sed ministrantibus. Nemo autem putet omnes Leuitas in uno aliquo hærentes loco tantum ministrasse uel templo uel tabernaculo. Per totum enim regnum dispersi in scholis passim & synagogis agebant. Etenim sine scholis ac synagogis nulla uel religio uel respublica salua esse potest. Animaduuerterunt hoc ab ipso mundi exordio Gentes quæque sapientiores, quocirca prouexerunt mira sedulitate ac liberalitate studia & studiosos. De Aegyptiis modo diximus, qui habuere sacerdotum collegia. Habuerunt & Palæstini sacerdotes quos in rebus consulebant duobus, & quorum opera consilioque magna dei plaga liberati sunt. Testatur id primus ille liber Samuelis. De Chaldæis ac Magis Babyloniorum abunde testificatur Daniel. Et ut apud Persas Magi fuerunt in pretio, ita apud Indos Gymnosophistæ. Apud Græcos florentissima fuere studia. Habuerunt & Romani sua pontificum & augurum collegia. Proinde ut dominus etiam populo suo consuleret & religionem roboraret, scholas per regnum Israelis plurimas instituit. Nam
in Nu

1. Reg. 6.

in Numeris, ait dominus, Leuitis dabitur de possessio- Num. 35.
 ne filiorum Israel urbes quadraginta octo cum subur-
 banis suis. Et qui multas habent, multas dabunt; ab ijs
 autē qui paucas habent paucas accipient, unusquisq;
 iuxta hæreditatē suam. Prudentissime uero per totum
 regnum dispergebantur. Ita enim toti regno utiles, ma-
 gistri morum legisq; doctores erāt, & in rebus dubijs
 consuli poterant. Huiusmodi autē urbes Leuitis, hoc Leuiticæ
 est studijs consecratæ, non ideo dicebantur Leuiticæ, urbes.
 quod soli in eis habitarent Leuitæ. Nam Hebron filijs
 Aaron cessit, quod testatur 21. cap. Iosue, atqui in eo-
 dem lib. 15. cap. legis, Porrò Chaleb filio Iephunne de-
 dit Iosue partem in medio filiorū Iuda, iuxta uerbum
 domini, nempe Kiriat Arba quæ est Hebron. Proin-
 de dicebantur Leuiticæ, quod ibi & studia florerent
 & synagogæ essent in quibus lex domini diligēter ex-
 ponebatur. Quemadmodum enim aliarum Gentium
 sacerdotes totos sese impendebant deorum suorum le-
 gibus oraculisq; interpretandis, sic sacerdotes et Leui-
 tæ Iudaici in lege dei sui noctes atq; dies exercebantur.
 Non enim satis est habere & institutas esse scholas &
 synagogas siue collegia, nisi & recta & pia in ipsis tra-
 dantur, nisi ante omnia iuuentus non tam in literis q̄ Scholis op-
 sanctis moribus iustituatur atq; in hoc uiri præficiantur, timi et san-
 non obscuri & leues, sed insignes & maturi. Ita sa- ctissimi
 nè legitur in historia Samuelis ipse Samuel præfectus præfici-
 fuisse Naioth, id est bursa, ut sic dicam, siue collegio endi.
 quod erat institutū in mōte sancto in ipsa Rama. Eius-
 dem gymnasiij mētio fit etiam in cap. 10. Studiosi eius
 collegij appellantur prophætæ. Scholæ Hierichuntia-
 næ & Ramoth Galaad Helias aliquandiu, deinde ue-
 ro Heliseus præfuit. Discipuli horum uocabantur Fi-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

*Filij propheta-
rum* filij prophetarum, item Nazarei, ueluti segregati ad studia. Sic enim Amos dixit: Non sum ego propheta neque Nazarei. id est discipulus prophetae, à quo sim institutus liberaliter. Et iterum apud eundem ait dominus: Suscitauit de filiis uestris prophetas & de iuuenibus uestris Nazareos. Nunquid non est ita filij Israel? & propinabatis Nazareis uinum, & prophetis mandabatis, dicentes: Ne prophetetis. Huc pertinere uidetur quod Ieremias in Trenodia questus legitur, Candidiores fuerunt Nazarei eius niue, nitidiores late, rubebant instar sardij inter margaritas, saphyro fuerunt pulchriores: nunc forma eorum atrox est atrior, non agnosceres eos in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus eorum, exaruit & facta est quasi lignum. Loquitur enim de forma & ingenio præstantissimorum adolescentum, qui sub cura magistrorum & in bonis literis et in probitate morum optime fuerant instituti.

*Cultus institutio
puerorum* Sicut enim luxus elegantiam corporis uitiat & natuum colorem pallore obfuscat, ita temperantia uires uegetantur formaque nitescit & conseruatur. Hinc enim malebat Daniel leguminibus uesci & potari aqua, quam de regia mensa alii. Verum scriptura testatur, & ait: Visus est aspectus eorum melior & crassior carne, quam cunctorum puerorum qui uescebant cibo regio. Itaque sub magisterio sacerdotum & prophetarum per uersas urbes Leuiticas iuuenes non tantum in literis & disciplinis, sed in moribus quoque sanctissimis eruebantur. Ex his scholis petebantur ad ministeria sacra, ad quæ quisque uidebatur idoneus maxime. Habebatur & ætatis ratio. Nam ab anno uigesimo ad 30. erant spectatores sacrorum ac discipuli, à 30. ad 40. annum quæ didicerant exercebant. Hinc ad 50. usque instituebantur.

*Habebatur ratio
ætatis.*

stituebant alios ceu sacrorum magistri. Ad annum 50. rude donabantur tanquam emeriti. In illis iisdem scholis erudiebantur & aliarum tribuum politiora ingenia. Legimus enim apud ueteres fuisse prophetas & scriptores, qui tamen non fuerunt Leuitæ & sacerdotes aut sacerdotum stirpe prognati. Atque in hoc differunt à sacerdotibus prophetae quod ministerijs sacris soli adhibebantur Leuitæ. Cæterum his solis non erat alligatus spiritus domini ac eruditionis. Nam prophetae erant etiam uiri laici rerum diuinarum & humanarum periti, qui & si non adhiberentur sacerdotio & ministerijs tabernaculi, docebant tamen in plebe & consuebant rebus religionis ac reipublicæ. Qualis fuisse creditur Isaias filius Amoz qui erat frater Amazia regis Iuda. Amoz erat unus ex pastoribus Thekoa. Sed & alij multi ex alijs oriundi tribubus prophetae fuerunt. Ieremias & sacerdos erat & propheta, qui & Babyloniam attigit & uidit captiuitatem.

Non omnes prophetae fuerunt Leuitæ.

A captiuitate Babylonica licet populus Israelis dispersus, apud exterarum ageret gentes, perque Asiaticas & Aegyptiacas turbas dispergeretur amplius, nunquam tamen neglexerunt studia etiam inter Gentes institutis synagogis. Meminerunt earum Acta apostolorum testantia Paulum synagogas ingressum prædicasse Christum dominum. D. Iacobus, Moses, inquit, ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. Hierosolymis tamen erat eius gentis præcipuum & florentissimum studium, ad quod etiam ex omnibus regnis confluabant. Huc enim pertinet quod in Actis legitur, Erant autem Hierosolymis habitantes Iudæi, uiri religiosi ex omni natione eorum qui sub

Synagoga Iudeorum inter Gentes instituta.

Act. 13.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Paulus Ga
malieles di
scipulus.

cœlo est. In eodem libro fit mentio collegij Libertinorum, Cyrenensium, & Alexandrinorum, & Cilicum, & Asianorum, eorum nimirum, qui ex illis nationibus Hierosolymas studiorū gratia concesserant. Paulus cum esset ciuis Romanus ē Tarso Ciliciæ urbe oriundus Hierosolymam sese cōtulerat, ut per Gamalielelem institueretur in lege domini. Tradūt autem hunc Gamalielelem Simeonis iusti fuisse discipulum, & hunc Hillelis. Petrus enim Galatinus libro de Arcanis catholiciæ ueritatis primo cap. 2. Floruit Hillel, inquit, anno ante templi secundi euerfionem centesimo, & Lxxx. habuit discipulos, omnes excellenti ingenio & doctrina præditos, qui omnes ratione disciplinæ filij eius sunt nuncupati. Inter hos postremus omnium Simeon iustus, qui Christum in ulnas suscepit, ponitur. Rabbi Moses Aegyptius ait eundem Simeonem iustum, Gamalielelem cognomiēto Senem, ad cuius pedes Paulus apostolus legem didicit, auditorē habuisse. Cæterum scholæ illæ Iudaicæ & temporum iniuria & per sectas aliquot nouas Pharisaorum, Sadducæorum & nescio per quas Seniorum traditiones, Christi domini & apostolorum temporibus fuere contra cōtrauersiam corruptiores. Ideo autem & hoc nomine magis accelerabat diuina bonitas ut etiam studijs restitutis omnia commutaret in melius, & lumen illud omnibus sæculis promissum exhiberet tandem.

Leuiticum sacerdotium esse aboluitum, successisse autem in locum eius doctores euangelicos. Cap. V.



Olente ergo domino nunc illud præstare omnino quod promiserat patribus, & unicum filium suū propitiationē pro peccatis totius mundi

mundi, & lumen ad reuelationem gentium, dare, præ-
 misit iuxta Malachiæ uaticinium Ioannem Zachariæ *LUC. 3.*
 filium, hominem, quod ipse dominus testatus est, mor-
 talium longe sacratissimum. Hic uero præteritis sacri-
 ficij & expiationibus typicis, ad unū & solum Chri-
 stum omnia retulit, uni tribuit omnia. Nam de pleni- *IOH. 1.*
 tudine eius nos omnes (inquit) accepimus, gratiā pro
 gratia. Quia lex per Mosen data est, gratia & ueritas
 per Iesum Christum exorta est. Hic est ille agnus dei
 qui tollit peccatum mundi, Propter hanc uero uiam
 prædicationem, & apertum Christo exhibitum testi-
 monium, credimus dictum esse in euangelio, Omnes *LUC. 16.*
 prophetae & ipsa lex usq; ad Ioannem prophetauerūt,
 ab eo tempore regnum dei annunciat, & qui uis in
 illud uim facit. Idem ille ex mandato domini populū
 ad se ueniētē nouo sacramento baptismi tinxit, idq;
 in nomen Christi Iesu & in remissionem peccatorum,
 unde & nomen sortitus est Baptista. Vbi uero suum
 expleisset ministerium atq; nunc in carcere immarces-
 sibilem expectaret coronam, protinus ipse prodit do-
 minus Iesus & in eandem sententiā prædicat, Deum
 mūdo omnia dedisse in se, id est, in filio suo. Ideo enim
 se in mundum uenisse ut legem impleret, ut cibus &
 potus uiuificus, salus, expiatio, satisfactio, redēptio,
 uia, ueritas & uita esset, ut in ipso habeat fidelis anima
 quaecunq; desiderare potest, & quaecunq; ad uitā bea-
 tam consequendam necessaria sunt. Et ista quidem o-
 mnia scripturis propheticis argumentisq; euidentissi-
 mis signis atq; prodigijs approbauit. Cumq; non tam *Vocatio*
 Iudæis saluandis ac erudiendis, quā Gentibus quo- *apostolo-*
 que uenisset redimendis, doctores omnibus nationi- *rum.*
 bus delegit, quos & integro triennio diligētissime in-

stituit, deinde & spiritu sancto donauit, quo magistro
 omnium gentium linguas callebant, scripturam omni-
 nem didicerāt, omnemq; cœlestem philosophiam im-
 biberant. Hos ultimo in omnem terram ablegauit, ut
 omnes ad Christum gentes conuerterent, tanquam
 unicam totius mundi salutem. Et quemadmodum ip-
 se dominus non ex tribu Leui, sed stirpe Iuda originē
 trahebat, sic doctores nationum sibi ex omnibus alle-
 git tribubus: uel hac una re significans Leuiticum sa-
 cerdotium esse repudiātū, & successisse nunc nouum
 ministerium per quod toti iam orbi ipsum corpus, nō
 umbra, perfectio non promissio annuncianda sit.

*Quomo-
do abroga-
tum sit Le-
uiticum sa-
cerdotium* Quæ quo intelligantur rectius, reuocemus sub oc-
 culos quæ de officio sacerdotali per compendium in
 2. cap. disputauimus. Diximus autem Leuitas institui-
 tos esse præcipue ut doceant legem & iusta dei, utq;
 sint exemplaria & magistrī morum; deinde ut orent
 & benedicant populo; postremo ut ministrant taber-
 naculo. Dispiciendum itaq; iam erit quid in his muta-
 tum sit aut abolitum omnino, & qua ratione. Et ut ab
 ultimo incipiam, Quæcunq; circa tabernaculum &
 templum uersantur, & in ijs externo cultu usurpara-
 sunt, ea omnia in uniuersum sunt abolita. Habuerunt
 enim typum rerum futurarū quæ iam per Christum
 impleta sunt. Non complacitum est domino in splen-
 dore templorum uasorumq;, sed in integritate, & ut
 unusquisq; nostrum uas suum possideat cum sanctifi-
 catione & honore, non cum affectu concupiscentiæ.
*vsus tem-
plorum.* Animæ sanctorum templa sunt dei sancta. Non quod
 ideo negemus templa curāda esse publica, in quibus
 oretur, uerbum dei annuncietur, & administrantur
 sacramenta. Sancti enim rebus sanctis locum deputant

tant non sordidum, sed mundum. Huic item suum honorem impendunt, citra tamen superstitionem faciunt quæcunq; hic faciunt. De typicis itaq; superiora uolumus intelligi. Sacrificia uero quæ in templo magna offerebantur religione pro expiatione scelerum, alias item ob causas, semel omnia sunt sublata. Nam nullis opus est amplius hostijs, nullis lustrationibus pro expiatione peccati. Sic enim colligit apostolus, Vbiq; est plenaria peccatorum remissio, ibi nulla oblatio pro peccato. Cæterum in nouo testamento talem assequutus Christus contulit credentibus. Proinde in nouo testamento nulla est oblatio pro peccato. Præterea repudiato ueteri populo, nouum sibi delegit dominus. Debet autem nouus populus nouas offerre oblationes, hortante apostolo, Obsecro uos fratres per miserationes dei, ut præbeat corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam deo, rationalem cultum uestrum. Et ne accommodetis uos ad figuram sæculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestræ, ut probetis quæ sit uoluntas dei, quod illud bonum acceptumq; & perfectum. Quasi dicat, Hactenus obtulit ecclesia Iudæorum sacrificia irrationalia, externa, sanguinem & pecudes. Nam illa eis ad tempus erant concessa correctionis, nunc illud tempus adest, quo alijs deo litandū est sacrificijs, & longe sacratoribus, nempe, fide, innocentia & charitate. Hac ratione dicimur & sumus omnes quotquot uera fide deum colimus, opera carnis mortificamus, & charitate inseruimus proximo, sacerdotes. Id quod ultimo capite futurum prædixerat Isaias. Et qui opus mortificationis dedicationisq; deo urgent ministri, & hoc sacrificium seu apparant, recte creduntur sanctos

Sacrificia

Hebr. 10.

Rom. 12.

Sacerdos

tes.

Rom. 15.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

immolare domino. Post illa uero nihil habet ecclesia, nihil habent & ecclesiarum ministri quod iam offerat domino. Sacramenta sanè opido paucula & admodum frugalia à domino, citra luxum & sumptum, instituta, in locum successere priscorum sacrorum. Ad eum uero modum sacra typica & postrema sacerdotalis officij portio abrogata atq; mutata est. Quod ad alteram partem attinet, nihil mutatum est. Manet enim oratio & benedictio sacerdotis, etiam in ecclesia Christi. *Oratio.* Pari modo non abrogata est doctrina, ne scilicet porro doceatur & exponatur in ecclesia lex dei. In modo docendi non nihil mutatum est. Nam doctores euangelici, spiritus non literæ ministri sunt, tradentes Christum uenisse & omnia legis explese, quem Leuitæ uenturum annunciarunt. De qua re copiosius disputauit apostolus in 2. ad Corinth. 3. cap. Disparuerunt etiam hic ceremoniæ illæ multiplicēs quibus inaugurabatur sacerdotēs Aaronici. Nam quemadmodum dominus Iesus neq; ex tribu Leui ortus, neq; ceremonijs illis uel inauguratus sacerdotio uel usus legit: ita suos illos nullis sacris lustratos neq; unctos ablegat apostolos. Sic enim placuit eos quos nationibus magistros destinarat appellare potius quàm sacerdotes. *1047. 20.* Ablegans itaq; ipsos, Sicut me misit pater, inquit, ita & ego mitto uos, Ite in orbem uniuersum & prædicate euangelium omni creaturæ, &c. Sic inquam successerunt Leuitis doctores euangelici, et eatenus abrogatum adeoq; et immutatū est sacerdotiū Leuiticū. Hęc deniq; est institutio & origo ministerij nostri. *Ephes. 4.* De quo & apostolus, Qui descendit, ait, idem etiā ascēdit sup oēs cœlos, ut impleret oīa, & idem dedit alios quidē apostolos, alios uero pphetas, alios autē euangelistas, alios autē pasto-
res

res & doctores. Quasi dicat, Olim instituerat dominus custodes atrij, ianitores, portatores, lanios & ministratores, sacerdotes, cantores, legisperitos & doctores unà cum summo pontifice, nunc autem cum domino Iesus omnia legis impleuerit & uictor triumphans conscenderit cœlos, ipse iam sedens ad dexteram patris, summus ecclesiæ suæ pontifex, & caput unicum, corpori suo dedit, hoc est instituit apostolos, prophetas, euangelistas, pastores ac doctores. Sunt autem hi ecclesiæ Christianæ & apostolicæ ordines. Qui nullis certis affixi sedibus regiones peragrando Christum prædicabāt, & ueluti legati in certis sedibus iam ad has modo ad illas concedebant gentes, dicebantur apostoli, qualis fuisse creditur Paulus, Petrus, Barnabas ac Syllas. Qui uero sacris literis maxime inuigilabant exponendis & eruendis mysterijs, non tam plebis indoctæ quàm eruditorum rationem habentes, hi peculiariter uocabantur propheta. Quanquam & uaticidius quibusdam spiritus, ut Agabo datus sit, Euangelistæ appellabantur qui plebe potissimum erudienda incumbabant, & euangelium huic quàm simplicissime annunciabant. Iam Pastores proprie uigiles & episcoperant, qui lupos depellebant ab ouili domino, qui accusabant scelera, & in tempore futura mala prædicebant, suadentes pœnitentiam. Doctores non fuerunt mitrati & purpurati quidam Rabini, sed paedagogi, catechiste, breuiter qui uel priuatim uel publice tam ipsum populum quàm populo præficiēdos instituebant. Fit tamen horum nominum omnium propè cōmutatio. Apostolus enim doctor quoq; propheta, euangelista, pastor, episcopus & presbyter appellatur. Ita episcopus & propheta & euangelista est.

Ordines
ecclesiæ
sici.

Apostoli.

Propheta.

Euangelistæ.

Pastores.

Doctores.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

pheta, doctor, presbyter & euāgelista, Certe ex Actis apostolicis liquet eundem Philippum tribus insignitum esse uocabulis, Nam in 6. cap. dicitur Philippus diaconus, in 8. cap. Philippus apostolus, & in 21. cap. appellatur Philippus Cæsariē, euāgelista, hoc est episcopus. Accessit enim superioribus illis ordinibus ecclesiasticis ex institutione apostolorū diaconatus.

Diaconi. Videntur autem diaconi primitiuae ecclesiae episcoporum, quod & Ambrosio uidebatur, ministri fuisse, duplicis nimirum generis & functionis, Alij enim raro praefecti ecclesiastico pauperū gerebant curam, alij uero literis & rebus sacris inuigilabant, in his exercebantur assidue, ut aliquando ministerio ecclesiae inseruire possent, Caeterū illos ordines omnes, unius atq; eiusdem ministerij species, instituit dominus ad

Finis institutionis ministerij uerbi. instaurationem, ut Paulus ait, sanctorum, in opus administrationis, in aedificationem corporis Christi, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij dei, in uirum perfectum, in mensuram aetatis plene adultae Christi, &c. Durauit autem haec institutio ministerij huius & ministrorū aliquot saeculis post defunctos domini apostolos in ecclesia Christi, ut scilicet fuerint episcopi, prophetae, doctores & diaconi. Episcopi idem illi fuerunt qui & presbyteri dicuntur, & euāgelistae, sacerdotes ac pastores, ministri scilicet uerbi dei, excubias agentes super grege domini & fideliter docentes ecclesiam. Prophetae fuerunt uiri illustres ac eruditi, sacrarum literarum interpretes. Doctores uero catechistae & ludi moderatores. Diaconi autem illorum & ministri & discipuli, clerici etiam appellati. Nam κληρὸς & electionem significat & sorte datum, unde clerici dicuntur qui sorte & electione uocati sunt

Clerici.

ti sunt ad ministeria sacra. Tempore deinceps factum est, ut plures in ecclesia cœperint numerari ordines. Codex etenim Iustiniani ex Constitutione Valentiniani Valentis & Grat. Imper. numerat presbyteros, diaconos, subdiaconos, exorcistas, lectores, hostiarios, & acoluthos. Verum sufficit pio homini apostolica simplicitas & synceritas. Quæ alij hic ex Dionysio quodam nugantur, prætereunda censeo, quod tanti non sit habendus obscurus ille author, cui plurimum fidei tribuamus. Norūt docti quid eruditissimi & pijsimi uiri de hoc scriptore senserint. Desid. Eras. Rot. in scriptoribus ecclesiasticis ad miraculum etiam usq; uersatus & in censendis illis apprimè doctus, omnino putat libros illos de cœlesti hierarchia esse suppositios, neq; authorem ipsorum esse Dionysium Ariopagitam. Notissima enim sunt quæ iste annotauit in 17. cap. Actuum apostolorum.

Lib. 1. Tit.

Dionysius Ariopagita.

Officium functione episcopi siue doctoris & ministri euangelici. Cap. VI.



Stendi in locum Leuitarū uenisse doctores euangelicos, et quæ sit origo sancti huius ministerij, quis finis, nimirum in hoc ministros esse institutos, ut ædificent ecclesiam, collapsa restaurent, & prouehant incepta, incolumitatem item eius procurent atq; conseruent. Id quanquam uarijs fiat rationibus & modis, uidetur tamen pastorale illud officium in tria posse concludi capita. Quemadmodum enim ueteris ecclesie ministri institutos audiuius ad docendum, deprecandam, & celebrandum sacra: ita credimus potissima doctoris & ministri euangelici officia esse Docere, Orare, et sacramenta administrare.

Capita pastoralis officij.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Circa doctrinam duo veniunt consideranda, primum quid doceat doctor euangelicus, sequendum qua ratione doceat aut quo modo. Sub genere docendi comprehendo admonitiones, exhortationes, consolationes, obiurgationes, confutationes, discussiones quaestionum, & quæ alia huius generis sunt. De materia doctoris euangelici, quid doceat, disputatum est libro priore. Euangelium enim Christi Iesu & scriptura canonica, eaq; sola à fidei pastore tradenda est. Docete, inquit dominus, seruare eos omnia quaecunque præcepi uobis. Et iterum, Ite prædicate euangelium omni creaturæ. Quod si quis putat illa late spargi audeat dominum omnia illa in breue compendium colligentem ac dicentem, Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gētes. Hæc inquam summa est doctrinæ Christianæ quam tradet ecclesiæ sibi commissæ minister euangelicus. Neq; aliud post resurrectionem domini prædicarunt apostoli quàm quod ille iusserat prædicare, excitatum Christum à deo ad dandam poenitentiam Israeli & remissionem peccatorum. Prædicatur poenitentia in nomine Christi, cū per euangelij doctrinam audiunt homines suas omnes cogitationes, suos affectus, sua studia corrupta & uitiosa esse; propterea necesse esse ut renascantur, si uolunt ingredi in regnum dei. Esse autem hanc renascendi rationem si participationem habeant in Christo, in cuius morte emoriuntur prauæ cupiditates, in cuius cruce uetus homo noster crucifigitur, in cuius sepulchro sepelitur corpus peccati. Remissio peccatorum prædicatur, cum docetur homines Christum sibi factum esse

Quid doceat episcopus.

Scopus doctrinæ euangelij.

Poenitentia.

Remissio peccatorum

esse redemptionem, iustitiam, satisfactionem, uitam, ut in eius nomine iusti & innocentes gratis habeantur in conspectu dei. Ergo pœnitentia mortificatio est. Hæc pœnitentia primum nobis ad Christi cognitionem ingressum aperit, qui nullis se exhibet nisi miseris & afflictis peccatoribus qui gemunt, laborant, onerati sunt, esuriunt, sitiunt, dolore & miseria labascunt. Ad hanc eniti, in hanc incumbere, hanc proficisci qui tota uita nos oportet. Dicebat Plato uitam philosophi meditationem esse mortis, uerius nobis dicere licet uitam Christiani hominis perpetuū esse studium & exercitationem mortificandæ carnis donec plane intereat. Quare illum arbitror plurimum profecisse qui plurimum sibi displicere didicit, non ut in hoc luto hæreat nec ultra progrediatur, sed magis ut ad deū festinet & suspiret ut morti Christi insertus pœnitentiam meditetur. Hæc euangelico doctore diligenter inculcanda sunt. Hæc est summa doctrinæ euangelicæ, quam ex Institut. Ioan. Caluini Gebennensis ecclesiæ ministri fidelissimi huc transtuli. Cui nunc aliud quoque prædicationis euangelicæ compendium, sed non dissimile addam ex S. Irenæo qui i. lib. aduersus hæreses cap. 5. Ecclesia, inquit, per uniuersum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab apostolis & à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum deum patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Et in unū Iesum Christum filium dei, incarnatū pro nostra salute. Et in spiritum sanctum, qui per prophetas prædicauit dispositiones dei, & aduentum & eam quæ est ex uirgine generationem, & passionem, & resurrectionem à mortuis, & in carne in cœlos ascensionem dilecti Iesu Christi domi-

ni nostri, & de cœlis in gloria patris aduentum eius, ad recapitulanda uniuersa, & resuscitandam omnem carnem humani generis; ut Christo Iesu domino nostro & deo & saluatori & regi secundum placitum patris inuisibilis omne genu curuetur cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & iustum iudicium in omnibus faciat. Spiritualia quidem nequitiae & angelos transgressos atq; apostatas factos & impios & iniustos & iniquos & blasphemos homines in aeternum ignem mittat, Iustis autem & æquis & præcepta eius seruãtib; & in dilectione eius perseverãtib;, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex poenitentia, uitam donans, incorrupte lam loco muneris conferat & claritatem aeternam circundet. Et sequenti capite ostendens hanc doctrinã & fidei euangelicã formulã per omnia esse plenã, Hanc prædicationem, inquit, cum acceperit & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, ecclesia, & quidem in uniuersum mundum disseminata, diligenter custodit quasi unam domũ inhabitans & similiter credit ijs, uidelicet quasi unam animã habens & unum cor, & cõsonanter hæc prædicat et docet & tradit quasi unum possidens os. Nam & si in mundo loquelæ dissimiles sunt, est tamẽ uirtus traditionis una & eadem. Et neq; hæc quæ in Germania fundatæ sunt ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neq; hæc quæ in Hiberis sunt, neq; hæc quæ in Celtis, neq; hæc quæ in oriente, neq; hæc quæ in Aegypto, neq; hæc quæ in Libya, neq; hæc quæ in medio mundi sunt constitutæ, sed sicut sol creaturæ dei in uniuerso mundo unus & idem est, sic & lumen prædicatio ueritatis ubiq; lucet & illuminat oēs hoies qui uolũt ad cognitionẽ ueritatis uenire. Et neq;

Formula
doctrinæ
euangelicæ
absoluta
est,

neq; qui ualde praualet in sermone, ex ijs qui prae-
sunt ecclesijs alia quam haec sunt dicet. Nemo enim su-
per magistrum est, neq; infirmus in dicendo demino-
rauit traditionem. Cum enim una & eadem fides sit,
neq; is qui multum potest de ea dicere, amplius, neq;
is qui minus, deminorat. Haecenus Irenaeus. Plura
nunc non dicam de materia episcopi.

Modus & ratio docendi consistit primum in praec-
eptis generalioribus de arte dicendi traditis, deinde *De modo docendi.*
in exercitatione, & ut aliorum scripta diligenter excu-
tiamus, postremo in aptatione. Debet enim obseruare
doctor euangelicus quid loco, quid tempori, quid ue-
rebis & personis praesentibus conueniat. In primis
enim ecclesiae suae rationem habeat oportet, quid eam
aedificet & non quid ipsi adlubescat, item quanto cum
fructu & non quanta cum eruditione dicat. Quidam *inepta*
satis esse putant dixisse, accelerant ergo & ueluti tin- *quorundam*
niens cymbalum concrepant in ecclesijs, nullus in ijs *affectatio.*
conatus est, nullum studium ardens conuertendi au-
ditorum animos, ideo frigide etiam audiuntur, nam
frigide docent. Quidam ostentatores sunt non concio-
natores. Hi cornicant e cathedra sacra nescio quae He-
braica, Graecanica, Latina, & si mihi sic loqui concedi-
tur Narragonica uerba. In quem usum obsecro? ut ui-
deantur multatum linguarum esse periti. Nil peccant
interim qui necessitate aliqua adacti recurrunt ad He-
braica & Graecanica, & moderate ex ijs ueritate eru-
unt, aliquoties & illa recitant. De ostentatoribus ergo
superiora diximus. Alij concionando exercent orato-
riam, & arbitrantur fortassis se in foro apud iudices
agere causam aliquam, non concionari apud simpli-
cem plebeculam. Contra quos erudite & uere ad Neo-

potianum disputans Hieronymus, Sermo presbyteri, inquit, scripturarum lectione conditus sit. Nolo te declamatorem esse & rabulam garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum, & sacramentorum dei tui peritissimum. Verba uoluerit & celeritate dicendi apud imperitum uulgi admirationem sui facere, in doctorum hominum est. Attrita frons interpretatur saepe quod nescit, & cum alijs persuaserit, sibi quoque usurpat scientiam. Alij tempus fallunt cumulatim exaggeratisque allegationibus, hoc modo praebentes speciem memoriam suam. Alij nescio quas Scoticas subtilitates e cathedra sacra ceu densissimas nebulas effundunt, quas ne ipsi quidem intelligunt; cum magis oportuerat meminisse apud quos dicas, non apud Hebraeos, Graecos aut Latinos, non apud philosophos, oratores & Sophistas, sed apud rudem & simplicem plebeculam, quae ut patriam linguam uix intelligit, ita subtilitatibus & artis ostentatione subuertitur non aedificatur. Quid quod uulgi negotium religionis uel sim-

Oratio concionatoris qualis esse debeat. plicissime propositum uix dum intelligit. Oportet itaque orationes publicas & publice ad plebem directas, plebeas perspicuas & tamen non omnino agrestes et incultas esse, sed quae moueant, delectent, auditores in officio retineant, imò & aculeum in animis auditorum relinquunt, ut cum fructu domum redeat populus, & non tantum temporaria suauitate demulsus, quod fit cum peritum aliquem audiuit musicum. Hic autem de fructu immarcessibili, non de uoluptate aurium mox peritura agitur. Neque dicentis gloria sed auditorum quaeritur utilitas. Deserget ergo gloria & ecclesiae incolumitas ante omnia spectanda sunt uero & fidei concionatori. Ceterum non est quod hic expectes rhetorices

ces præcepta quæ traduntur in scholis & quæ omnino delibata oportet priusquam ad hanc functionem perueniatur, Exercitatio uero & iudiciũ ex ipsa, multo paratur labore. At aptationem modestia Christiana, iuuandi & non ostentandi studiũ, ipsi deniq; quotidiani casus suppeditabunt atq; docebunt, iam & felicitis memoriæ D. Eras. Roterod. de pietate & literis bene meritus, uir immortalis laurea dignus, eloquentiæ & omnis eruditionis illustre orbis decus, de Cõcionatore egregios libros conscripsit, in quibus, maxime in 2. & 3. lib. de modo agendi, docendi, tradendiq; scribit, etiam præcepta attingens rhetorica: unde illa hauriat licet quisquis abhorret uel à Fabij uel Tullij præceptionibus, aut qui in his sacra desiderat exẽpla, Attingit huius quædam & Aurel. Augustinus in libris de Doct. Christ. potissimum in libro 4. Porro ex illis omnibus colligitur quàm oporteat instructos esse eruditione & doctrina uaria, qui ad hoc muneris uocantur, rursus quàm parum conueniat, imò quàm temerarium, turpe & impium sit illotis manibus & impartum in hanc fatis quidem periculosam functionem irumpere, Nihil moramur quosdam indoctos & præfracte stultos, Nam ut ad spiritũ nescio quem omnia referentes, & hoc nomine studia cõtemnentes, deum tentare docent, ita non tantæ autoritatis sunt, neque hæcenus ipsorum successus tam felix & faustus fuit, ut non præponderet apud nos iudicia & exempla uerum, qui in disciplinis sedule sed sobrie sese exercitarunt, & ecclesias sibi commissas administrarunt saluberrime. Quid quod apostoli domini non ablegabantur in orbem terræ ad prædicandum euangelium omnini creaturæ, cũ adhuc essent rudes & idiotæ, sed cum

D. ERAS.
ROT.Eruditio
& iudiciũ
requiritur
à ministro
uerbi dei.

omnium & linguarum & scripturarum essent peritissimi. Legant amissi isti & literarum bonarū oses solidissimi, quod illa de re scripsit sanctus pater Augustinus libro de Doctrina Christiana secundo, & delirant nugari, imò opera dei uituperare, discant uero laboriosius & dexterius cum in uocatione sua tum sacris uersari literis, ut rectius & maiore cū fructu gregem sibi commissum à domino pascant.

De ratione prophetandi nunc nihil dicam. Requirit enim ea propriam tractationem, attingam alia quaedam quæ magis ad episcopi functionem pertinere uidentur & circa ipsam uersantur. Primum autem est ne minister uerbi domini doctorq; euangelicus implicetur uitæ negotijs. Apostolus enim, Nemo militans, inquit, implicatur uitæ negotijs, ut ei qui se in militiâ delegit approbet. Quid ergo agat? Idem apostolus ad Timotheum, Attende, inquit, lectioni, adhortationi & doctrinæ. Hęc exerce, in his esto, ut tuus profectus manifestus sit in omnibus. Attende tibi ipsi & doctrinæ, persiste in his. Nam id si feceris te ipsum seruabis & eos qui te audierint. Proximū enī est ut quod multo labore & lectione sedula didicit, cōmode & fideliter sibi cōmissis tradat, neq; hic ullo frangatur labore. Quorsum enim pertinet multū diuq; legisse, lectione aut illa multiplici prodesse nemini. Frustra sibi doctus est episcopus, nisi & omnibus quoq; suis doctus sit, & in ipsas doctrinā suam transfundat. Paulus ad Ephesinos presbyteros uerba faciens, Vos, inquit, scitis ut nihil suffugerim eorum quæ essent in rem uestrā, quin annunciarē uobis & docerem uos publice ac per singulas domos, testificans Iudæis & Græcis eam quæ in deum est poenitentiam, ac fidem quæ est in dominum nostrum

Episcopus
literis sit
intentus.

2. Tim. 2.

1. Timo. 4.

Act. 20.

nostrum Iesum. Frustra uero docuit & plures in par-
tes Christi attraxit, qui negligentia sua, parta diffue- *Parta con-*
re sinit, nec cogitat frustra parari multa nisi accedat *seruet uis-*
parta custodiendi conseruandiq; industria. Vigilanz *gil.*
dum ergo prospiciendum & consulendum erit rebus
periclitantibus in tempore, arcenda mala, cohibendi
erunt qui insidias struunt ecclesie. Hi autem sunt fal-
si fratres, doctores & magistri peruersitatis & menda-
ciorum, mancipia satanae ac uoluptatum, & qui diffi-
dia in ecclesijs excitant. Hinc enim apostolus, Atten-
dite uobis, inquit, & cuncto gregi, in quo uos spiritus
sanctus posuit episcopos ad regendum ecclesiam dei,
quam acquisiuit sanguine suo. Ego enim noui hoc
quod ingressuri sunt post discessum meum lupi gra-
ues in uos, non parcentes gregi. Et ex uobis ipsi exo-
rientur uiri loquentes peruersa ut abducant discipu- *Titum x.*
los post se, propter quod uigilate. Et ad Titum, Opor-
tet episcopum tenacem esse eius qui secundum doctri-
nam est fidelis sermonis ut potens sit etiam contradi-
centes conuincere. Ideo autem & pastores appellan-
tur in sacris. Pastorum est pascere gregem pabulo bo-
no, incolumitatem gregis curare, & noxia ab eo arce- *Visitatio.*
re. Quod sane non sit stertendo cessandoue, sed inspe-
ctione et cura assidua. Ita legimus apostolum Paulum
non tantum fundasse ecclesias, sed institutas uisitare *Episcopus*
frequentius. Quod nimirum pertinet uocabulum Epi-
scopus, multis sane inditu, sed cognitum perspectum ue-
paucissimis. Est enim officij nomen non dignitatis, &
uocabulum militare, hinc dictum quod qui se profite-
tur ducem exercitus *ἐπισκοπος*, id est dispicere debet ne
quid desit sui uexilli militibus, Vnde & Homerus He-
ctorem *ἐπισκοπον*, Agamēnonem imperatorem *πολιμῆα*.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Pauperum cura. *ναλωρ* appellat, id est populū pastorem. Ad horum speculationem pertinet & pauperum cura & studiosorum. Non quod credam doctorem euangelicum agere debere œconomum xenodochij aut ptochodochij aut collegij studiosorum, sed quod suo consilio & sua uigilantia præfectos istis munijs extimulare inhortari inq̃ officio retinere, & si quando præuaricentur in uiam reducere & male instituta corrigere debet. Ita enim leguntur etiam apostoli pauperum habuisse curam. Et Paulus undiq̃ sibi doctos & bonæ spei iuuenes conquisiuit, quos ecclesijs quoties postularet necessitas, præficeret. Hos ubiq̃ episcopis commendauit officiosissime, hos liberaliter ali iuariq̃ præcepit.

Titum. Nam ad Titum Cretensem episcopum, Zenam legis peritum, inquit, & Apollo studiose deducito, ne quid illis desit. Discant autem & nostri bonis operibus præesse, ad necessarios usus, ut non sint infrugiferi. Hæc si audirent episcopi nostri qui hodie concionari & populum docere nesciunt, si admitterent consilium & Christo regnanti non obstreperēt, si studia & euangelij puram prædicationem iuuarent propagarentq̃, si deniq̃ curarent opera sedula ut successores aliquando haberent doctos, qui & concionari & cōsulere possent ecclesijs, doctos item & pios cōcionatores ordinare, non ita male audirent apud omnes & melius cōsuleretur reipublicæ. Prudenter ergo episcopis consulens Erasmus in Concionatore suo, lib. 1. Episcopus, inquit, qui ipse nonnunquam concionatur & alios asciscere ualet ad hoc munus idoneum, mea quidem sententia maius operæ premium fecerit si sedulo per se suosq̃ aduigilet ut singulis ecclesijs idonei pastores ac *διδασκαλοι* præficiantur, palàm autem inutiles ab eo munere

munere submoueantur, quàm si ipse concionandi negotio totus incumbat. Vt autem suppetat talium uiro-
rum copia, illa conducent plurimum, si curet adoles-
centes bonæ spei in Academijs publicis erudiendos,
& si neminem ad presbyterij gradū admittat, nisi qui
de se non obscurum specimē dederit fore ut aliquan-
do bonum Ecclesiastē possit agere. Hic enim fons est
unde scetet maxima pars calamitatum ecclesiæ. Epī-
scopus in omnibus ecclesijs concionari non potest, u-
nus tamen potest omnibus de fideli pastore prospice-
re, id licet subito fortasse non potest fieri, tamē sensim
ac paulatim fieri poterit. Quod si quis contingat epī-
scopus, qui magis idoneus sit ad administrandum quā
ad docēdum, hac cura facile pensarit quod diminutū
est. Huc autem maiore studio incumbet si reputarit
summum illum pastorem ipsi imputaturum quicquid
illi deliquerint quibus suas uices delegauit. Inter om-
nes igitur curas hanc decet episcopis esse primam ac
præcipuam. Cordati principes nihil diligentius accu-
rant quàm ut sibi parent fidos ac peritos belli duces,
quibus committant exercitum, quippe persuasi ab his
pendere fortunam belli, nec existimant grauem esse
iacturam si gregarius miles cadat & sine nomine uul-
gus, modo strenui duces sint incolumes: quanto ma-
gis aduigilandum ut grex dominicus idoneos habeat
pastores. Non agitur res ludicra, sed periclitantur tot
animarum milia, pro quibus liberandis Christus san-
guinem suum fudit, pro quibus uiuificandis se in mor-
tem tradidit, sed in primis periclitatur ipse episcopus,
de singulis ouibus domino rationem redditurus. Pro
inde si usquam sibi permittat episcopus, alibi cesset po-
tius: si delinquere, ubiuis delinquat potius quàm in-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

hoc negotio longe omnium periculosissimo. Nec satis ad excusandum est argumēti si dicat episcopus, istud uicarijs & officialibus meis delegaui, quandoquidem & horum integritas ipsi præstanda est; in quos si animaduertit in peculatu deprehensos, quāto iustius puniendi sunt qui hanc rem mala fide gesserunt: Hęc ex Erasmo hæctenus.

Preces ministri uerbi.

1. Timo. 2.

Adorationē nunc accedimus. Quid illa sit, & quæ mente quæue fide, quibus uerbis aut corporis habitu fieri debeat, nō est huius loci & instituti copiosius prosequi. Hoc in præsentī tantum moneo, orationē quæ se ex uocatione sua exerceat ecclesiastes uel publicant esse uel priuatam. De publicis precibus in hæc uerba scripsit apostolus ad Timotheum, Adhortor igitur, ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus in eminentia cōstitutis, ut placidam ac quietam uitā degamus cum omni pietate & honestate. Hęc autem præceptio est & summa negotij, formulæ relinquuntur pijs texendæ pastoribus aut applicandæ ex Psalmis & hymnis secundum loci & temporis rationem. Libertas enim in his reseruata est ecclesijs, curent modo præsides ne quid superstitionis sub specie irrepāt pietatis, ne quid fiat contra præscripta sacrarum literarum aut contra prophetica & apostolica exempla, sed ut moderate, synceriter & summa cum fide fiant omnia. Ad publicas preces maxime accedunt illæ quarū lib. de Doct. Christ. 4. cap. 15. mentionem fecit D. Aurel. Augustinus in hæc uerba, Agat igitur noster ille eloquens cum & iusta et sancta & bona dicit, neq; enim alia debet dicere, agat ergo quantum potest cum ista dicit, ut intelligēter, libenter

ter & obediēter audiat, & hæc se posse si potuerit & in quantū potuerit pietate magis orationū q̄ oratorū facultate nō dubitet, ut orando pro se ac pro illis quos est alloquutus sit orator antequā dīctor. Ipsa hora iā ut dicat accedens, priusquā exerat proferētem linguā ad deum leuet animam sitientem, ut eructet quod biberit uel quod impleuerit fundat. Cum enim de unaquaq̄ re quæ secundum fidem delectationemq̄ tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur ab eis qui hoc sciunt, quis nouit quid ad præsens tempus uel nobis dicere uel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnia uidet? Et quis facit ut quod oportet & quemadmodum oportet dicatur à nobis, nisi in cuius manu sunt & nos et sermones nostri? Ac per hoc quidem discat omnia quæ docenda sunt qui & nosse uult & docere facultatemq̄ docendi, ut decet uirum ecclesiasticum, comparet: ad horam uero ipsius dictionis illud potius bonæ mēti cogitet conuenire, quod dominus ait, Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim uobis in illa hora quid loquamini: nō enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Si ergo loquitur in eis spiritus sanctus qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non et in eis qui tradūt discētibz Christum? Eadem propemodum repetit & inculcat capite penultimo. Priuatæ orationes sunt cū priuatim uel pro alijs uel pro nobis ipsis oramus. De precabatur D. Paulus assidue pro omnibus ecclesijs, & earum deprecationum ubiq̄ meminit in suis epistolis. Pro seipso orabit episcopus et petet à dño quod rex Solomon orasse legitur, Quandoquidem me tuo præ-

Luc. 22.

3. Reg. 2.

& rerum imperitus, oro ut des seruo tuo cor intellī-
 gens ut discernam inter bonum & malū & ad nutum
 tuum, populum tuum ducere queam. Quis enim hæc
 poterit nisi tu fueris cum ipso? In his erit sedulus & ar-
 dentibus uotis dominum deprecabitur minister quo-
 ties res ecclesiasticæ aut aliquorum incolumitas peri-
 clitari & in malum inclinare uidentur. Preces enim
 apostolis & uiris apostolicis in periculis, discriminibus
 & rebus quibuslibet magno fuerunt solatio. Sit
 periori sæculo sacerdotum preces sunt uenditæ, & ita
 interim constitutæ, ut nihil fuerint quàm gentilitium
 multiloquiū, quod in euangelio damnauit dominus.
 Huc autem pertinere uidentur horæ canonicæ. Qui
 illas primi ordinauere, nimirum uoluerūt suo illo in-
 stituto literas proponere & commendare canonicas,
 ut illæ non tam legerentur à singulis presbyteris & u-
 su quotidiano familiariores ipsis fierent quàm recole-
 rentur etiam sanctis meditationibus ac precibus. Sed
 diuersum euenit. Nam scriptura in obliuionē uenit,
 sineq; meditatione sancta à pphanis hominibus quo-
 tidie quidem recitatae sunt, sed sine mēte & futili qua-
 dam celeritate. Ignorabāt enim instituti huius finem,
 satis esse putabant si semel recitassent præscripta. Irre-
 pserunt præterea superstitiosa imò & impia quædam
 de diuis & nescio quibus festis ac nugis, quæstiuosæ
 magis quàm sanctæ lectiones. Vnde nihil peccauerit
 minister Christi quisquis neglectis illis horis canoni-
 cis, bonas horas locauerit scripturis canonicis rite le-
 gendis & precibus ac meditationibus syncerioribus.
 Neq; adeo uetus est institutum quod quidam ceu apo-
 stolicum urgent. Horæ quidem canonicæ ueteribus
 fuerunt notæ, Certis enim in die horis, canonicas scri-
 pturas

Matth. 23.

25. & 6.

De horis
canonicis.

pturas tractabant ueteres ecclesiarum episcopi, propheta & doctores, unde nobis uel hodie expositiones & interpretationes sanctorum ueniunt; ritus autem ille, quo indocti & conductitij homines lingua peregrina uolubiliq; aliquot uersuum millia, uerbis etiam collis, confusis, decisisq; demurmurant, priscis tam fuit incognitus quam quod incognitissimū. Expectant fortasse nonnulli quid hic dicam de cantu ecclesiastico. Et quidem pauca dicam. Pauca enim de hoc præcepta lego in euangelio & literis apostolicis. Quid quod præclaræ in mundo ecclesiæ cantum in templis non habuerunt? Nam Athanasius Alexandrinæ ecclesiæ episcopus tam modico flexu uocis, ut ait Augustinus, faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronunciantis uiciniior esset quam canenti. Mediolanensis ecclesiæ sero tandem & sub Ambrosio primum recepit cantum ecclesiasticū. Imò Gregorius ille magnus Pontifex Romanus, In sancta Romana ecclesia, inquit, dudum consuetudo est ualde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, & in diaconatus ordine constituti, modulationi uocis insistent, quos ad prædicationis officium eleemosynarumq; studium uacare congruebat. Vnde fit plerūq; ut ad sacrum ministerium dum blanda uox quæritur, congrua uita negligatur, & cantor minus deo moribus famulatur, cum populorum uocibus delectatur. Qua de re præsentis decreto constituo, ut in sede hæc sacri altaris ministri cantare nō debeant, solūq; euangelicæ lectionis officium inter Missarum solennia exoluant, Psalmos uero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos exhiberi. Extant hæc in Registro parte 7. cap. 44. Ex quibus liquet quam moderatus adeoq;

De cantu
ecclesiasti
co.

Confess.
lib. 10. cap. 33.

Confess.
lib. 9. cap. 7.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

nullus fuerit musices usus etiam in Romana ecclesia,
 & quod illam non magnopere fouerit Gregorius, qui
 diaconos in actione Coenæ, quam ipse Missam uocat,
 euangelium legere non canere iubet, deniq; eosdem
 prædicationi non musicæ inuigilare mandat. Vnde
 tutius id mihi multo esse uidetur si ecclesiæ strenue o-
 rent, & episcopi eorum assidue doceant, parum autē
 canant. Ideo uero non damno quorundā ecclesiarum
 ritum, quo uulgari lingua, eodem concentu, nulloq;
 pro pretio canunt Psalmi & sacra scripturæ carmina,
 indico tantum quid mihi uideatur conducibilius &
 minus periculosum. Moderatus enim ille ueterū can-
 tus, libidine & superstitione abutentium peperit nos-
 bis cantum illum Papisticum & prodigiosum, quem
 optimi quiq; improbant & ex ecclesijs suis eiciunt.
 Proinde si quibus canere libet, uideant ut intra modū
 consistant, & ne quid nimis, & ne posteris præuari-
 candi ansam suppeditent, audiant & D. Hieron. Com-
 ment. lib. 3. in epist. Pauli ad Ephesios sancte præcipi-
 entem atq; dicentem, Et canere igitur & psallere &
 laudare dominū, magis animo quā uoce debemus.
 Hoc est quippe quod dicitur, Cantantes & psallentes
 in cordibus uestris domino. Audiant hæc adolescen-
 tuli, audiant hi quibus psallendi in ecclesia officium
 est, deo non uoce sed corde cantandum, nec in tragœ-
 dorum modum guttur & fauces dulci medicamine
 colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur
 & cantica, sed in timore, in opere, in scientia scri-
 pturarum. Quamuis sit aliquis ut solent illi appellare
 κακοφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud deum
 cantor est. Sic cantet seruus Christi, ut nō uox canen-
 tis, sed uerba placeant quæ leguntur, ut spiritus ma-
 lus

lus qui erat in Saule eijciatur ab ijs qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos, qui de dei domino scenam fecere populorum. Hæc autem hæcenus de cantu ex Hieronymo.

Reliquum est ut nunc pauca dicamus & de sacramentis. Illa uero non tam administrare debet petentibus quæ religiose de ijs sentire & docere doctor euangelicus. Plurimum enim momenti habent ad religionis incolumitatem seruandam, & neglecta iram dei in nos excitant. Sacramenta ergo, quæ dominus instituit, & uetustas agnouit, duo sunt, Baptismus & Cæna dominica. Totidem enim numerarunt post auctores canonicos uiros quæ apostolicos, illustres in religione nostra uiri Tertullianus & Augustinus. De Pœnitentiâ quæ alij tertium duobus superioribus adiungunt, non est quod multis in præsentem disputem. Annotati enim paulo superius pauca quædam de ipsa, neque ignorat uel modice in sacris uersati, pœnitentiâ esse resipiscentiâ, uitæ pristinæ renouationem, & conuersionem ad dominum, ac sanctam uitæ custodiam. Rectissime enim & illi de hac tradunt qui docent primum in pœnitentiâ esse agnitionem peccati per legem, ex qua oriatur cōscientiæ dolor ac terror, qui in desperationis præcipitium deuolueret nisi accederet euangelij consolatio & prædicatio remissionis peccatorum per fidem, quæ & renouet & custodiat omnem cursum uitæ nostræ. Quemadmodum enim peccata & lapsus quotidiani adeo quæ & momētanei sunt, ita oportet pœnitentiâ esse quotidianam, ut in horas confiteamur deo peccata nostra, fidamus eius bonitati per crucem Christi & uigilemus. Sed hæc hæcenus, ad institutū redimus. Solent homines sacris symbolis uel ex super

De sacramentorum administratione.

Duo sacramenta.

Pœnitentiâ.

Nimium tri- stitione nimium, uel ex leuitate minimum attribueret;
buere sa- id quod uidere est apud ueteres, qui & ipsi inter alia
cramentis. magnum habuere sacramentum ipsam ARCAM fœ-
 deris domini, quæ & disertis uerbis appellatur Domi-
 nus exercituum, Nam 2. Samuelis 6. cap. scriptura te-
 statur, & ait: Et surgens Dauid abiit unâ cum toto po-
 pulo, ut transferret arcam dei, super quam inuocatum
 est nomen, nomen domini exercituum insidētis cheru-
 bim super eam. Hoc enim Hebraico idiomate tantum
 ualeat, ac si tu dicas: Cui nomen inditum est ut ap-
 pelletur, Iehouah siue deus exercituum, habitans su-
 per cherubim. Magnum certe hoc erat mysterium &
 celebre sacramentum; cæterum cum Israelitæ huic ni-
 mium tribuerent, & ipsi cadunt Palæstinorum armis
 subacti, & arca ipsa abducitur in captiuitatē. Sic enim
 legimus in sacra historia, Corruit autem Israel coram
 Palæstinis & desiderata sunt ex Israele uirorum qua-
 tuor millia. Veniente uero plebe in castra dixerunt se-
 niores Israelis, Quare strauit nos dominus hodie cor-
 ram Palæstinis: adducemus ad nos de Silo arcam fœ-
 deris domini, ut illa ueniens in medium nostri saluet
 nos de manu hostis nostri. Misit ergo populus in Silo,
 & attulerunt inde arcam fœderis domini exercituum
 sedentis super cherubim. Cum autē uenisset arca fœ-
 deris in castra, uociferatus est uniuersus Israel iubilo
 magno, ut quateretur terra. Eam uociferationem au-
 dientes Palæstini scientesq; quod arca domini in ca-
 stra uenisset, timuerūt, & dixerunt: Venit deus in ca-
 stra. Væ nobis, Quis eripiet nos de manu fortium deo-
 rum istorum: Isti sunt dii qui percusserunt tot plagis
 Aegyptum: atramen confortamini, estote uiri & pu-
 gnate. Pugnauerunt itaq; Palæstini & Israel corruit,

& su-

& fugierūt singuli in tabernacula sua, et facta est strages supra modum magna. Nam ceciderunt ex Israele triginta millia peditum, sed & arca dei capta fuit. Audisti quid arcæ tribuerint miseri, & quid infortunij cū ob istum errorem, tum ob alia peccata passi sint; atqui Arcam non ideo dederat dominus populo suo, ut in eam speraret aut ut ē manu hostium erueret atq; saluaret, sed ut signum siue symbolum esset præsentix dei, ideo enim deus dicitur, & ut esset testimoniū quodpiam foederis inter deum & populum istū. Hæc enim testabatur deum præsentem & amicum familiarēq; populo futurum, modo & ipse pactis staret. Nam tabulæ foederis in ipsa arca continebantur, unde & nomen sortita est, ac dicta Arca foederis. Rursus cadunt ex Israele multo nunc plures, cum sacramentum dei leuius atreçant & uilius æstimant, quàm cum nimirum tribuissent. Cum enim Palæstini foedissimis morbis affunde comoliti castigatiq; Arcam reduxissent & restituisent Israeli, populus irreligiosus arcã scrutans cadit. Scriptura enim, Percussit uiros Bethsemitas dominus, ait, eo quod uidissent arcam domini, percussit autem septuaginta uiros & quinquaginta millia hominum. Cautum enim erat lege domini, ne quis hominum prophanis oculis scrutaretur arcã domini exercituum. Extat lex in Numeris cap. 4. Proinde in explanatione & administratione sacramentorum dei id omnino nobis erit sequendum quod uerbo domini præscriptum est. Oza uir non malus pio studio arcæ nuntiati auxiliares manus admouit, uerum dominus percussit ipsum. Volu it enim hoc exemplo erudire posteros ne quid temere auderent in subleuandis religionibus. His priscis quidem si componas aliquot sæcula

Minimum
 tribuere sa
 cramentis.

Religionē
 subleuare
 uelle.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

maiorum nostrorum ac nostra, haud dissimilia repe-
 rias. Inuenias enim qui sacramētis nihil non tribuāt,
 rursum alios qui nihil tribuant, & ut in reliquis prope
 hominum rebus omnibus ita in hac maxime uerum
 esse quod dixit Flaccus, Dum uitant stulti uicia in con-
 traria currunt. Sunt etenim qui sacramentis gratiam,
 iustificationem, salutē, & quid non ascribant, adeoq;
 signa pro ipsis rebus, ut Augustini uerbis utar, nimis
 seruiliter uenerentur. Illi ipsi non sine sacrilegio abstu-
 lerunt poculum sanguinis domini fidelibus. Præterea
 nemini obscurum est quomodo ijdem abusi sint sacra-
 cœna domini ad curandos morbos, ad fugandos hos-
 tes, ad componendas cœli tempestates, & nescio ad
 quas res alias illis multo uiliores; rursus ut subuersis
 symbolis contenderint neq; panem neq; uinum super-
 esse, sed ipsum domini corpus & sanguinem, de quorū
 existendi modo in sacramento mirifice & quæ
 nullus agnosceret apostolus, disputarunt, adiecto etiā
 illo dogmate, quod hæc à ministro offerantur in cœna
 pro expiatione peccati uiuorum & mortuorū. Nam
 in Decretalibus de summa trinitate & fide cathol. tit.
 1. cap. Firmiter credimus, Papa Innocentius eius no-
 minis tertius, Vna, inquit, est fidelium uniuersalis ec-
 clesia, extra quā nullus omnino saluatur, in qua idem
 ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius cor-
 pus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus pa-
 nis & uini ueraciter continentur, transsubstantiatis
 pane in corpus & uino in sanguinem, potestate diui-
 na, ut ad perficiendū mysterium unitatis accipiamus
 ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc utiq; sa-
 cramentum nemo potest conficere nisi sacerdos qui ri-
 te fuerit ordinatus, &c. Crassiora his docuerunt ser-
 mologi

*Opiniones
 de sacra-
 mentis uari-*

mologi & Summistæ. Iam quis panis dominico cultus ubiq; in templis exhibitus sit & uel hodie exhibeatur omnibus est cognitissimum. Nihil ergo minus imò plus peccatur hodie in sacramento corporis & sanguinis domini, quàm uetustas peccarit in arca fœderis domini, unde proculdubio maximis mundum plagis affligit iustus dominus. Nunc uero cum impia illa & superstitiosa in sacramentis oppugnentur ab illis qui iam aliquot annis syncerius prædicarunt iustificationem fidei & ueritatem Christi, non in hunc finem ut e medio tollantur sacramenta, sed ut abusus & quæ circa ipsa superstitiose & impie docentur, tollantur, en prodit statim aliud genus hominum quod incidit in Scyllam cupiēs uitare Charybdim. Si enim, inquit, panis non sit corpus Christi & sumpta sacramenta iustificanc, gratiæue conferunt, certe nihil aliud sunt, quàm quod audiunt, aqua, panis & uinum, quocirca parum retulerit utamur sacramentis an non utamur. Hac autem falsa argumentatione fit ut leues isti homines sacramentis minimum tribuant, quemadmodum superiores nimium. Cæterū doctor euangelicus prudenti & religiosa simplicitate medium tenebit, repudiatisq; superioribus illis opinionibus non tam spinosis quàm peruersis, docebit in sacramētis duo esse consideranda, signum, elemētum scilicet terrenum, aquā, panem & uinum adeoq; ipsam externam actionem, & rem, signo repræsentatam, ablutionem scilicet peccatorum siue ecclesiæ societatem, corpus & sanguinē domini, quæ pro nobis in cruce oblata, amicitiam dei recuperarunt, ut nunc membra et cohæredes Christi, participes uitæ & omnium donorum Christi, interueniente fide & intus spiritu sancto operante, efficiantur.

Quid mifer
trahat de sa-
cramentis,

DE EPISCOPORVM INSTIT.

mur. Proinde satis non est si minister uerbi dei nuda id est sola tantum signa prædicet, rem ipsam negligat, quasi uero in Cœna nulla alia re quàm pane & uino, aut in baptismo aqua tantū participant fideles, quem admodum nimium est si subuersis symbolis signa pro rebus ueneranda tradat. Nam ut hæc prudenter sunt limitanda, sic maxima ratio habenda est rei significatæ. In re ergo sacramentaria ante omnia commendanda sunt quæ præcipua in sacramentis sunt, ipsa dei beneficia, dona scilicet cœlestia & gratuita, quæ nobis cōfert dominus, exteriori interim signo utens ut simbolo & testimonio quodam suæ beneficentiæ. Signis enim ceu uerbis uisibilibus reuocat ob oculos beneficia sua, illisq; testatur & annūciat quid nobis ipse conferat, modo iusta cum fide ab ipsum accedamus. Quo circa in primis necesse est ut pmissionibus dei sermonibusq; ex euangelio ardentissimis fidem ecclesiæ sacramenta celebrantis excitent pastores. Nam sine fide sacramenta obsunt non profunt, non suo uel dantis, sed perfidiæ sumētisq; uitio. Secundo loco urgenda uidet maxime in Cœna gratitudo & laus pro morte domini. Nam Paulus de Cœna, Quotiescunq; ederitis de pane hoc, ait, et poculo biberitis, mortē domini annunciate, donec ueniat. Certe ex hac re nomen inuenit & dicta est ex parte Eucharistia. Rursus urgenda est, charitas, cōcordiæ & innocentiae studium, ad quæ illa etiam suo quodam modo perpellunt & adhortantur. Quis enim tam stupidus & sine sensu homo qui non amplissima illa beneficiorum dei commemoratione, adde & uisibili specie oculis subiecta bonitate Christi commoueat, totis uisceribus ad mirum gratitudinis & beneficentiæ officium; Quis item non custodiat

custodiat se ab inquinamentis huius mundi, qui modo uidet & audit se factum esse membrum Christi: se unà cum Christo per baptismum in mortē eius sepultum esse ut mortuus peccato uiuat Christo: Rursus quis non summo amore cōplectatur fratres, quos audit & ipsos esse membra Christi, & apud deum pretij tanti, ut etiam ipse dei filius sese in mortem pro eis tradiderit: Et certe sacramenta cōtestationes etiam sunt quibus mutuam fidem inuicē testamur, & ueluti confoederamur. Vescuntur omnes uno pane, bibunt omnes ex eodem poculo, caro & sanguis Christi uere parsit omnes ad uitam æternam, uno & eodem spiritu uegetantur omnes, omnes eodem baptismate tinguntur in nomen Christi, omnes eiusdem corporis membra sunt, non possunt ergo inter sese dissentire quibus in Christo una mens est & unus animus. Hæc & his similia tractarunt apostoli domini, quoties inciderunt in causam sacramentariam, nihil autem spinosius disputarunt. Hoc exemplum sequetur quisquis cupit suæ consultum esse ecclesiæ. Illuc tendat oratio, ut ecclesia usum & institutionem sacramentorum recte intelligat, curiosas quæstiones & parum necessarias fugiat, & ut ipsa re sacramētis significata, per fidem participet atq; solide fruatur. Hoc consilium ante me dedit doctoribus ecclesiasticis etiam D. Aurel. August. in libro de Catechizandis rudibus 26. cap. in hæc uerba dicens, De sacramento sanè (baptismum intelligit) quod accepit, cum ei bene commēdatum fuerit signacula quidem rerum diuinarum esse uisibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet. Dicendum etiam quid

DE EPISCOPORVM INSTIT.

significet & sermo ille quem audiuit, quid in illo contineatur, cuius illa res similitudinem gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, ut si quid etiã in scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiã si non intelligit, credat tamen aliquid spiritaliter significari, quod ad sanctos mores futuramq; uitã pertineat. Hæc ex Augustino & de sacramentis obiter annotare, non plene disputare uolui. **IAM** quod formulam & ritum attingit uel baptisandi uel celebrandi Cœnam domini, optime uidentur facere, qui paucissimis contenti quam proxime ad exemplum accedunt apostolicum. Quamquam hæc oporteat esse libera, interim tamen non incerta. Apud ecclesias priscas uariis quidẽ fuit ritus, attamẽ singulis regionibus certus, omnibus item conueniebat in ipsa substantia negotij, nulli deniq; ob rituum diuersitatem offendeantur aut in diuersas scindebantur partes. Et hæc quidem libertas omnibus ecclesijs, occidentalibus certe, intacta mansit & adhuc fuit uel Gregorij magni temporibus. Id quod comprobare possumus ex S. Augustini episcopi Cantuariensis ad D. Gregorium quæstionibus. Inter alias enim sic quærit, Cum una sit fides, cur sunt ecclesiarum diuersæ consuetudines, & aliter consuetudo Missarum in sancta Romana ecclesia, atq; aliter in Galliarum ecclesijs tenetur? Hæc quæstio fuit. Ad hanc respondet S. Gregorius, Nouit fraternitas tua Romanæ ecclesie consuetudinem, in qua se meminit nutritã, quam ualde amabilem te habeat. Sed mihi placet ut siue in Romana, siue in Galliarum, siue in qualibet ecclesia alia quid inuenisti quod plus omnipotenti deo possit placere, solcite eligas in Anglorum ecclesia, quæ adhuc ad fidem noua est, institutione præcipua quæ de multis ecc-

Actio
ritus celebrandi
era.

is ecclesijs colligere potuisti infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amāda sunt. Ex singulis ergo quibusq; ecclesijs quæ pia quæ religiosa quæ recta sunt elige, & hæc quasi in fasciculo collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem deponere. Hæc respondit Gregorius, satis aperte indicans quæ libertas data sit ecclesijs, & quid faciat episcopus, qui in his bene consultum uult ecclesiæ suæ.

Diximus quæ sint episcopi officia, & quæ circa ea ueniunt considerata perstrinximus, subiiciemus nunc officiorum inter se collationē. Inter officia ergo nostri ministerij priora præstant, & inter hæc rursus prior est excellentior. Nam docendū officium ubique prætulit alijs in euangelio dominus. Et Oratio nō potest esse sana nisi fiat ex fide ad deum sana. Hæc uero unde hauritur nisi ex doctrina Christi? præstat ergo doctrina. Quod si uerbum euangelij & orationes sanctorum tollas, sacramenta quid erunt? Paulus ergo, Non misit me Christus ut baptizarem, inquit, sed ut euangelizarē. Imò de ipso domino nostro legis apud Ioannem, Iesus non baptizabat sed discipuli eius, præstantiori ergo muneri inuigilabat, erudiendis uidelicet populis. Et Erasmus in Concionatore suo, In politica hierarchia prima est regum dignitas, inquit, inter munia uero regia nullum est magnificentius, quam cum pro tribunali sedēs cognoscit causas, aut pro concione suadet ea quæ pertinent ad reipublicæ tranquillitatē. In ecclesiastica hierarchia summa est episcoporum dignitas, quorum cum multæ sint functiones in quibus præcipue sunt administratio sacramentorum & doctrina spiritualis, in fastigio dignitatis uersatur, quoties animos populi pascit carne & sanguine Chri

Collatio
officiorū
inter se.

1. Cor. 1.

Ioan. 4.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

sti, quod est uerbum dei. Olim baptizabant apostolorum discipuli, quemadmodum dominus Iesus non ipse se baptizabat, sed apostoli in eius nomine tingebant, ipse per se docebat: & subolescente ecclesia aliquandiu in templis nemo concionabatur præter episcopū, post docendi uices in presbyteros delatae sunt, sed eximios, nec id perpetuo, sed si quādo contigisset episcopus sermonis uulgaris parum peritus. Et post uerba aliquot, Post ipsum deum, inquit, nihil habet ecclesia sanctius, salubrius, uenerabilius ac sublimius quam uerbum dei, id est scripturam canonicam, Tantum Erasmus. D. Petrus in Actis apostolorum prædicationem & orationem ministrorum prætulit etiam curæ pauperum, qua tamen nihil sanctius habet religio nostra. Quid enim aliud à nobis petit dominus quam charitatem? Quid in iudicio requireret aliud quam misericordiae opera? Apud prophetam quid ait? Misericordiam uolo & non sacrificium. Hac tamen sanctissima Christianorum misericordia aliud & sacratius quidem opus inuenit Petrus, dicens: Nō est placitum uos derelicto sermone dei, ministremus mensis, per mensas intelligens quaecunq; pertinent ad uictum & curam pauperum, quam omnino alijs imponere iubeat. Nos uero, ait, deprecationi & administrando sermōni incumbemus. Plura poterant dici de præconio ministerij uerbi dei & officio ministrorum, ego titulos tantum potiores recensere uolui. Multis enim libris non absoluet negotium, quisquis ad plenum de singulis præcepta dare tentauerit.

Act. 6.

Quales ad hoc ministerium deligendi, & quomodo inaugurandi sint. Cap. VII.

Adum.



A Dumbrauimus officium ministri uerbi do-
 mini, dicemus nunc quales ad hoc ministe-
 rium deligere oporteat, & quomodo eligen-
 di ac inaugurandi sint. Sunt autem deligen-
 di uiri religiosi, sancti, pii, in sacris literis docti & exer-
 citati, bonarum literarum amantes, eloquentes et pru-
 dentes, moribus synceris & inculpatis præditi, labo-
 riosi, & fideles, mites, tractabiles, interim uero & con-
 stantes, intrepidi & fortes. Verum audiamus aposto-
 lum Timotheo suo præcipientem & dicentem, Ma-
 nus cito ne cui imponas neque communices peccatis a-
 liens. Temetipsum purum serua, Constitue autem præ-
 sbyteros sicut ego tibi ordinaram, si quis est inculpa-
 tus, unius uxoris uir, liberos habens fideles, non ob-
 noxios crimini luxus, aut qui non sint intractabiles.
 Oportet enim episcopum inculpatum esse, tanquam
 dei dispensatorem, non præfractum, non iracundum,
 non uinosum, non percussorem, non turpiter lucro
 deditum, sed hospitalem, bonarum rerum studiosum,
 sobrium, iustum, piuum, temperantem, tenacem eius
 qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, ut po-
 tens sit etiam exhortari per doctrinam sanam, & con-
 tradicentes conuincere. Hæc posteriora ad Titum scri-
 psit. Similia ijs ædidit in 1. ad Timoth. cap. 3.

*Qui ad
hoc officium
deligendi.*

1. Tim. 5.

Titum 1.

In istis autem omnibus nihil obscurum est, nihil an-
 cept, nisi quod nostra ætate acerrime concertatur de
 coniugio presbyterorum siue episcoporum. Sunt enim
 qui strenue asserunt & defendunt cœlibem esse debe-
 re episcopi uitam. Hi præsentem Pauli locum sic tor-
 quent, apostolũ loqui nõ de coniugio, sed sacerdotio,
 quod uni sacerdoti non plures debeant committi ec-
 clesiæ. Sed mirum est qua hoc audeant audacia. Quor

*De coniu-
gio episco-
porum.*

DE EPISCOPORVM INSTIT.

sum enim referēt quod statim ad Timotheū sequitur,
 Qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat subie-
 ctos & per omnia reuerentes; Si uero etiam hæc expo-
 nant de membris ecclesiæ, hoc est fidelibus, reuincen-
 tur per ea quæ protinus sequuntur, Si quis propriæ
 domui præesse non nouit, quomodo ecclesiam dei cu-
 rabit? Hac enim ceu nota manifestissima ostendit se lo-
 qui de uxore & familia, non spiritali, sed carnali, attra-
 men sancta. Sed quid pluribus opus est? Episcopi mu-
 nus sanctum est institutum à domino. Iam & coniugium
 sanctum est institutum à domino. Quid ergo im-
 pedit quo minus sancta re utatur, qui uiuit in mune-
 re sancto? Nam Coniugium in paradyso institutum
 est. Non uidebatur Adam satis felix & fortunatus fu-
 turus, nisi ipsi adderetur uxor, quæ à domino brachiū
 id est auxiliū uiri appellatur. Quid quod ipse Adam
 perfectissima & beatissima dei creatura uxorem illam
 agnoscit suam esse carnem sua ossa, cuius gratia patrē
 & matrem relinquat? Quis uero nesciat quo in loco
 & honore habendi sint parentes? Atqui his prætulit
 coniugis amorem & studium dominus. Vnde aposto-
 lus Paulus disertis uerbis, Honorabile, inquit, est in-
 ter omnes coniugium & cubile impollutum. Et iterū,
 Propter supra uitanda suam quisq; uxorem habeat,
 & sua quæq; uirum habeat. Rursus, Satius est matris
 monium contrahere quàm uri. Item, Si duxeris uxo-
 rem non peccasti; & si nupserit uirgo non peccauit.
 Quibus quid quæso planius dici poterat? Honorabi-
 le, inquit, est coniugium apud omnes, Melius est nu-
 bere quàm uri, Si duxeris uxorem non peccasti. Imò
 si uirgo (en uirgo, ait) si uirgo inquam nupserit, non
 peccauit. Et in præsentī, Episcopus sit unius uxoris
 maritus

Coniugium
sanctum est.

Gen. 2.

Exod. 20.

Hebr. 13.

1. Cor. 7.

maritus, Ad Ephesios, Viri, inquit apostolus, diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiã, Quis autẽ amor sacratior & maior unquã fuit amore Christi quo ecclesiam suam in mortẽ usq; prosequutus est? At huic amorĩ tanto & tam sancto oportuit conferrĩ amor coniugalĩs, nimirum & ipse sacratissimus. Maxima momenta habet hoc apostoli de coniugio testimonium, modo non sine fide & religione expẽdatur. De cœlibatu uero apud Matthæum dominus obiicit *De cœlibatu.* discipulis, Si ita habet negotium non expedit *tu.* uxorem ducere, respondet, Non omnes capaces sunt *Matth. 19.* huius dicti, sed ij quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi qui facti sunt eunuchi ab hominibus, & sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnũ dei. Qui potest castrare capiat. Fruatur ergo cœlibatus dono qui habet, qui non habet fruatur uxore, ne uspiam cadat in laqueũ diaboli. Multus sanẽ est in laude cœlibatus apostolus Paulus, sed idem post multa tandem subiicit, Hoc autem ad id quod uobis est conducibile dico, nõ uti uobis laqueum inijciam, sed ut quod honestum & decorũ est sequamini. Nec me quicquã mouet quod quidam nescio quæ consilia & quos Canones obiiciunt qui sacerdotibus interdixerint coniugio, Fateor fuisse quæ uel stulto zelo uel mala arte cœlibatum instituerint, cæterum plus apud me ualet uerbi dei auctoritas & Nicenæ Synodi ueritas quã istorum assertio. Audiuimus quid de hac re iudicet præceptum domini. Nam ad superiora scripturæ testimonia illud accedit quod apostolus palãm dicit, Spiritus diserte loquitur quod in postremis temporibus deficient quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus ac do-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Quid de
sacerdotū
coniugio
decreuerit
Nicena Sy-
nodus.

strinis dæmoniorum per simulationē falsiloquorum,
cauterio notatam habentium conscientiam, prohiben-
tium contrahere matrimoniū. Audisti opinor ex quo
spiritu interdixerint coniugio sacerdotibus, quicūq;
tandem interdixerunt. Nihil hic fingimus aut de nos-
stro addimus, planam apostoli Christi sententiam pro-
ferimus, Hanc qui reijcit anathema esto. Nicena uero
Synodus uolens corrigere uitam hominum in eccles-
sijs commorantium, ut ait Sozomenus, posuit leges
quas Canones appellamus, inter quos uidebatur legē
introducere ut episcopi & presbyteri, diaconi & sub-
diaconi cum coniugibus, quas ante consecrationem
duxerant, non dormirēt. Surgens autē in medio Paph-
nutius confessor cōtradixit, honorabiles confessus nu-
ptias, & castitatem esse dicens concubitum cum pro-
pria coniuge, suasitq; consilio ne talem ponerent le-
gem, grauem asserens esse causam, quæ aut ipsis aut
eorū iugalibus occasio fornicationis existeret. Et hæc
quidē Paphnutius licet nuptiarum esset inexpertus,
exposuit, Synodusq; laudauit sententiam eius, & ni-
hil ex hac parte sanciuit, sed hoc in uniuscuiusq; uo-
luntate, non in necessitate dimisit. Quod si quis nescit
quis nam ille fuerit Paphnuntius, audiat authorē Ec-
clesiasticæ historiæ lib. 10. cap. 4. in hæc uerba testan-
tem, Fuit in cōsilio Niceno & Paphnutius homo de
episcopus ex Aegypti partibus, cōfessor, ex illis quos
Maximianus dextris oculis effossis & sinistro poplite
succiso per metalla damnauerat. Sed in hoc tanta erat
uirtutum gratia, ut signa per eum non minus quam
dudum per apostolos fierent. Nam & dæmones uera-
bo tantū fugabat, & ægros sola oratione curabat, sed
& cæcis uisum dicitur reddidisse, & paralyticos ad
stabilitatem

Paphnu-
tius confes-
sor.

stabilitatem corporis reuocasse. Quem Constantinus
 in tanta ueneratione & affectu habuit, ut sapius eum
 intra palatium euocatum complecteretur, & illum o-
 culum qui in confessione fidei fuerat euulsus auidio-
 ribus osculis demulceret. Iam quantum mali eccle-
 się dederit coactus ille cœlibatus nemo est qui nesciat,
 ut castas aures interim turpioribus nō onerem, Neq; *Secundas*
 magnopere illorū uidetur curanda expositio qui post *quoq; nu-*
 primas nuptias sequundas non admittunt. Hærēt in *prias ad-*
 uerbo Vnius, quasi uero apostolus non magis prohi- *mittendas*
 buerit turbam pellicum & concubinarum. Vetera e- *episcopo.*
 nim exempla adhuc sollicitabant quorūdam animos,
 ut non contenti uxore unica superinducerent etiam
 concubinas aliquot, salacis & petulantis animi indi-
 cium. Voluit ergo apostolus turbam uxorū exclu-
 dere, & sanctum coniugium confirmare, potissimum
 cum scriptum sit, Non omnes capiunt uerbum istud.
 Et, Erunt duo in carnem unam. Præterea non uideo
 cur hoc Pauli uerbum, Melius est nubere quàm uri,
 non etiam permittat secunda & tertias nuptias, nisi
 ardor post primas non redeat, nisi nō sit metuendum
 fornicationis malum. Quod si hoc omnino te uexat,
 Paulus pronunciat, & ait, Bonum est homini uxorem
 non attingere, attamen propter supra uitanda, suam
 quisq; uxorem habeat, & suum quæq; uirum. Quid
 quod idem apertam legem uiduis promulgat, & ait:
 Dico autem uiduis, bonum est eis ut manserint ut &
 ego. Quod si se non continent, contrahant matrimo- *Exempla ma-*
 nium. Quod si exempla aliquid ualent, demonstra- *gnorum in*
 re possumus optimos quosq; connubij non expertes *ecclesia ui-*
 uixisse. Iethro enim ac Moses sacerdotes erant dei & *rorum qui*
 populi proceres, interim tamen & uxores & liberos *uxores ha-*
 buere.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

habuerunt. An non sancti fuerunt & sacrorum ministri Aaron & filij eius, an non sacrificarunt & orarunt pro populo domini? At iidē mariti fuerunt ac patres. An non & apostoli domini nostri Iesu Christi uxores habuerunt? Audi quid dicat Ignatius episcopus & martyr, Nō detraho, inquit, cæteris beatis qui nuptijs copulati fuerunt. Opto enim deo dignus ad uestigia eorum in regno ipsius inueniri, sicut Abrahā & Isaac & Iacob, sicut Ioseph & Isaias, & cæteri prophetae, sicut Petrus & Paulus & reliqui apostoli, qui nuptijs fuerunt sociati, qui non libidinis causa, sed posteritatis subrogandæ gratia coniuges habuerunt. Extant hæc in epistola ad Philadelphieñ. Quod si parum apud te ualet huius epistolæ autoritas, audi Matthæum testantem & dicentem: Cum uenisset Iesus in domum Petri, uidit socrum illius lecto decumbentem & febricitantem, tetigitq; manum illius & reliquit illam febris. Audi & Lucam dicentem in Actis, Et ingressi domum Philippi euangelistæ, qui erat unus e septem, mansimus apud eum. Huic autem erāt quatuor filiae prophetantes. Sed obijciunt apostolos & priscos episcopos ad ministerium uerbi uenisse coniugatos, cæterū simul ac ministrare incœperunt uxores reliquisse. Id uero cuperem mihi probatū. Nego enim uerum esse quod proponitur. Vnde ergo probabitis mihi apostolos in ministerio suo reliquisse uxores? Si enim hoc uerum est, ubi interim illud uerbum domini manet, Coniugatis præcipio non ego, imò dominus, Uxor à uiro ne separet, quod si separata fuerit maneat innupra aut marito reconcilietur, & maritus uxorem ne dimittat. Hinc in 9. cap. ad Corinth. An non habemus potestatem (inquit Paulus) edendi & bibendi? an non

Matth. 8.

Act. 21.

Apostoli
ob ministerium
non
reliquerunt
uxores.

non habemus potestatem sororem mulierem (id est uxorem) circumducēdi quemadmodum ceteri apostoli & fratres domini & Cephas? En habes locum apertum testantem quod apostoli ad ministeriū uerbi euntes secum uxores duxerint. Neq; uero tantum recensetur quid sit factum, sed quod iure fieri possit à quolibet ministro quod factum est ab apostolis & fratribus domini, Petro in primis. Ceterum his apertissimis licet nihil fidei adhibent sed ogganniunt expositionem nostram è Iouiniani hæretici explanationibus esse petitam, contra quem D. Hieronymus lib. 1. in hæc uerba scripserit, Apparet Paulum de alijs sanctis mulieribus fuisse loquutum, quæ iuxta morem Iudaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoq; domino factitatum. Nam & ordo uerborum hoc significat, Nunquid non habemus potestatem edendi & bibendi, aut sorores mulieres circumducendi? ubi de comedendo & bibendo ac de administratione sumptuum præmittitur & de mulieribus sororibus inferatur, perspicuū est non uxores debere intelligi, sed eas, ut diximus, quæ de sua substantia ministrabant. Aut certe si *γυναῖκας* uxores accipimus non mulieres, id quod additur sorores, tollit uxores, & ostendit eas germanas in spiritu fuisse non coniuges. Agnosco sane Hieronymianam expositionem, quam & Aurel. Augustinus in Opere monachorū sequitur, sed nemo mihi uitio uerterit opinor si illam expositionē, quod uolentior esse uideatur, non recipiam, & quod argumenta quibus illa nititur tanta non sint ut suam mihi approbent sententiam. Principio enim dispiciendum uideatur an illud de quo disputatur bonū sit an malum. Et certe circumducere uxores bonum est, nō malum,

*Excutitur
S. Hieron.
disputatio
de uerbis
apostoli 1.
Corint. 9.*

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Quia coniugium bonum est, & honorabile apud omnes. Quorsum ergo pertinet sensum simplicem uitia-
 re peregrino glossemate? Nam à simplicitate uerbo-
 rum nō iubemur discedere in sacris explicandis, nisi
 cum uerba uidentur iubere aliquid absurdi aut con-
 sentire in aliquod peccatū. Sic enim censuit ipse etiā
 August. lib. de Doct. Christ. 3. cap. 16. Cum ergo nullā
 absurdo aut sceleri occasionem præbeant uerba Pau-
 li de coniugibus apostolorum exposita, non est quod
 quisquam uerba simplicia secus quā simpliciter expo-
 nat. Deinde ut maxime ritus circuducendi mulie-
 res Iudaicas, Iudaicam gentem offenderit nihil. Scio
 enim quid Lucæ 8. cap. scriptū sit de mulieribus Chri-
 stum sequentibus, apud Gentes tamen foedissimam
 stupri & adulteriij scortationisq; suspicionem incidit
 sent, si mulieribus stipati prædicatum uenissent san-
 ctimoniam. Id proculdubio nō potuisset probare qui
 2. Cor. 6. tanta confidentia scripsit, Ne usquam demus offensio-
 nem, ne reprehendatur ministerium, sed in omnibus
 1. Thef. 5. commendemus nos ipsos ut dei ministri. Et iterū, Ab
 omni specie mala abstinete. Iā quod attinet contextū
 non uidetur is eum suppeditare sensum quem affert
 Hieronymus, nisi eandem rem bis frustra enunciarit.
 At quorsum pertinebat eandem rem denuo repe-
 re? De duabus ergo inter se distinctis rebus loquitur.
 Et sententiæ apud Græcos ut diuersæ distinguuntur.
 Ostendit enim & liberum & concessum esse doctori
 euangelico primum quidem ut è stipendio ecclesiasticō
 eo uiuat, deinde ut secum ducat Christianā uxorem.
 Quod enim Hierony. aliō torquet uocem ἀδελφίης, nō
 animaduertit quod idiomate eius gentis & linguæ so-
 ciores perinde ac fratres dicuntur ac usurpantur. Fra-
 tres

tres uero appellauit uetustas quos hodie appellamus Christianos, unde sorores uxores sunt Christianæ. Durat hic loquendi mos etiam hodie. Et sanè plurimum refert apostoli aut ministri uxor credula sit an incredula. Et *γυνή* frequentius uxorem significat quàm *foeminam*. Certe in præsentì magis placuit Erasmo uox prior quàm posterior. Quæ cum ita habeant nihil memoratur Hieronymiana expositio, simplicitatē amplector & locum Pauli de Christianis uxoribus expono. Habeo præterea astipulatores meæ sententiæ in ecclesia Christi uiros maximos et maximorum uirorum exempla. Clemens enim apud Eusebium eccles. histo. lib. 3. cap. 30. scribens, aduersum eos qui nuptias spernunt, inter cætera etiam hæc dicit, An & apostolos improbant? Petrus etenim ac Philippus & uxores habuerunt, & filias etiam uiris nuptum dederunt. Sed & Paulum non tædet apostolū in quadam epistola sua mentionem uel salutationem facere comparis suæ, quam se ideo negat circumducere, ut ad prædicationē euangelij expeditior eat. Ex quibus uerbis apostolici uiri colligimus licere circumducere uxores, & quod Petrus & quidam alij secum duxerint. In oriente episcopi *Orientales*
episcopi.
 pi quidam spontanea uoluntate & non aliqua necessitate seipso abstinabant. Plurimi tamē eorum episcopus *episcopi.*
 patus tempore ex legitimis uxoribus habuerunt filios. *Gregorius*
 Hæc ex Socrate Constantinopolitano apud Epiphanius *Nazianzenus.*
 nium leguntur Trip. hist. lib. 9. cap. 38. Gregorius Nazianzenus episcopi fuit filius & apud Nazianzenus.
 opidum in locū patris episcopus est subrogatus. Quid *Epiphanius*
 quod Iustinianus Imperator Epiphanius scribens *us Constantinop.*
 Constantinopolitano episcopo laudi ducit quod sacerdotus *us Constantinop.*
 li natus sit profapia. Nam in Nouellis Constitut. 3. San

cinus inquit, ut beatitudo tua quæ ab initio & à tene-
 ra propemodū ætate per omnes sacerdotales gradus
 & dignitates sacrosanctam exornauit ecclesiam, utpo-
 te quæ ex sacerdotibus etiam genus & originem du-
 cat, in perpetuum custodiat, &c. Phileas episcopus
 Thmuitanus & martyr gloriosissimus, & uxorem &
 liberos habuisse legitur. Eusebius enim eccles. histo.
 lib. 8. cap. 10. Cumq; plurimos, inquit, propinquos &
 consanguineos nobiles uiros in eadem urbe haberet,
 frequenter ad præsidē ducebatur, eiusq; monitis ac-
 quiescere, tot tantisq; propinquis exorantibus, respe-
 ctum habere uxoris & contemplationem suadebatur
 suscipere liberorum, ille uero oculos ad deum tende-
 bat, &c. De Spiridione Tremithuntis Cypriorū epi-
 scopo testatur historiē in hæc uerba, Fuit iste rusticus,
 habens uxorem & liberos, sed nō propterea in rebus
 diuinis minor. Extant hæc in Trip. hist. lib. 1. cap. 10.
 Polycrates Ephesinus episcopus & inter Asianos epi-
 scopos facile primus, ad Victorem Roman. Pont. de
 obseruatione Paschæ scribens de seipso testatur, &
 ait: Et ego omnium minimus Polycrates, secundum
 traditionem parentum meorum obseruo Pascha. Se-
 ptem namq; ex parentibus meis per ordinem fuerunt
 episcopi, ego octauus, qui omnes ita obseruauerunt
 hūc diem; unde fratres charissimi sexaginta et quinque
 annos ætatis gerēs in nomine domini, multorū quoq;
 episcoporum orbis terræ notitiam habens, & sanctis
 scripturis intendens, non perturbabor. Author Euse-
 bii eccles. hist. lib. 5. cap. 24. Porro illa sanctæ scriptu-
 ræ et illustrium in orbe episcoporum exempla sequen-
 tes Gallia & Germaniæ episcopi ac sacerdotes conu-
 gio sibi uxores retinuerunt ad pontificatum usq; Gre-
 gorij

Phileas.

Spiridion.

Polycra-
tes.Galliarum
& Germa-
niæ episco-
pi.

gorij septimi & ultra, annos ab ascensione domini plus mille quadraginta. Constat enim religionem Christianam ab ipsa protinus apostolorum predicatione annunciatam & receptam esse à Gallis & Germanis, id quod uel ex Irenæo colligi potest. Mirabuntur scio historiarum imperiti quod dixi potentissimorum & in orbe maximorum populorum episcopos tanto tempore uxores habuisse, uerum nolo mihi credatur, audiatur Lambertus ille Schaffnaburgens, non uxoratus sacerdos sed monachus Hirsfeldens. Hic enim in opere suo quo res Germanorum præclare gestas descripsit, in Gestis anni 1074. Hildebrandus Papa, inquit, cum episcopis Italiæ conueniens, iam frequentibus Synodis decreuerat, ut sequendum instituta antiquorum Canonum (sic enim appellat leges ante annos aliquot in quibusdam Consilijs sanctas) presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur, nec quisquam omnino ad sacerdotium admittatur qui non in perpetuum continentiam uitamque coelibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras literas ad episcopos Galliarum trans mittebat, præcipiens ut ipsi quoque in suis ecclesijs similiter facerent, atque à contubernio sacerdotum omnes omnino foeminas perpetuo anathemate refecarent. Aduersus hoc decretum protinus uehementer infremuit tota factio clericorum, hominem planè hæreticum & uesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis domini, qui ait: Non omnes capiunt uerbum istud, qui potest capere capiat. Et apostoli, Qui se non continent nubant. Melius est enim nubere quam uri, uolentia exactione homines uiuere cogeret ritu angelorum, & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicari-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

tioni & immunditiæ frena laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotiũ quàm coniugium deserere, & tunc uisurum eum cui homines forderent, unde gubernandis per ecclesiam dei plebis angelos comparaturus esset. Et quæ sequuntur. Idem paulò post ostēdit Burghardum præpositũ Treuerensem coniugio sibi iunctam habuisse Ruzenorum regis sororem. Possẽ infinita huius generis proferre in medium, nisi metuerem hæc esse nimia.

A quibus
ordinandi
sint episco
pi, & quo
modo inau
gurandi.

Iam quod inaugurationem attinet, constat ueteres nullis usos esse ceremonijs excepta una impositione manuum. In Actis enim cap. 1. ordinaturi in deperdito proditoris Iudæ locum alium euangelicæ prædicationis testem & præconẽ resurrectionis domini, duos primũ uiros pios, doctos euangelicĩq; negotij peritissimos statuunt in conspectu ecclesiæ. Deinde uero preces fundunt ad dominum. Postremo sortes dant et eum recipiunt in numerum apostolorum quem fors temperata à domino designauerat. Nulla fit mentio tonsuræ aut olei, incantationis & huius generis nugarum. Similiter in cap. 13. ieiunant & orant; hinc uero designatis à spiritu sancto uiris manus imponũt (quod communicationis auxiliĩ mutui & commissionis dominiq; sancti spiritus signum erat, ex lege petiitum) & emittunt ad prædicationem. In 14. cap. ad eundẽ modum, Et cum suffragijs, inquit Lucas, Paulus & Barnabas illis creassent per singulas ecclesias presbyteros, precatiq; essent cum ieiunijs, commendauerunt eos domino, in quem crediderant. In quo tamen loco illud *χερσπονοισας*, ita ponitur ut presbyteros uel populi delectos esse suffragijs, uel manuum impositione inauguratos fuisse possimus intelligere. Nihil absurdũ fuerit

fuerit si intelligamus utrūq;. Nam Cyprianus author *In populo*
 est suo sæculo moris fuisse ut in præsentia populi *olim electi*
 sacerdos eligeretur. Verba eius si quis requirat *sacerdotes*
 hæc sunt, Ipsa plebs maxime potestatem habet uel eli-
 gēdi dignos sacerdotes uel indignos recusandi. Quod
 & ipsum uidemus de diuina autoritate descendere,
 ut sacerdos plebe præsentē sub omnium oculis deliga-
 tur & dignus atq; idoneus publico iudicio ac testimo-
 nio cōprobetur, sicut in Numeris præcepit dominus
 Mosi, & dixit, Præhende Aaron fratrem tuum et Elea-
 zarum filium eius, & impones eos in montem coram
 omni synagoga, & exue Aaron stolam eius, & indue
 Eleazarum filium eius. Coram omni synagoga iubet
 deus constitui sacerdotem, id est instruit & ostēdit or-
 dinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis
 conscientia fieri oportere ut plebe præsentē uel dete-
 gantur malorum crimina uel bonorum merita prædi-
 centur, & sit ordinatio iusta & legitima, quæ omnium
 suffragio & iudicio fuerit examinata. Tantū martyr il-
 le epist. lib. i. epist. 4. His haud dissimilia sunt quæ de
 ritu ordinandorum episcoporum tradit Aelius Lam-
 pridius nobilis historicus in uita Alexandri Seueri,
 id moris nempe fuisse Christianis ut si quē ministrum
 ecclesiæ præficere uoluissent, eius nomē publice pro-
 ponerent, si forte in eo esset culpabile, quod ab officio
 indignum repelleret. Verba historici hæc sunt, Vbi
 aliquos uoluisset uel rectores prouincijs dare, uel præ-
 positos facere, uel procuratores id est rationales ordi-
 nare, nomina eorum proponebat hortans populum,
 ut si quis quid haberet criminis probaret manifestis
 rebus, si non probasset subiret pœnam capitis. Dice-
 batq; graue esse, cum id Iudæi & Christiani facerent

DE EPISCOPORVM INSTIT.

in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita. Præterea deflagrabantur episcopi ex populi suffragio adhuc Augustini sæculo, id quod uidere est in Actis de successore Eradio designando contextis, quæ habentur in opere epistolarum Titulo 100. Similia istis possem etiam de Romanis episcopis proferre si liberet illa tractare fuit. Sufficiunt illa ad cognoscendum ritum ueteris ecclesiæ. Quanquam ex illis omnino colligere nolim deligendi episcopi ius omnino ad promiscui plebis suffragia esse reducendum. Vtrum enim totius ecclesiæ comitijs, an paucorū suffragijs, episcopum designari melius sit, nulla potest certa omnibus præscribi ecclesijs cõstitutio. Sunt enim alijs regionibus alia iura, alij ritus & instituta. Vbi nolim turbari res & quenquam suo iure spoliari, modo ipse non pergat abuti suis rebus, iniurias irrogare ecclesijs, & in oppressiõnem libertatis ecclesiæ & ueritatis catholicæ quicquam præsumere. Prouincia sanè eligendi ministri à populo translata est ante aliquot sæcula ad proceres ecclesiasticos. Sed quam ob rem? Quia inter tumultus & factiones populi nihil agebatur secundū præscriptum uerbi dei, sed omnia ex affectibus gerebantur, unde pro optimis creabantur pessimi. Id ne fieret & ut optimi, doctissimi & pijsissimi ecclesijs darentur ministri, omnino deligendi ius episcopis concessum est. Et profuit quidem hæc ad tempus translatio. Iuxta enim canonem apostolicū, Oportet episcopum esse irreprehensibilem, qui docere queat, non auarum, non libidinosum aut rixosum, &c. sancti ecclesijs dabantur ministri. Quid uero nunc fiat & quid aliquot sæculis factū sit

Ad quos
pertineat
electio epi
scopi.

Abusio
collatio=
num.

fit nemo ignorat. Vocantur ecclesiæ pastores qui gregem suum nunquam uiderunt, qui in hanc possessionem uiolenter iruperunt, qui pueri uix dum balbutientes eam ceu hæreditatem à patruis & cognatis acceperunt, qui forensibus iurgijs euicerunt, qui plus numerarunt, & pretio iniquo redemerunt, qui fordibus obsequijs emeruerunt. Receptum enim est Romano præfuli & suæ farinæ episcopis ac prælatis ecclesiasticis, ut tonsores suos, cocos, muliones, spurios, cubicularios, auium & carum magistros, & eius fecis homines, ecclesijs præficiant. Honestiora hæc sunt & rariora, frequentiora autem ut ecclesiæ siue episcopatus ceu præmia cedât proditoribus, & ut nihil dicam turpius, lenonibus. Et quis hæc audiat æquis auribus? quis non doleat huc recidisse res ecclesiasticas? quis negabit ista non facta esse ab episcopis & fieri etiam hodie magno cum religionis Christianæ detrimento? Iactitant isti multa de iuribus collationum præsentationum repræsentationum et patronatum, iactitant nescio quos Canones. Atqui audiendi in primis erant & illi Canones qui districte cauent, ne sua potestate in ecclesiæ perniciem abutantur episcopi. Præterea exposui iam primum alias causas ob quas istis functionibus & munus designandi ecclesiæ ministros delegatum est. Ergo si qui iure illo bene utuntur in ecclesiarum ædificationem bene habet. Si qui abutuntur per tyrannidem, uel cogantur in ordinem à sancto magistratu, uel transferatur ab eis ius designandi ministros. Satius enim est eligendi munere seniores aliquot ex regis uel magistratus iussu defungi, aduocatis consultisque illis qui norint qualis sit functio episcopi, quæ eius populi aut ecclesiæ ratio cui aliquis præficiendus est, qui item

*Restitutio
collationū*

DE EPISCOPORVM INSTIT.

possint de ingenijs eruditione & moribus cuiusuis su-
dicare. Hæc obiter de eo dictum sufficiat, à quibus uia-
deantur ordinandi uocandiq; ecclesiæ ministri: redi-
mus nunc & paucis quomodo inaugurari debeant
Modus cō ostendimus. Optimum ergo fuerit si simplici apostolo
secrandi. rum exemplo & formula contenti, electos statuamus
in conspectu ecclesiæ, exploratis tamē prius cordatio-
rum iudicijs, si forte quis designatū accuset indignū
esse qui ministret ecclesiæ, deinde si supplicationes sit-
ant publicæ, postremo autem si seniores ecclesiæ mi-
nistro manus imponant commēdentq; ecclesiā. Nam
prisca ecclesia pauculis illis contenta non modo opti-
mos habuit episcopos, uerum etiam domino maxime
placuit.

Cōtra in- Posteaquam uero pompa & ambitio apud episco-
augurandi pos creuit, simul & pietati & eruditioni decessit pluri-
Papisticū mum, interim oportebat eos commēdari ecclesijs, ad
ritum. hoc ergo inuētæ sunt multiplices illæ ceremoniæ, ad
his utuntur in episcoporum ordinationibus. His ete-
nim uolebant indoctis episcopis aliquam apud plebē
parare authoritatem. Equidem externo rerum splen-
dore oculi simpliciū & rudis popelli mirifice perstrin-
guntur. Reuocatus est itaq; umbratilis ille & Iudaic-
us Aaronis cultus. Nam si uestimenta nostrorū præ-
sulum compares cum Leuitarum ornatu, parum in-
teresse dicas. Accessere qui ornatū illum mirifice perstrin-
gunt. Nota enim sunt quæ de hac re scripsit Gui-
lielmus Durandus. Extant & Innocentij eius nomi-
nis tertij episcopi Roma, sex libri de sacro altaris mys-
terio inscripti, quorum primus in hisce nugis ferme
totus consumitur. Neq; uero primus ornatum episco-
porum nostrorum comparo cum cultu sacerdotum
Iudaicorum

Judaicorum. Nam Polydorus Vergilius Vrbinas au-
 thor illustris lib. de Inuentoribus rerum 4. cap. 7. pul-
 chre & uere sentit illum cultum omnem à Gentibus
 & Iudæis petiitum magis Iudaicū esse quàm apostoli-
 cum. Verba authoris hæc sunt, Nostri sacerdotes lin-
 teati linigeriq̃, id est lineis uestimentis amicti templū
 & altare adeunt in sacrorumq̃ pompa incedunt ritū
 dubio procul ab Aegyptijs per manus Hebræorum
 usq̃ ad nos translato, & id credo quia teste Cicerone
 de legibus color albus præcipue decorus deo est habi-
 tus. Verum quia splendidus cultus facit autoritatē,
 placuit propterea nostris maioribus & bombycinas
 introducere uestes, ut qui arbitrati sunt opinor, ne-
 quaquam id luxuriæ uitio dari posse quod ad diuini
 cultus magnificentiam adhiberetur. Insignia pontifi-
 catus ab ipsis etiā Hebræis omnia ferè accepta, id est,
 linea uestis summa, quæ niueo candore insignis uitā
 undiq̃ inculpatam admonet, uelut mitra bicornis no-
 ui pariter ac ueteris instrumēti scientiam. Adduntur
 bina cornua, quoniā Moses acceptis tabulis, quibus
 mandata dei inscripta erant uisus est suis cornutus.
 Aureum diadema gemmis distinctum Constantinus
 Imperator primus Syluestro Pont. Romano obtulit,
 quod ille non recepit ueluti parum religioni idoneum
 Phrygia mitra candida contentus, sed pontificum po-
 steritas donum deinde principis haud aspernata est.
 Baculus instar Mosis seu Aaron uirgæ datus populi
 uitia castigandi potestatem attribuit. Annulus Christi
 & religionis copulationis ut pignus habetur, sicuti
 chirothecæ purum manuum ab omni humanarum re-
 rum contagio officium, diuinarumq̃ administratio-
 nem, & pedum operimenta crediti gregis uigilantissi-
 C

*Insignia e-
 piscoporū
 exponuntur.*

nam curam indicant, Et quæ sequuntur. Huius farinae sunt etiam reliqua quibus sese exercent isti & in quibus uersantur toti. Quis autem non uideat quam stolidi sint qui rebus ludicris et talibus nugis Iudaicis, toti occupantur et tempus illud nobile melioribus destinatum deperdunt? Qui ergo sapiunt relinquunt Iudaicos illos ritus, nec tantilli faciunt significatiuam illam & laruaem theologiam, Prudentium enim & sanctorum est curare, ut ritu apostolico ordinati episcopi, pietate, doctrina et uirtutibus apostolicis potius quam auro & gemmis Indiciis fulgeant, Quemadmodum enim sanctus quidam episcopus dixisse fertur, melius habuisse ecclesiam cum aurei episcopi poculis libarunt ligneis, peius habere cum lignei, hoc est stupidi & indocti episcopi pateris sacra peragunt aureis. Ita pessime consulitur nunc quoque ecclesijs nostris à mitratis, auro, gemmis & purpura splendentibus preceribus ecclesiasticis, consuleretur autem huic melius si positis istis nugis, honesta decentique ueste tecti praefules curarent eruditione, pietate, fide & constantia fulgere. Hisce enim rebus claruerunt ueteres episcopi, hisce quoque paratur iusta autoritas, illis uero auferuntur sumptus grandescitque magno cum honorum offendiculo luxus & ambitio. Sed de autoritate paulò post copiosius disputabimus.

De scholis Christianorum priscis & bibliothecis. Cap. VIII.



Roximum illis esse uidetur ut quaedam nunc & de scholis Christianorum priscis adijciam, quod hæ ueluti seges & conseruatio adeoque firmamentum apostolici ministerij esse uideatur. Tametsi enim non legas apostolos domini in ullis institutos

tos esse scholis, sed miraculo quodam & per sancti spi-
 ritus donum factos esse omniscios, studia tamen pia et
 scholas sanctas planè non neglexerunt. Fuerunt enim
 & priscae ecclesiae sacerdotes ac prophetae eodem do-
 cti spiritu, sed nihilominus idem illi scholas religionis
 publicas summa diligentia curasse cap. 4. comproba-
 uimus. Atque ecclesia Christianorum nihilo inferior *Fuisse*
 est in saluberrimis illis & opido necessarijs institutis. *Scholas de-*
postolorum
temporibus.
 Fuisse ergo & apostolorum temporibus quod in Actis
 ex alijs tum uero ex illo colligi potest quod in Actis
 apostolorum legimus in eadem urbe plures fuisse mi-
 nistros uerbi & eos non unius functionis. Nam Lucas,
 Erant quidam in ecclesia quae erat Antiochiae prophe-
 ta ac doctores Barnabas & Simon qui uocabatur Ni-
 ger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen qui erat He-
 rodis tetrarchae collactaneus, & Saulus. Loquitur au-
 tem omnino de sanctorum collegio, in quo alij quidè
 profitebantur sacras literas, explicantes illas eruditio-
 ribus & ministerio uerbi ordinandis, alij uero doce-
 bant ecclesiam & declamabant apud plebem, expo-
 nentes illud quod à prophetis didicerant. Isti linguis
 loquebantur, hi uero uulgari lingua sensum reddebant
 populo: quemadmodum & in Corinthiorum ecclesia
 eundem illum ritum instituit apostolus. De quo si quis
 copiosiora petit, inuenit in 1. ad Corinth. 14. cap. Pro-
 inde constat & apostolorum tempore scholas fuisse &
 institutas & per sancte ad ministerium uerbi usurpa-
 tas. Succedentibus deinceps temporibus coeperunt
 magis atque magis excoli, adeo ut nulla ecclesia cathe-
 dralis aut metropolitana esset per totum orbem quae
 careret suo collegio & studij praesidibus. Vnde fortas-
 sis & apud nos in templis episcopalibus & alijs horum

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Scholasticus æmulis sacerdotū collegijs, Scholastici quem uocant
cus preses manauit uocabulum, & solum hodie uocabulum. **A**
scholæ ec- alexandriæ quidem in Aegypto schola fuit ecclesiasti-
clesiasticæ ca per totum orbē celeberrima, cuius meminit in **Ec-**
Schola A- clesiastica historia sua Eusebius hisce uerbis, **Tempo-**
lexandri- ribus Commodi scholæ ecclesiasticæ & doctoris offi-
na. cio præerat uir in omni eruditione nobilissimus **Pan-**
Lib. 5. tænus, Alexandriæ enim consuetudo antiquitus tra-
cap. 10. dita usq; in hodiernum permanet, ut diuinarum scri-
 pturarum doctores, scholæ inibi ecclesiasticæ præfici-
 antur, utri duntaxat in scientia & eruditione probatissi-
Clemens. mi. Successit in officio docendi Pantæno Clemens
 eodem uocabulo quo & ille in urbe Roma Apostolorum
 & successor & discipulus uocitatus, qui quid a
 præceptore didicerit Pantæno ipse exponit, unde etiã
 colligere licebit quid traditum sit maxime in illa Alex-
 andrina schola, tum & reliquis Christianorum scho-
 lis ecclesiasticis. Primo enim libro $\sigma\tau\omega\mu\alpha\tau\omega\upsilon$ recensens
 quas scholas accesserit & quibus usus sit præceptoris
 bus, Mihi quidem, inquit, commentarij huius operis
 non ad ostentationem scribuntur, sed ad commemora-
 tionem senectæ & ad obliuionis remedium, quo scilicet
 in his sit mihi adumbratio quædam rerum magni-
 ficarum diuinorumq; uerborum quæ audire meruit
 uiris sanctis & beatis, quorū ab alio apud Achaiam,
 ab alio apud Syriam, ab alio uero in Oriente & maxi-
 me apud Palæstinam institutus sum ex Hebræorum
 origine ueniente; ad ultimum autem in Aegypto mag-
 gisterio usus sum uiri uirtutis & scientiæ merito omni-
 nibus præferendi Pantæni, post quem uelut thesaurus
 in absconditis reperto, aliud quærere ultra cessauit.
 Et illi quidem doctrinæ diuinæ ueritatem, mihi
 quæ

quæ sibi ab ipsis statim primis authoribus Petro & Iacobo & Ioanne & Paulo sanctis apostolis tradita fuerat tanquam patres filio commendarunt. Apostolica ergo doctrina tradita legitur in priscis Christianorum scholis maxime in Alexandrina. In qua etiã magnus ille Origenes primo quidẽ Grãmaticam professus est, *Origenes.* deinde uero auditorium sibi κατηχίσεως oblatum recepit, in quo sacras scripturas explanãs & religionis nostræ fundamenta iaciens, plurimos e Gentibus eruditissimos uiros à perfidia conuertit ad fidem, à tenebris ad lucem. Inter quos primus extitit Plutarchus, qui non solum tradita sibi ab Origene de nostra fide perfecte seruauit, uerum etiã martyrio uitam suam consummauit. Secundus in his fuit Heraclas & natura Plutarchi frater & uirtutibus, cui Origenes post annos aliquot κατηχίσεως reliquit auditorium, quod uir clarissimus tanta diligentia tanto cum fructu & tantis uitæ meritis instituit ut mox raperetur e schola in cathedrã episcopalẽ illustriq; uiro Demetrio surrogaretur. Interim auditorium relictum non neglexit. Præfecit enim huic clariss. uirum Dionysium, qui & ipse e schola raptus ad episcopatum sanctissimo Heraclæ episcopo successit. Cæterum Origenes ille priusquam Alexandriam uocaretur apud Cæsaream morabatur, pietatem & bonas literas in ea profitens ecclesia. Quocirca innumerã ad eum non regionis ipsius uiri, sed & e prouincijs procul positis concurrebant, & derelicta patria ac parentibus sequebantur eum uiam dei docentem. In quibus fuit & uir famosissimus Theodorus ille, qui ab episcopis Ponticis Gregorius est uocatus, fide, uirtutibus atq; scientia per omnia apostolicus, sed & eius frater Athenodorus, quos Origenes

Heraclas.

Dionysius

Schola Cæsariensis.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Hæc obser- uent stu- diosi et stu- dijs præfe- cti. adulescentulos de auditorio rhetoris retractos **STV- DIA COMMVNIVM LITERARVM IN DIVI- NAM SVASIT PHILOSOPHIAM COMMVTA- RE,** quicq; apud eum per quinquennij tempus **VER- BO DEI** operam dantes, in tantum profectum diuinae eruditionis atq; scientiæ peruenerūt, tantumq; uita merito & morum cultu enituerūt, ut à scholis eius immatura adhuc ætate ad episcopatus Ponti prouinciae sacerdotium uterq; raperetur. Hæc pauca ex multis de celebribus Christianorum priscis scholis repetere placuit, ut ex ijs intelligeres quod scholæ priscis fuerint & quantam scholis curam impederint sanctissimæ ecclesiæ & sanctissimarum ecclesiarum sanctissimi & doctissimi præsules. Quod autem hic dixi de schola Alexandrina & Cæsariē, id dictum putabis & de alijs omnibus per Orientem & Occidentem scholis ecclesiasticis. Non enim aliter fuerunt instituta, licet aliæ alijs essent clariores eruditione & pietate professorum præfulgente.

Quid potissimum traditum in scholis ecclesiasticis. Pietas.

Ex illis ipsis discimus quod nam illud præcipuum fuerit quod in ueterum Christianorū scholis traditū sit, & quo aliā sua in uniuersum studia oīa collimarūt, et quare disciplinis & linguis operam dederunt, ut scilicet deum agnoscerent, scripturas ueram cœlestē philosophiam intelligerent, pi redderentur & ecclesiæ prodesse plurimum, & non ut philosophica miscerent diuinis, aut sacra detorquerent ad philosophica, aut multam ostentarent eruditionem, & in religione luderent, sed ut errores potius philosophorum ac gentilium pro ueritate certantes reuincerent atque confutarent. Breuiter, Pietas & assertio ueritatis fuit scopus omnium studiorum. De Didymo enim Alexandrino

trino refert in hæc uerba Theodoretus in historia, *Disciplinæ*
 dymus ab infantia priuatus oculis Grammaticã, Rhe^{na.}
 toricã, Arithmeticã, Musicã, Geometriã, Astro
 nomiam & Syllogismos Aristotelis & eloquentiã Pla
 tonis auditu didicit: non quod hæc ueritatem erudi
 rent, sed quod aduersus mēdaciũ arma ueritatis exi
 stent. Quod autem cæcum fecisse constat, id profes
 so uerissimile est fecisse multos uidentes & ingenio
 præclaro præditos. De Origene enim, ut alios multos
 non commemorem, sic testatur historia Ecclesiastica,
 Erat Origeni mos iste ut si quos Christianorum adole
 scentulorum ingeniosos uideret & lectioni satis dedi
 tos, traderet eis etiam ea quibus philosophi uelut pri
 mis elementis discantes imbuere solent, id est uel Geo
 metriæ partes, uel Arithmeticæ disciplinæ & si qua a
 lia ad instructionem pertinent disputandi. Multos et
 iam idiotas & imperitos ad discendum cohortabatur,
 dicens, Non parum ad intelligentiam scripturarum
 emolumentum eis cõferri, si aut in liberalibus literis aut
 etiã in philosophicis exercerentur. Dicebat enim hanc
 nostram ueram esse philosophiã, cuius partes illa Græ
 corum quæ uera non est philosophiã præcepisset. Nõ
 ergo aiebat iccirco debere partes suas omittere ueri
 tatem, quia eas sibi præueniens falsitas uindicasset.
 Hæc Eusebius de Origene tradidit, ipse uero de se
 ipso scribens & obtrektoribus rationem reddens
 cur philosophiæ & gentiliũ literis operam dederit,
 ait, Cum ad uerbi dei studia me conuertissem & fama
 de nobis celebrior haberetur atq; ob id nonnulli phi
 losophorum uel ad percontandũ uel ad obsistendum
 adire nos & congregari conuenirent, hæreticorum quo
 que quã plurimi ad impugnandum nos excitarent.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

tur, uisum mihi est uel philosophorum uel hæretico-
rum dogmata diligentius perscrutari, ne ad conuin-
cendos eos, si ignorarem quæ apud ipsos sunt, impa-
rior inuenirer. Hoc autem fecimus exemplum sequen-
tes prioris nostri apostolici uiri Pantani, qui in Græ-
corum studijs et philosophiæ eruditionibus quàm ma-
xime effloruit, sed & Heraclæ, qui nunc apud Alexan-
driam cathedram presbyterij adornat, quæ ego apud
magistrum philosophorum reperi, illis studijs aliquot
iam annis operam dantem priusquàm ego omnino uel
inciperem. In tantum autem nihil ex supradicto uiro
obrectationis exortum est, ut etiam communem ha-
bitum, quem prius gesserat deponens philosophica ad-
sumeret indumenta, quibus usque ad præsens uti non
destitit. Libros quoque philosophorum legere & in his
exerceri pro uiribus nunquam cessat. Hæc de libris
philosophorum non reiectis à primoribus religionis
nostræ uiris, & de disciplinis usuque earum in quem scilicet
licet discebantur olim à Christianis. Neque alio consilio
operam impenderunt discendis linguis ueteres. Nam
de eodem Origene Eusebius, Inter cætera, inquit, eru-
ditionum suarum studia ne illud quidem omisit Ori-
genes, perscrutari & addiscere etiam Hebrææ linguæ
uirtutem, ut agnosceret uel ea quæ à Iudæis Hebræis
literis leguntur qualia sint, uel cæterorum interpre-
tum qui præter Lxx. interpretati fuerat, quanta esse-
t æditionum diuersitas. Et hunc quidem laborum suo-
rum finem, & quod omnia fecit studio iuuandi & ue-
ritatem canonicam quàm purissime proferendi, operi-
bus comprobauit illustrissimis. Nam illos famosissi-
mos quondam codices, quos temporum & bellorum
iniuria pro dolor amissimus, primus ipse composuit,

Linguae.

in quibus per singulas columellas è regione separa-
 tim opus interpretis uniuscuiusq; descripsit, ita ut pri-
 mo omnium ipsa Hebræa uerba Hebraicis literis po-
 neret, secundo in loco per ordinem Græcis literis è re-
 gione Hebræa uerba describeret, tertiam Aquilæ ædi-
 tionem subiungeret, quartam Symmachi, quintā Se-
 ptuaginta interpretum, sextam Theodotionis colloca-
 ret. Et propter huiusmodi compositionē exemplaria
 ipsa nominauit $\epsilon\sigma\alpha\lambda\alpha$, id est ex simplici ordine con-
 scripta, &c. Iam & Aurel. Augustinus secundo maxi-
 me & tertio libro de Doctrina Christiana ostendit qd
 necessaria sint linguæ & disciplinæ ad sacra intelligen-
 da, & subuertendos aduersarios. Certe Iulianus Impe-
 rator callidior cæteris Christianorū persecutor, non
 ui neq; tormentis, sed præmijs, honoribus, blanditijs,
 persuasionibus maiorem penè populi partem, quam
 si atrociter pulsasset, elisit. Inter cætera uero ut omnē
 religionem ueram excinderet funditus & idolorum
 cultum solidaret firmius, lege lata interdixit Galilæo-
 rum filijs (sic enim saluatoris nostri cultores nomina-
 bat) poëtarum & rhetorum atq; philosophorum lege-
 re disciplinas. Proprijs, inquit, pennis secundum pro-
 uerbum uulneramur. Ex nostris enim armati cōscri-
 ptionibus contra nos bella suscipiunt. Contra uero
 Christiani principes religioni nostræ ac reipublicæ
 consultum uolentes, scholas collabentes restaurarūt,
 stipendijs etiam & præsidibus & discipulis siue audi-
 toribus constitutis. Nota est sanctio de studijs liberali-
 bus & linguis profitendis & discendis, lata à D. Theo-
 dosio & Valentiniano Imperatoribus. Extat enim in
 codice lib. II. Tit. 18. Sed & ante istos sanctissimus Im-
 perator Constantinus maximis omnes literarum pro-

Iulianus
 clausit
 Christianis
 scholas

sacri prin-
 cipes exor-
 narūt scho-
 las.

D

fessores priuilegijs donauit, præcipue mandans, ut sa-
 laria & merces eorum soluantur quo facilius liberali-
 bus studijs multos instituant. Quod extat lib. 10. Tit.
 52. Ea postmodum oïa Imperator Honorius & Theo-
 dosius confirmarunt in hæc uerba sancientes, Gram-
 maticos, Oratores & Philosophiæ præceptores, nec
 non etiam Medicos præcipimus ut uniuersi sint ab o-
 mni functione omnibusq; muneribus publicis immu-
 nes, nec eorum domus ubicunque positæ militem seu
 iudicem suscipiant hospitandum, quæ omnia in filijs
 etiam eorum & coniugibus illibata præcipimus cu-
 stodiri. Ex talibus autem scholis tam publicis quam ec-
 clesiasticis prodierunt nobis tot egregij uiri, quorum
 opera ut olim profuere ecclesijs plurimum, ita que ho-
 die extant profunt, & quales isti fuerint indicant. Pla-
 rimum uero debebant illa tempora principum muni-
 ficentiæ. Nam iuxta prouerbium, Honos alit artes. Id
 tamen in præsentî non potest dissimulari, quod ex pri-
 scis quidam nimium dulcis illius ueneni, philosophiæ
 inquam, imbiberunt, adeo ut scripta quoq; ipsorū uel
 hodie Platonem præ cæteris redoleant: sed condonan-
 dum est aliquid humano errori, simulq; pensandum,
 quo non impulerint illa sæcula,

*Scholæ de
 generarūt
 in mona-
 steria.*

Tametsi uero non parum detrimēti ecclesiæ Chri-
 sti dederit nimium quorundā philpsophiæ studium,
 multo tamē maiori damno affecit ueritatē istud quod
 scholæ ecclesiasticæ non multo post illa tempora de-
 generarunt in monasteria monachorum & canonico-
 rum collegia. Simul enim & eruditio iusta negligi,
 & linguarum studia relinquî Gothicq; barbaries ita
 nā cum Barbaris irrumpere cœperunt. Hic uero quæ
 cunq; salubriter instituta erant à priscis collegiorum
 præsidibus

præsidibus, & p̄sancte custodita à scholis ecclesiasticis,
 ea semel omnia superstitio ignorãtia & hypocrisis mo-
 nachorum foedissime peruertit. Habitabant olim stu-
 diosi bonarum & sacrarum literarum in loco aliquo
 uno studijs accommodo & à turbis semoto, omnibus
 rebus utebantur communiter; unde & domicilia eo-
 rum dicta sunt Coenobia. Sub ijsdem enim agebant
 præceptoribus, eadem utebantur mensa, non splendi-
 de quidem commessantes sed frugaliter & studioso-
 rum more uicitantes, uestitus quoq; omnibus prope
 modum idem, nil sordium habens aut luxus, sed quæ
 decebat ornabatq; studijs consecratos. Iam & horæ
 propemodũ singulę lectionibus, exercitijs, precibus,
 et confabulationibus serijs, iucundis ac literatis erant
 destinatae. Alijs enim exponebantur scripturæ cano-
 nicæ, unde et nomen inuenerunt, & dictæ sunt Horæ
 canonicæ. Alijs exercebatur iuuentus in disciplinis.
 Erat iustum tempus quod precibus lectioni psalmo-
 rum & curæ corporis impendebant. Ista uero omnia
 temeritas arrogans foedauit & subuertit. Nam ex ædi-
 bus studiosorum publicis ac liberis fecerunt carceres, *Monasteria*
 in quibus iuuentus & boni uiri non instituuntur in-
 tia, *via nostra*
 pijs & bonis literis sed miserè rebus stultis imò & im-
 pijs excarnificantur. Non etenim contenti scripturæ
 & euangelij filij dei præceptis uitam suam ad illa com-
 posuerunt, sed futiles quasdam regulas superstitiosas
 & prophanas contexuerunt. Inuenta sunt Vota egre-
 gie perfidiam fouentia, inuentus est mire prodigiosus
 & hypocriticus uestium habitus, inuentus est & cibo
 & hypocriticus uestium habitus, inuentus est & cibo
 rum delectus & ieiunia plus quàm peruersa. Bonæ
 quoq; horæ male collocantur, imò perduntur. Legitur,
 canitur, imò canum & luporum more ullulatur dies

DE EPISCOPORVM INSTIT.

totos atq; noctes, paucissimi quid legatur aut canatur intelligunt, hinc nullus ad ecclesiam, insani tumultus clamorisq; usus peruenit. In his uero quæ pietas, aut quis dei cultus consistit? Eruditio autē, enarratio scripturarum & disciplinarum studium in tantum apud illos friget, iacet, adeoq; nullum est, ut inuenias in hoc grege qui nesciant quid sit eruditio, quid disciplina, quid scripturæ sanctæ. Quæ quidem stupiditas plus quàm asinina locum dedit prouerbio, Monacho indoctior, quod dici solet in homines & illiteratos & stultos ac ueluti sensu communi destitutos. Caterū quod monasteria monachorum & canonicorū collegia ante istam pestem studiorū scholæ fuerint studiosorum, cum ex multis alijs testimonijs tum maxime ex eo apparet, quod Possidonius in Vita D. Augustini plane testatur D. Augustinum in monasterio cum doctis habitasse uixisseq; secundum regulam apostolorum, rursus dedisse ex suo illo collegio (qui quondam monasteriorum finis & fructus erat) ecclesijs quibusdā rogantibus episcopos uiros undiquaq; doctissimos & piissimos. Legatur cap. 5. & 11. eius historię. Hæc autem de scholis Christianorum præcis dicta sint, de nostris cōpiosiora fortasse dabimus in sequentibus.

Bibliothecæ.

Ad scholas extruebant olim impensis publicis & ex arario ecclesiastico nonnunquam ex liberalitate & munificentiã uirorum religiosorum & studijs fauentium episcopi ac magistratus bibliothecas publicas. Nam istarum uestigia & reliquias opido pauculas uidere est hodie in tēplis illis cathedralibus, in collegijs canonicorum & monachorum monasterijs. Et quantum hic plurimum damni dederint barbarorum irruptiones, Gotorum, Hunnorum ac Vuandalorum, fuissent

fuissent tamen haud dubie multo plures codices bo-
 niq̄ auctores seruati si tanto studio & ardore in hanc
 rem incubuissent antistites nostri ac sacerdotes quan-
 to ossa mortuorum & nescio quas nugas custodiue-
 runt. Verum hinc maior erat quæstus. Factū est itaq̄
 non tam exterorum & barbarorum sequit̄ia & durit̄ia
 quàm nostrorum socordia & auaritia ut multi boni li-
 bri & auctores perierint. Meminit Eusebius biblio-
 thecæ celeberrimæ, quam Alexander episcopus Hie-
 rosolymis extruxerit. Vnde & nos ut quod uerum est
 fateamur (inquit ille) totius operis nostri & historię
 conscribendæ sumpsimus materiã. Idem meminit &
 Cæsariēn. bibliothecæ quam Pamphilus martyr stu-
 diosissime confecerit. Floruit ea adhuc Hieronymi sæ-
 culo. Nam in uiris illustribus uitam Matthæi conte-
 xens, dicit euangelium Matthæi Hebraicum continē-
 ri in bibliotheca Cæsariensi. Iam & Theodosium Im-
 peratorem iuniorē testantur historię congregasse sa-
 eros codices & quoscunq̄ illorum interpretes seu ex-
 positores inuenisset, & superasse quidem multo in ea
 re Ptol. Philadelphum Aegypti regem hæcenus in il-
 lis studijs triumphantem. Isti omnes animaduertēt
 quanta momenta ad bona studia & pietatem custodi-
 endam ac prouehendam habeant bibliothecæ. Consu-
 lent ergo religioni & studijs, gloriã deniq̄ immorta-
 lem sibi parabunt principes & sacerdotes si ueterum
 exempla imitantes bibliothecas quoq̄ ecclesiasticas
 restaurare satagant. Neq̄ est quod sumptum causen-
 tur. Nam non ignorant quantum olim fecerint sum-
 ptum in res planē inutiles atq̄ utinam non etiam no-
 xias. Emēdi erant libri musici missaticiq̄, emenda cæ-
 ra, purpura, & nescio quæ alia huius generis ludicra.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Huius inquam sumptus uel tertiam partem conuertant in bibliothecas, & emant sibi quotannis aliquos autores sacros & doctos qui usui esse possint studiosis. Delectum enim habere præstat, nec ratio habenda est numeri. Egregie enim Seneca lib. de Tranquillitate uitæ 1. cap. 9. Studiorum, inquit, quæ liberalissima impensa est tandiu rationem habet quandiu modum. Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus uix tota uita sua indices perlegit? Onerat discitem turba nõ instruit, multoq; satius est paucis te authoribus tradere q̃ errare per multos. Quædraginta millia librorum Alexandria arserunt, pulcherrimum regię opulentię monumentum alius laudauerit sicut Lilius qui elegantię regum curaq; egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud aut curata, sed studiosa luxuria, imò ne studiosa quidem, quoniam non in studium sed in spectaculum comparauerant, sicut pleriq; ignaris etiam seruilium literarum, libri non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt. Paretur itaq; librorum quantum satis est, nihil in apparatus. Hæc Senecæ tametsi in priuatis bibliothecas luxuriantes, nam huius aliquid permissum est publicis, dicta sint, attamen ex ijs discunt bibliothecarij etiam in publicis & modum & delectum esse habendum.

De stipendio ministrorum uerbi dei, opibusq; ecclesiasticis & genuino usu earum, Cap. IX.



Actenus de ministris uerbi dei, de ministerio eorum, de scholis & bibliothecis deliniamus quæ poterant picturatius & operosius tractari atq; pingi, subiiciemus eis quædam de opibus

bus ecclesiasticis. Etenim non possunt illa sine amplis facultatibus in saluo statu retineri. Quoniam uero nō desunt qui ministros uerbi ad mendicitatem relegandos arbitrantur & indignum esse ali eos stipendio ecclesiastico, principio euincam diuina permissione omnino licere ut qui euangelio & ecclesiæ seruit, uiuat de bonis ecclesiæ adeoq; & rebus presentibus ceu pro prijs utatur. Obijciunt aduersarij illud ex euangelio uerbum Christi, Gratis accepistis gratis date: sed non uident de qua re ibi loquatur dominus. Inuidia enim excæcauit eos. Loquitur autem de dono sanationis, Præcedit enim, Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscite, dæmonia eijcite, post illa demū subiungitur, Gratuito accepistis gratuito date. Rursus quod adiungitur, Ne possideatis aurum neq; argentum neq; æs in crumenis uestris, neq; peram ad iter, neq; duas tunicas, neq; calciamenta, neq; uirgam, prohibet auaritiā & eximit nimis anxiam uictus curam, imō sollicitudinem, non prohibet possessionem & usum rerum necessariarū. Sequitur enim, Nam dignus est operarius cibo suo. Obserua mihi causalem partem culam Nam. Reddit enim causam quare nolit eos esse sollicitos. Quasi dicat, Ablego uos ad urbes & castella ut populis uerbū domini annuncietis, interim nullo uatico nullis pecunijs uos instruo. Subeunt ergo cogitationes unde suppetat uictus. Hic autē ideo nolum uos hoc nomine anxios esse quod apud oēs Genes celebre & receptum est quemlibet operarium suum dignum esse mercede. Cum itaq; ueneritis ad populos & his prædicaueritis regum dei, intelligent statim quid facto opus sit, & prospicient uobis pro sua gratitudine & prudentia abunde. Nam Lucæ 22, idem do-

*Ex euange-
lio uiuant
qui euāge-
lio seruiūt.*

*Explicamur
loci
Matth. 10.*

DE EPISCOPORVM INSTIT.

minus ad discipulos, Quando, inquit, ablegauit uos sine faculo & pera & calceamentis, num quid defuit uobis? Et responderunt, Nihil. Quod autem aduersarij illud urgent quod apud Matthæum dixit dominus, Ne possideatis, friuolum est. Nam apud Marcum significantius legitur, Et præcepit illis ne quid tollerent in uiam. Apud Lucã similiter, Ne quid, inquit, tuleritis in uiam. Sed & ipse dominus Iesus opes possedit eorum fidelium collectis unã cum discipulorum collegio uti- xit. Lucas enim, Iesus, inquit, faciebat iter per singulas ciuitates & castella prædicans & annuncians regnum dei & duodecim cum illo, simulq; mulieres aliquas, quæ ministrabant eis de facultatibus suis. Attamen cum ex aliena uiueret beneficentia non deiecit se ad mendicorum numerum, ut putaret collata sibi non esse sua. Nam elemosynã etiam ex collecta elargiebatur. Ioannes enim in euangelio suo testatur, & ait, Cum dixisset ad Iudam dominus, Quod facis facitius, nemo id accumbentium intellexit. Quidam uero putabant, quia oculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. Et, D. Aurel. Augustinus in libro de Opere monachorũ in quo fusissime hanc quæstionem tractat censet de euangelio uiuere potestatem esse non mendicitatem. Paulus quoq; apostolus in 1. ad Corinth. cap. 9. An non habemus potestatem, ait, edendi & bibendi? Quis militat suis stipendijs unquam? Quis plantat uineam & de fructu eius non edit? Quis deniq; gregẽ pascit & de lacte gregis non edit? Num secundum hominem hæc dico? An non lex eadem hæc dicit? Etenim in Mosi lege scriptum est, Non obligabis os boui trituranti. Num hoc

ties curę sunt deo? An hoc propter nos omnino dicitur? Propter nos enim hoc scriptum est, quod sub spe debeat is qui arat arare, & qui triturat sub spe spei suę particeps esse debeat. Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnū est si nos uestra carnalia messuerimus? Si ceteri potestatis erga uos participes sunt, cur non potius nos? An nescitis quod hi qui in sacris operantur ex sacrificio uiuunt, qui sacrario assistunt unā cum sacrario partem accipiunt? sic & dominus ordinauit ut qui euangelium annunciant ex euangelio uiuant. Ceterum quid ex sacrario cesserit Leuitis & quo iure oblata possederint exposui cap. 4. Hęc apostolus disputauit de eo quod iure uiuant ex euangelio qui ministrant euangelio, quę ut planissima ita & argumentis conferta sunt. Proinde factum apostoli non poterit *Factū Pau* *li ius non* *infringit.* *2. Cor. 11.* *2. Thes. 3.* *Act. 20.* infringere ut uideantur parum apostolice uiuere qui sibi manibus non quærunt uictum, Laborauit sanel Paulus & à Corinthiis nihil accepit, sed idē, Alias, inquit, deprædatus sum ecclesias accepto ab illis stipendio quo uobis inseruire, Et cum apud uos essem & egerem non onerosus fui cuiquam. Nam quod mihi deerat suppleuerunt fratres qui uenerant à Macedonia. Et iterum, Non inordinate gessimus nos inter uos, neq; gratis panem accepimus à quoquā, sed cum labore & sudore nocte dieq; facientes opus, ad hoc ne cui uestrum essemus oneri. Non quod id nobis non liceat, sed ut nosmetipsos formam exhiberemus uobis ad imitandum nos. Quocirca si quis imitetur Pauli exemplum modis omnibus laudamus. Nam proculdubio beatius est dare quā accipere, interim si quis stipendium ex collectione ecclesiastica accipit & fideliter ecclesię inseruit nihil peccat, Non enim ideo ni-

hil accepit, ait apostolus, quod crederē illicitū esse uiuere ex euangelio, sed ne ansam suppeditarem quibusdā deprædandi uos, & ut amputarem occasionem ijs qui quærunt occasionem ut in eo de quo gloriantur reperiantur quemadmodum & nos. Nota enim sunt uerba apostoli in 2. ad Corinth. 11. cap. Præterea idem ille Paulus alijs scribens gentibus præcipit ut ministros uerbi dei honorent & alant liberaliter. Nam ad Theſſ. 5. salonicenſ. Rogo uos, inquit, ut agnoscatis eos qui laborant inter uos & qui præſunt uobis in domino & admonent uos, ut habeatis illos in summo pretio per charitatem, propter opus illorum pacem habete cum eis.

2. Tim. 5. Et ad Timotheum, Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime illi qui laborant in sermone & doctrina. Dicit enim scriptura, Boui trituranti nõ obligabis os. Et, Dignus est operarius mercede sua. Euicimus ergo claris scripturarum testimonijs quod ex euangelio possint uiuere qui euangelio seruiunt, & quod stipendijs ut proprijs uti possint, quemadmodum superius & de Leuitis annotatum est. Diserte autem loquimur de laborantibus in ecclesia, non de fucis & otiosis hominibus. Videant qui eiusmodi sunt quo iure quæue iniuria è bonis uiuant ecclesiasticis, aut quid summo iudici magistratus sint responsuri qui tam benigne ferunt depilatores, imò depredatores & dissipatores ararij ecclesiastici.

Ideoq̃ uidetur nunc aliquid commentandum esse de iusto opum ecclesiasticarum usu & dispensatione. Et habere quidem & habuisse semper facultates ecclesiam uel ex prædictis, sed & ex Actis liquet apostolice. In his enim sic legis, Quotquot possidebant agros aut ædes, uendentes afferiebant pretia & ponebant ad pedes.

pedes apostolorū. Postea uero & aedes & agri & præ-
 dia possessionesq; omnis generis, aurum, argentum,
 res pretiosæ, & quibus utitur mundus, ecclesiæ dei le-
 gata atq; donata sunt. Nā Sozomenus apud Epiphani-
 um lib. Trip. histo. 6. cap. 4. Iulianus, inquit, omnes
 possessiones atq; pecunias Cæsareæ Capadociæ eccle-
 siarum, cum uerberibus exquirens, in medium iussit
 afferri, moxq; trecentas ex eis auri libras in arario pu-
 blico collocauit. Clericos uniuersos aggregari inter
 milites iussit, duci prouinciæ seruituros. Et iterum de
 eodem negotio, Cōstantinus Imperator inquit, dispo-
 nens res ecclesiarū unicuiq; ciuitati prospexit, ut cle-
 rus sufficientia emolumenta perciperet, & hoc lege
 firmauit. Iulianus autem clericis omnia priuilegia ho-
 mores, consuetudinesq; subtraxit, & leges positas pro
 eis soluit, ipsosq; curiæ tradidit; simul & à uirginibus
 & uiduis quæ pro penuria inter clericos alebātur ius-
 sit exigi ea quæ pridē à publico accepisse uidebātur,
 quæ exactio fuit crudelis. Auferebat enim subinde pe-
 cunias et ornamenta sacra, templaq; sub Constantino
 & Constantio fundata destruebantur, data ad ædifi-
 cia pecuniæ rursus exigebantur. Hac occasione sacer-
 dotes clerici & populus Christianus crudeliter uexa-
 batur. Huc pertinent regum donationes, principum
 & nobilium fundationes, decimæ, & aliæ huius gene-
 ris substantiæ. Et has opes ex collectis fidelium obla-
 tas in hoc habet ecclesia, ut ijs alatur & foueatur mini
 sterium uerbi & pauperum in ecclesia subleuetur in-
 opia, unde consequens est tum illas recte dispensari
 cum ministris cedunt & pauperibus, ad necessitatem
 horum subleuandam non ad fouendum luxum. Ad
 quos uero pertineat opum ecclesiasticarum dispensa-
 tio.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

tio haud difficile esset pronuciare si contententium de hac re oculi publicam magis quam priuatam spectarent comoditatem, Omnes enim quę sua sunt quærunt, & pauci fideles reperiuntur, hinc illæ lachrymæ. Primi certe dispensatores bonorum ecclesiasticorum fuerunt apostoli. Ab his translata est dispensatio in diaconos quos è plebe totius ecclesię creabant suffragia. Et in horum cura diu hæsit œconomia illa tota. Omnia tamen faciebant isti consilio & assensu ministrorum uerbi dei. Et talis omnino fuisse creditur Laurentius. Cum uero etiam principes religionem Christi receperunt, ne his quidē præteritis aut inconsultis quicquam fiebat uel episcoporum uel diaconorum auidia, imò prima potestas & administratio sancti magistratus esse credebatur. Tandem religione in diem declinante in superstitionē, omnis administratio ad episcopos deuoluta & contorta est. Cæterum cum in horum manibus oēs opes in extreme peruersum usum uenerint, nisi hi communicato cum principibus consilio & secundum scripturas omnia restituerint in formam pristinam ac bonam, sancti magistratus erit abusu abolere & priscum illū genuinumq; usum reuocare, institutis in hanc rem gnauiter gerendam diaconis aut œconomis, qui non sint auari, præfracti, ineluctabiles, elati ac superbi, sed frugales, fideles, liberales, tractabiles, prudētes ac ueraces. Ab his inquam rationem exigāt rerum omnium quid possideant ecclesię, in quem usum & quibus expositæ ac impensæ sint opes. His cōmittatur & ministrorum & pauperum cura fidelis & diligens.

Duo ordines ministrorum,

Et ut de his fufius commentemur duos facimus ministrorū ordines, Sunt enim studiosi, quos prisci etiā clericos

clericos appellarunt, qui operam dant disciplinis & artibus, qui exercentur in sacris, ut aliquando ecclesijs ministrent. Sub quem titulum scholas redigimus Christianas. Sunt deinde ecclesiarum ministri quibus commissa sunt munia ecclesiastica, quales sunt episcopi, pastores, prophetæ, interpretes scripturæ, doctores linguarum, disciplinarum artiumque professores & ludimoderatores. In his ordinibus oportet ministrorum certum esse numerum quem census ecclesiæ possit alere, tot inquam, quot ecclesiasticis ministerijs necessarii ac tales omnino sunt de quibus speres profuturos aliquando ecclesiæ. Quorum enim aleretur inutilis turba? Sæpe tamen diuites & potentiores liberos suos ecclesijs obtrudunt alendos, qui mox atque ecclesiæ debebāt uices rependere, deficiunt à studijs, & ecclesiæ duplici nomine incōmodant, partim quod eā impensis fraudant, partim quod in causa sunt quo minus alij & ingenij probioris in stipendium recepti sint. Sunt qui ideo liberos suos cupiunt in stipendium ecclesiasticum receptos, quod per omnia inutilēs sibi stolidiores & ineptiores sint, quàm qui aut artificium manuarium discere aut opificio sibi uictum quærere uel uelint uel possint. Inde uero nobis oborta est tanta turba & tam densa in ecclesia caligo inutilium, inertium & indoctorum sacerdotum. Prudentissime ergo & pijsime facerrimus Imperator Iustinianus Constit. in Nouellis 3. decreuit ne plures in ecclesia ordinentur aut recipiantur ministri, quàm usus postulat necessarius & alendo sint. Deinde uero & sub finem Constit. Conuenit, inquit, ut sanctissimus pro tempore patriarcha & reuerendissimi sacerdotes circumspiciant ne reliqui sumptus qui ex ecclesiasticis redditibus fiunt, ali-

Alendi studij ac sō uendi.

ter quàm in pias & deo placitas causas infumantur, & ut in illos conferantur qui & reuera egent nec alimonia de habent unde uiuant (hæc enim dominū deum conciliare solent) non uero per patrociniā & hominū studeā in loquupletes distribuant ea quæ ad ecclesiasticos sumptus suppetunt ut inde inopes uitæ defraudentur necessarijs. Ad quem omnino modum super eadem re & iura Pontificia 1. Quæst. 2. cap. Clericos. ex sententia D. Hierony. ad Damasum in hunc modum decreuerunt, Clericos autem illos conuenit ecclesiæ stipendijs sustentari quibus parentū & propinquorum nulla suffragantur. Qui autem bonis parētum & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto cōmittunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant & bibunt. Debeant autē studiosi & ecclesiastici pueri (ut hoc obiter moneam) non tantū institui in bonis & sacris literis, sed in moribus quoq; sanctis. Nulla in his appareat proteruita, impudentia, superbia, nullus in eis luxur sit uel ciborum ac potus uel uestium. Discant autem mature frugales esse ac temperantes qui toti ecclesiæ ceu exemplaria frugalitatis, disciplinæ & temperantia parantur. Nebulones ergo impij & sacrilegi sicut quicumq; sibi commissam pubem Nazareorum tractant indulgentius, leuibusq; uerbis & moribus, histrione quàm puerorum magistro decētioribus, disciplinam ecclesiasticam eleuant, uanitatem mundi prædicant, animisq; teneris fastidium rerū sacrarum inducunt. Quos & dominus certissime puniet. Nam peccata puerorum diuinis ministerijs consecrata, proculdubio spiritus sancti templa sunt. Cæterum quisquis templum dei prophanat, eum, quod Paulus ma-

*Cōtra corruptores
studiosorum.*

1. Cor. 2.

gna

gna cum grauitate pronunciat, perdet dominus.

Iam uero cum oporteat episcopos siue presbyteros *Episcopis liberaliter* magnum facere sumptum, æquū est ut liberali quoq; *prouidentiam.* stipendio adiuuentur. Alenda est eis familia. Requiritur ab ipsis hospitalitas & munificentia. Proinde non conuenit ecclesiam esse parcā ac sordidā erga ministros suos munificos. Deijcit animos multorum ingrata quorundam tenacitas. Vident iniquis conditionibus circumscribi & pastorem & pastoris familiam, laboranti uix datur uictus in uita, mortuum nulla sequitur populi beneficentia. Eijcitur e domicilio uxor unā cum pupillis & tantum nō relegatur in exilium, quādam mendicare coguntur. Hanc gratiam cum uident referri bene meritis, mox pedem retrahūt etiam boni uiri. Non enim omnino mentitus est, qui dixit: Honos alit artes, & honorem præmium esse uirtutis. Tolle honorem & sustulisti agendi ardorem & conatum alacrē. Nec est quod mihi obijcias, Voluntatem dei ante omnia spectandam esse & citra omnē rerum temporalium spem enitendum esse ad hoc ministeriū. Nam quemadmodum hoc rectissime dicitur, ita interim homines sumus, unde & humanis illis non nihil excitamur aut deijcimur. Vtinam haberemus omnes spiritum & pectus apostolicum & purū ab omnibus affectibus, quod solius dei spectaret gloriam seipsum planē exinaniret: nunc uero cum homines simus, condonandum est aliquid imbecillitati humanæ, & fouenda sunt liberalitate egregia et proba ingenia, nisi libeat id breuī experiri, quod magna ex parte factum donemus, paucissimos reperiri feliciori præditos ingenio, qui se studijs consecrent aut patiantur se ministerio applicari sacro. Id autem debemus ingratitudinī

DE EPISCOPORVM INSTIT.

In *luxum* nostræ. NON defendo his luxū et quorundā acola-
er fastum storum prodigā concoquendi artē, imō impudentiam
episcopo- extreme efrontem, neq; defendo splendorem illū Per-
rum. sicum satraparum potius quā episcoporum quorum
 dam, mediocritatē tueor æquabilitatēq; doceo. Nam
 apostolus ipse cōcoctorem ac prodigum ita prohibet
 remouetq; à diuini uerbi ministerio, sicut auarum &
 turpis lucrī cupidum. Oportet enim episcopū, inquit,
 hospitalem esse, sobrium, non uinolentum, non auarū,
 qui tamen domui suæ bene præsit. D. Hierony-
 super obitu Paulinæ uxoris ad Pammachiū, luxum
 omnem & Sybariticas mensas, uestē item pretiosam,
 nō modo in episcopis, sed in omnibus improbat Chri-
 sti discipulis. Vbi uideris, inquit, fumare patinas, &
 Phasides aues lentis uaporibus decoqui, ubi argentū
 pondus, ubi feruentes Buricos mannos, comatulos
 pueros, preciosas uestes, picta tapetia, ibi ditior est lar-
 gitore cui largiendum est. Pars sacrilegij est rem pau-
 perum dare non pauperibus. Idem in Comment. su-
 per 28. cap. Matth. Oēs, inquit, qui stipe templi suam
 explent uoluntatem, similes sunt pharisæis dantibus
 pecuniam custodibus ut opprimerēt gloriam dei. San-
 ctus quoq; Bernardus Sermone in Cantica xxxiii.
 Timeant clerici, ait, timeant ministri ecclesiæ qui in
 terris sanctorum quas possident tam iniqua gerunt,
 ut stipendijs quæ sufficere debeāt minime contenti, su-
 perflua quibus egeni sustentandi erant impie & sacri-
 lege sibi retineant, & in usus suæ superbix atq; luxu-
 rix uictum pauperum consumere non uereantur, di-
 ripiunt & sacris in suis uanitatibus & turpitudinibus
 abutuntur. Proinde quod modo dixi repeto, æquabi-
 litatem

litatem me docere, improbare luxum. Dandum enim est episcopis, quantum satis est ipsis & familiae & negotiis suis sustinendis, non autem dandum est aut permittendum ut more barbarorum regum luxurient.

Hæc de altera parte & usu ecclesiasticarum opum, *Pauperes diligenter curandi.* quæ reliqua est in pauperes distribuatur. Nam Iesus impendi uoluit dominus, quæcunque ipsi eramus commendauit. Pauperes nobis tanquam semetipsum commendauit. Quicquid istis feceritis, inquit, mihi fecistis. Iam & cognitissima est iudicis sententia pronunciata apud Math. in 25. cap. Cum autem omnibus sit subueniendum, maxime tamen ueræ fidei cultoribus subuenire oportet. Nam Paulus dicit, Itaque dum tempus habemus operemur bonum, cum erga omnes homines, tum maxime erga domesticos fidei. Habet ecclesia pupillos, orphanos, uirgines, uiduas, senio & morbis languoribusue confectos, calamitatibus grauibus cum priuatis tum publicis attritos, captiuos, oppressos, nudos, famelicos, exules, peregrinos & ob religionem exagitatos, habet mediocri fortuna præditos ciues, quibus nisi subueniatur in tempore uel modica pecunia actum est de omni eorum substantia, unde tandem toti ecclesiæ ueniunt alendi. Habet alios etiam quos subitum aliquod infortunium oppressit aut quos aliqua perurget necessitas. His omnibus ex arario ecclesiastico subueniendum est: quanquam præscriptam & iustam hic formam oporteat sequi. Non enim omnibus ex æquo dandum est, nec semper dandum est. D. Paulus delectum in his haberi uoluit. Cyprianus epist. lib. 1. epist. 10. histrionem & proculdubio eius farinae omnes reijcit & excludit. Verum de re multi operis et uariæ considerationis non est facultatis & instituti no

DE EPISCOPORVM INSTIT.

stri operosius differere. Scripsit de Subuentione pau-
perum elegantissimos & pijsimos libros Ioan. Ludou-
uicus Viues, qui soli poterunt hac in causa satisfacere.
Nam huiusmodi sunt ut uideantur digni qui nunquam ponantur e manibus œconomorum eccle-
siasticorum. Ad principes autem & magistratus maxime pertinet cura pauperum & non tantum ad episcopos. Id quod agnouere sanctissimi principes Valentinianus & Marcianus Impp. Aug. Palladio enim scribentes, Humanitatis nostræ est, aiunt, egenis prospicere ac dare operam ut pauperibus alimenta non desint. Cuius quidem generis et alia multa traduntur in Codice lib. 1. tit. 2. Nihil igitur nouamus neque quicquam noui oneris deuoluimus in principum humeros, uetera tantum repetimus.

Vsus opium ecclesiasticarum ex ueteribus.

Imò quæcunq; hic tradidimus de usu opum ecclesiasticarum non ex nobis ipsis cõfinximus, sed ex ipsa deduximus ueritate prisca recepta & usurpata. Nam D. Gregorius respondens ad Augustini Cantuarieñ. archiepiscopi quæstiones, testatur non aliũ fuisse morem ecclesiæ Roma. in dispartendis facultatibus ecclesiasticis. Mos, inquit, est sedis apostolicæ ordinatis episcopis præcipere, ut ex omni stipendio quod accedit quatuor fieri debeant portiones, una scilicet episcopo & familiæ propter hospitalitatem atq; susceptionem, alia clero, tertia pauperibus, quarta ecclesijs reparandis. Intellexit autem per Clerum diaconorum uel studiosorum collegia. Ad eundem modum ordinauit Consilium Antiochenũ, ut omnes opes ærarij ecclesiastici ac redditus dispartiantur in ministros uerbi & pauperes. Urbanus item Papa, testante Isidoro Hispaleñ. episcopo, Res, inquit, fidelium oblationes uocantur,

cantur, quia domino offeruntur, Non debent ergo in alios usus quam ecclesiasticos uel indigentium conuerti. Quia uota sunt fidelium ac patrimonia pauperum atq; ad prædictum opus explendum domino tradita. Si quis autem, quod absit, secus egerit, uideat ne damnationem Ananiæ & Saphyræ incurrat, & reus sacrilegij efficiat, sicut illi effecti sunt, qui pretia prædictarum rerum fraudauerunt.

Aurum quidem ecclesiasticum planè Tolosanum est neq; facile iniustum uel usum uel possessorem patitur. Testatur Socrates Constantinopolitanus nobilis historicus apud Epiphaniū lib. 6. cap. 10. Iulianum quendam Iuliani Aug. auunculum, studium habuisse ut in thesauros Imperatoris plurima & preciosa ecclesiæ Antiochenæ uasa reconderet, ecclesias clauderet & uniuersos effugaret clericos, occisis etiam aliquot constantis fidei hominibus. Idem ille cum deo consecrata uasa & pallia omnia collegisset, arrepta proiecit in terram & in contumeliam Christi, cui consecrata fuerant, sedit super ea cumulumq; iniuriarum auxit. Verum audiamus quid præmij retulerit homo sacrilegus. Mox enim uerenda eius & loca foemoribus circumposita feruntur esse percussa, & ad tantam peruenisse putredinem, ut uermes in uulneribus scaterent, nequicquam medicantibus etiam peritissimis medicis. Discant ergo horribili Ananiæ, Saphyræ & Iuliani exemplo magistratus p̄ij non abuti facultatibus ecclesiasticis ad res prophanas, præteritis interim & neglectis dei & ecclesiæ negotijs. Discant ararium sacrum cōseruare nō diripere, colligere non dispergere. Et si hic rem se dignam facere uolunt, tollant e medio abusus, tollant e templis mammona iniquitatis, aurum,

*Pœna est
scelus ab
uentium
bonis ecc
lesiasticis.*

*Quomodo
est tena
plis tollen
dū aurum*

DE EPISCOPORVM INSTIT.

gemmas, idola, & si quæ alia inibi cōtra uerbum des,
 luxuriose non religiose proponuntur. Aurum & ara
 gentum, uestes & huius generis alia à domino ordina
 ta sunt ad subleuandam hominum necessitatē, & non
 ad religiones. Addantur ergo et hæ opes alijs bonis ec
 clesiasticis usui hominum & necessitati, non luxuriæ
 destinatis. Prudenter enim & recte Alexander Seue
 rus Aug. matre natus Christiana Mammea, nunquā
 in templis præter quatuor aut quinque argenti libras,
 auri ne guttulam quidē aut bracteolam, quemadmo
 dum testat Aelius Lampridius, posuit, susurrans uerū
 sum Persij IN SANCTIS QUID FACIT A V
 RVM? Atqui idem ille in eo peccauit & neuiquam
 imitandus est, quod consecratis opibus licet idololā
 triæ, abusus est ad res prophanas & non potius rite sa
 cras. Priusquam enim subuentum sit pauperibus &
 res ecclesiasticæ, sicut decet, ordinatæ, nemo principū
 & magistratuū uel obolum tollat ex ærario sacro, nisi
 si grauissimā potentissimi numinis iram ac uindictam
 uelint incurrere. Vbi autē prouisum est pauperibus
 liberaliter, ubi ea quæ ad ecclesiæ ministeria, & con
 seruationem œconomiae constantis pertinent, rite or
 dinata sunt, si quid inquam post ista restat, id quidem
 rei publicæ cedat, uel distribuatur in officia utilia & ne
 cessaria, maxime autem ad futuras calamitates suble
 uandas recondatur, neuiquam uero insumatur spe
 ctaculis, uenationibus, & alijs id genus rebus turpia
 bus ac uanis. Cæterum principum & sancti magistra
 tus pietas facile hic quid facto opus sit dictabit. Valeat
 enim ut in alijs negotijs oibus, ita in hoc potissimum,
 elegans illa domini sententia, Si oculus tuus simplex
 fuerit, totum corpus lucidum erit.

Matth. 6.

Quid

Quid hic audio? Num ad sacrilegia dicitis nos per-
 pellere sanctum magistratum? Quid causæ obsecro?
 Putatis spoliari Christum, & sacramenta debito hono-
 re non ornari sed fraudari, cum aurum & argentum è
 parietibus templi accipiuntur & in usus pauperū con-
 uertuntur? Audite obsecro quid hac in re uerum sit,
 Christus spoliatur cum negligunt pauperes, cum li-
 gno & lapidi impenditur quod uiuæ imagini dei im-
 pendendum erat, cum ueritas propter ministrorum
 ignorantiam periclitatur. Non colitur Christus auro,
 argento & rebus preciosis per tēpla suspensis, sed cha-
 ritate & misericordia, fide & iustitia. Multus est in hac
 re approbanda & in cōfutando cultu illo externo ma-
 ximus in fide nostra defendenda Firmianus Lactan-
 tius, scriptor uetustus, qui in libris Institutionum hoc
 saxum præcipue uoluit. Proinde si quisquam spoliat
 Christum, illi maxime spoliant qui opibus & donis
 ecclesiasticis abutuntur ad externum templorum &
 sacramentorum cultum. Quod Templum attinet So-
 lomonis sanctus Stephanus in Actis disertè, Solomō,
 inquit, ædificauit domino domum, sed excellissimus
 ille non in manufactis templis habitat, sicut propheta
 dicit, Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pe-
 dum meorum. Quam domum ædificabitis mihi dicit
 dominus, aut quis locus requietionis meæ est? Non-
 ne manus mea fecit hæc omnia? Appēditur apud eun-
 dem prophetam quem citauit Stephanus, Ego potius
 ad eum respicio, qui est pauper & contritus spiritu &
 contremiscit ad uerbum meum. Templū ergo & cula-
 tus ille exterior totus umbratilis ad tempus correctio-
 nis, ut Paulus ait, concessus est, unde idem ad Christi
 aduentum cessauit, dicente apud Ioannem domino,

*Christum
spoliare.*

*Ornatus
templorū.*

Isaiæ 66.

Ioan. 4.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Veniet hora & nunc est quando neq; in monte neque Hierosolymis adorabitis patrem, sed ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate. Deus enim spiritus est, proinde ipsum spiritu coli ac adorari necesse est. Vnde iam consequitur sanctimoniam uitæ, iustitiam, orationem sanctam, uerbi dei reuerentiam, religiosum sacramentorum usum, & charitatem non fictam, uerum esse templorū ornatum. Sensit hoc ipsum & D. Hierony. qui in Cōment. suis ad Ieremiam in cap. 7. Præcepit autem & tunc populo Iudæorum, ait, & hodie nobis qui uidemur in ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in ædificiorum splendore, auratisq; laquearibus & uestitis parietibus marmorum crustis, & dicamus, Templum domini, templum domini, templum domini est. Illud enim templum domini est in quo habitat uera fides, sancta conuersatio omniumq; uirtutū chorus. Hæc ille, qui paulò post, Quid enim prodest, inquit, audacter ingredi limen domus dei, erecta stare ceruice, & non solum cor sed & manus habere pollutas furto, homicidio, adulterio, perituro, sacrilegio, & cultu deorū quos nescias? Et ad Nestorianum de Vita Clericorum idem dicit, Multi ædificant parietes & columnas ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla electio est. Neq; uero mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola & cætera ex auro fabrefacta. Tūc hæc probabantur à domino, quando sacerdotes hostias immolabant & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum: quanquam hæc omnia præcesserint in figura, scripta sunt autem propter nos in quos fines saculo-
rum

rum deuenerunt. Nunc uero cum paupertatem domus suæ pauper dominus dedicarit, cogitemus crucem eius, & diuitias lutū putabimus. Quid miramur quod Christus uocat iniquū mammona? Quid suspicimus & amamus quod Petrus se non habere gloriose testatur? &c. Proinde errant turpissime qui ornatum templorum Christi (quæ uetustas Dominica appellauit) in externis situm autumāt, atq; ideo tantas impensas in templorum structuram effundunt, & ex pauperum cruore sudoreq; luxum augent ecclesiarum, arbitantes se gratificare deo cum ipsum magis ad irā prouocent. Non quod ideo damnemus frugalem & mundum decentemq; templorum usum. Superius enim testati sumus Dominica in populo Christiano necessaria esse ad preces publicas celebrandas, ad prædicationem ueritatis audiendam, & ad dispensationem sacramentorum.

Et de Sacramentorum ornatu in hunc modū disseruit sanctus Ambrosius Officiorum lib. 2. cap. 28. *Ornatus sacramentorum.*
 Qui sine auro misit apostolos, & ecclesias sine auro congregauit. Aurum ecclesia habet, nō ut seruet, sed ut eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantū auri & argenti de templo domini Assyrii sustulerint? Nōne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quàm sacrilegus contaminata asportet hostis? Nōne dicturus est dominus, Cur passus es tot inopes fame emori? Et certe habebas aurum ut ministrasses alimoniam. Cur tot captiui deducti in cōmertium sunt nec redempti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat ut uasa uiuentium seruares quàm metallorum. His non posset responsum re-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

ferri. Quid enim diceret? Timui ne templo dei ornatus deesset. Responderet, AVRVM SACRAMENTA NON QVAERVNT, neq; auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemptio captiuorum est. Et uere illa sunt preciosa uasa, quæ redimunt animas à morte. Ille uerus thesaurus est domini qui operatur quod sanguis eius operatus est. Tunc uas dominici sanguinis agnosco cum in utroq; uidero redemptionē, ut calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redemit. Quàm pulchrum ut cum agmina captiuorum ab ecclesia redimuntur, dicatur, Hos Christus redemit. Ecce aurum quod probari potest. Ecce aurum utile. Ecce aurū Christi quod à morte liberat. Ecce aurum quo redimitur pudicitia seruetur castitas. Tale aurum sanctus martyr Laurentius domino reseruauit, à quo cum quærerentur thesauri ecclesiæ, promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes adduxit. Interrogatus ubi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri ecclesiæ. Et uere thesauri in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Deniq; Paulus ait, Habemus thesaurum in uasis fictilibus. Quos meliores habet thesauros Christus quàm eos in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est, Esuriui & dedistis mihi māducare, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes eram & collegistis me. Et infra, Quod enim uni horum fecistis mihi fecistis. Quos meliores Iesus habet thesauros quàm eos in quibus amat uideri? Hos thesauros demonstrauit Laurentius, & uicit, quod eos nec persequitor potuit auferre. Hæc omnia huc ex S. Ambrosio ideo transcripsimus, quod uideantur huiusmodi quæ sola aduersarijs os obstruere queant. Qui tamen aliquid

2. Cor. 4.

Matth. 25.

aliquid auri, argenti & rerum preciosarum in templis suis proponant uisendum, harum tamen multo maiorem partem foedissime concoquunt. Verum relictis foedissimis istis harpygis, id potius curemus ut synce-
ra charitate & fide pura ornemus sacramenta, deinde ut uasa paremus & retineamus munda non luxuriosa: quibus sacratissimum illud domini sacrum celebremus.

An uero sacrilegorum an religiosorum hominum *Exempla* sit iniquum mammona e templo domini eicere & pau- *sanctorum*
peribus erogare, discemus ex subiectis exemplis. De *sacra uasa*
Achatio Amidæ ciuitatis episcopo sic legis in Trip. *constantiæ*
hist. lib. 11. cap. 16. Cum Romani milites captiuos Per-
sarum de Azazena regione uastata reddere regi Par-
thorum nullo modo uellent, captiui fame cõsumeban-
tur, cum essent circa septem millia, quod Persarum
regem non mediocriter contristabat: tum Achatius *Achatius.*
episcopus Amidæ conuocans clericos sibi subiectos,
Viri, inquit, fratres, Deus noster nec discis nec calici-
bus opus habet; nam neq; comedit neq; bibit. Et quia
multa uasa aurea & argentea ecclesia nostra ex obla-
tione Christianorum habet, cõuenit ex ijs liberari ex-
ercitum captiuorum egentibusq; cibos offerri. Hæc
& his similia cum dixisset, conflauit uasa & militi-
bus dedit pretium captiuorum, quos cum recreasset
cibis, datis sumptibus ad regem proprium destinauit.
Ad hoc mirabile opus Achatij Persarum rex magis ob-
stupuit quod & bello Romani et beneficijs euicissent.
Ajunt etiam quod magnum desiderium habuerit A-
chatij uidendi. In eadem historia lib. 5. cap. 37. de bea-
to Cyrillo sic scribitur, Cum fames Hierosolymorum *Cyrillus.*
provinciam occupasset, tanquam in episcopum neces-

fitate ciborum turba respiciebat egentium, cumq; pecunia ad consulendum penuriae non essent, uasa sacra crataq; uela distraxit, & populi necessitati subuenit. Rursus de seipso scribit Ambrosius, Incidimus alla quando in inuidiam, quod confregerimus uasa mystica ut captiuos redimeremus, id quod Arrianis displicere potuit. Et post aliquot uerba illa subnectit quae paulo ante ascripsimus ex officijs. Idem de S. Laurentio, Laurentius qui aurum ecclesiae maluit erogare pauperibus, inquit, quam persecutori referuare, pro singulari interpretationis uiuacitate sacram martyrii accepit coronam. Nunquid dictum est sancto Laurentio, Non debuisti erogare thesauros ecclesiae, uasa sacramentorum uendere? De Exuperio Tolosano episcopo sacer Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum scribit, Sanctus Exuperius Tolosae episcopus, uiduae Sareptensis imitator esuriens pascit alios, & ore pallente ieiunijs fame torquetur aliena omnemq; substantiam Christi uisceribus erogauit. Nihil illo diutius qui corpus domini canistro uimineo, sanguinem portat in uetro, qui auaritia eiecit e templo, qui absq; funiculo & increpatione cathedras uendentium columbas, id est dona sancti spiritus, mensasq; subuertit mammonae & numulariorum aera disperfit ut domus dei domus uocetur orationis & non latronum spelunca. His addit Hieronymus, Huius e uicino sectare uestigia & caeterorum qui uirtutum illius similes sunt, quos sacerdotium & humiliores facit & pauperes. Quod si sacrilegium committerent qui hoc quod praescriptum faciunt, principes, episcopi & magistratus, sacrilegus fuisset hic Exuperius, quem tamen hoc nomine laudauit maxime Hieronymus, quod nihil opum reliquerit in ecclesia

Ambrosius.

Laurentius.

Exuperius

Hieronymus.

in ecclesijs, sed omne aurum & æs distribuerit in pau-
 peres, adeo ut etiam sacram cœnam non aureis pate-
 ris & patinis crySTALLINIS ecclesiæ exhiberet, sed calici-
 bus vitrijs & canistris uimineis. Hæc inquam probat
 S. Hieronymus qui neutiquam probasset sacrilegium,
 Quocirca si magistratus & ordo sacerdotum eodem
 consilio & eadem ob causas illud ipsum faciant quod
 fecisse ostendimus Achatium, Cyrillum, Laurentium,
 Exuperium, Ambrosium, adde & Augustinum, id
 quod Possidonius in Vita eius 24. cap. de eo aperte *Augusti-
 nus.*
 tradit, certe non admittunt aut perpetrant sacrilegiũ,
 sed ipsissimum misericordiæ opus faciunt. Nam Ambro-
 sius diserte dixit, Sanè si in sua aliquis deriuat emolu-
 menta, crimen est. Sin uero pauperibus erogat, capti-
 uum redimit, misericordiæ est. Quod si quis pauperes
 & ecclesiasticam incolumitatem prætexit, interim ue-
 ro ad rem attentior, sua quarit, is profecto Iudã Ischa-
 riotem refert, qui & ipse in euangelio patrociniũ pau-
 perum non ideo susceperat, quod pauperes ipsi curæ
 essent, sed quod fur erat: unde & foedissimam post se
 famam reliquit, & horribili mortis genere, ut saluato-
 ris proditor & sacrilegus impijssimus, uitam termi-
 nauit. Simile autem præconium merentur quicunq;
 similes sunt in operibus sacrilego nebuloni. Sancti ue-
 ro quæ sancta sunt sancte exequuntur ac perficiunt.

De dignitate & autoritate ministrorum uerbi dei.
 Cap. X.



D finem huius negotij uidetur etiam digni-
 tas & autoritas ministrorum uerbi paucis
 attingenda, quod huiusmodi consideratio
 potissimum huc pertinet. Dignitas quidem huius mi-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Ministerij uerbi à Deo institutum.

 nisterij inde discitur, unde ministris authoritas conciliatur, ex eo nimirum quod eius institutio non ab homine sed diuinitus sit perfecta. Dominus enim hoc ministerium instituit & ministros tanquam se audiri & recipi uoluit. Proinde ministri huius diuini ministerij Christi sunt organa per quos in ecclesia negotium regni dei operatur. Idem isti sunt oratores, nuncij, interpretes, angeli siue legati domini. Paulus enim 2. ad Corinth. 5. cap. Deus erat in Christo, inquit, mundum reconcilians sibi, non imputans ei peccata sua, & posuit in nobis sermonem reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur, tanquam deo hortante uos per nos. Rogamus pro Christo, Reconciliemini Deo. En autorem huius ministerij sacratissimum. Deus instituit ministerium nostrum, & ministros tanquam legatos suos haberi uoluit, per quorum ora ipse resonat. Ista itaque quæ prædicamus, ait apostolus, de parta salute per Christum & oblata nobis uita æterna, haud aliter à nobis audire & excipere debetis, quam si ipse coram astaret Christus, & adhortaretur uos ad recipienda dona sua per fidem. Nam nos pro Christo, id est loco & uice Christi dicimus, Reconciliemini deo. Illam ob rem quicumque euangelij prædicationem audiuerunt ab apostolis animis æquis, illi ipsam non ut hominum prædicationem audiuerunt, sed tanquam ipsum dominum loquentem per discipulos. Paulus enim in 1. ad Thes. 2. cap. testatur, & ait, Gratias agimus Deo indesinenter, quod cum acciperetis sermonem à nobis, quo deum disceratis, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uere sermonem Dei, qui et agit in uobis credentibus. Et ad Galatas scribit, Non estis aspernati neque respulistis me, sed ueluti angelum dei

Per ministros loquitur nobis Christus.

Galat. 4.

dei suscepistis, uelut Christū Iesum. Huc p̄tinet quod
 ad Theff. idem ille dicit, Qui nos reijcit, non hoīes reij 1. Theff. 4.
 cit sed deū qui dedit spiritū suum sanctū in nos. Nam
 & Moses ad populum aliquando dixit, Audiuit domi Exod. 16.
 nus murmur quo cōtra eum murmuratis. Quid enim
 nos sumus? Non contra nos sunt murmuraciones ue-
 stra, sed contra dominum. Ita et in euangelio legimus
 de ministris uerbi sui dixisse dominum, Amen amen Ioan. 13.
 dico uobis, Qui recipit quemcūq; misero me recipit,
 qui autē me recipit, recipit eum qui me misit. Et apud
 Lucā, Qui uos audit me audit, & qui uos spernit me Luc. 10.
 spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui misit
 me. Nemini ergo uel petendum uel expectandum est
 donec ad se ueniat dominus & uoluntatem suam ex-
 ponat aut peccatorum remissionem promittat. Nam
 per ministros suos loquitur nobis dominus. Proinde
 illis credendum est ueritatem Christi annunciantibus
 ueluti ipsius Christi uerbo. Augustinus enim super
 hac re disputans, Tractat. in Ioan. 30. Nos sic audia-
 mus euangelium, inquit, quasi præsensem dominum,
 nec dicamus, O felices qui illum uidere potuerunt.
 Quia multi in eis qui uiderunt etiam occiderunt, mul-
 ti autē in nobis qui non uiderunt crediderunt. Quod
 enim preciosum sonabat de ore domini & p̄pter nos
 scriptum est, & nobis seruatum est, & propter nos re-
 citatur & propter posteros recitabitur donec sæculū
 finiatur. Sursum est dominus, sed etiam hic est ueritas
 dominus. Corpus enim domini in quo resurrexit uno
 loco esse potest, ueritas eius ubiq; diffusa est. Dominū
 ergo audiamus et quod ipse donauerit de uerbis eius,
 &c. Propterea & a domino dictum credo, Quorum Ioan. 20.
 remisistis peccata, remittuntur eis: & quorū retinue

DE EPISCOPORVM INSTIT.

ritis, retenta sunt eis. Quoties enim per ministrū prædicatur remissio peccatorum in sanguine Christi, fidelis eam prædicationem non aliter æstimat quàm si ipse dominus remissionem prædicaret. Credit ergo uerbo dei, & fide peccatorum remissionem ex gratia assequitur. Nihil potest dici de ministerio uerbi augustius, proinde ministris hinc magna accedit autoritas.

In contem-
ptores ex-
terni uer-
bi.

Ordo do-
cendi.
Roma, 10.

Colligimus autem ex istis eos toto errare cœlo qui externi uerbi ministerium à domino institutum contemnentes, omnem institutionem referunt ad eruditionem spiritus internam, eò quod deo liberum sicut cere quomodo quando ubi & quos uult. Nam sicut nemo negare potest liberum et suum priuilegium esse domino quomodo & quibus ipse uult sui cognitionem infundere, ita certissimum est nobis certum esse ordinem à deo præscriptum. Quemadmodum ergo potestas domini non potest à quoquã cõcludi limitibusq; circumscribi certis, ita ordo docendi ab ipso nobis traditus, à nobis spectari & nequaquam turbari aut abscisci debet. Ordo autem ille nobis à domino traditus ab ipso apostolo his uerbis describitur. Quisquis inuocauerit nomen domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt eum in quem non crediderunt? Quomodo autem uero credent ei de quo non audierunt? Quomodo autem audient absq; prædicante? Quomodo uero prædicabunt nisi missi fuerint? Sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes annunciantium pacem annunciantium bona. At non omnes obediunt euangelio. Isaias enim dicit, Domine quis credidit sermonibus nostris? Ergo fides ex auditu est, auditus autem per uerbum dei. Primum igitur est quod dominus saluos uult facere credentes. Cum autem nemo credere possit rei non dum

dum auditæ & incognitæ, ideo cognitione & prædi-
 catione opus est. Tertio itaque loco ordinat dominus
 cōcionatores siue doctores, & his præcipit ut salutem
 per Christum partam prædicent & homines ad fiden-
 dum deo incitent. Proinde necesse est ut postremo lo-
 co in auditore fides sit, qua recipiat salutem sibi euan-
 gelij prædicatione annunciatam, id quod fit cum cor
 eius aperitur & trahitur à spiritu dei sancto, ut intus
 & ex animo ei nīratur quod foris ipsi sermonibus an-
 nunciatur ministri. Atq; hic est certus ille & iustus or-
 do domini, quo erga nos utitur in communicanda no-
 bis æterna salute. Hunc non oportet negligi & incer-
 ta occultæ nescio quæ sectari. Potuisset sanè domi-
 nus reuelatione occulta totā illustrasse Macedoniam; *Occulta reuelatio*
 nunc autē legimus in Actis apostolicis, Cum descen- *Act. 16.*
 dissent Troadem, uisio per noctē uisa est Paulo. Nam
 quidam uir Macedo stabat & deprecabatur, dicens:
 Profectus in Macedoniam succurre nobis. Ut autem
 uisum uidit statim quæsuerunt proficisci in Macedo-
 niam, intelligētes quod dominus uocaret eos ad euan-
 gelizandum eis. Religiosissime ergo S. Augustinus
 in Præfatione librorum de Doctrina Christi. Quod ab
 homine discendum est, inquit, quisq; sine supercilio
 discat, & per quem docetur alius sine inuidiā tradat
 quod accepit. Neq; tentemus eum cui credidimus, ne
 talibus inimici uersutis & peruersitate decepti ad ip-
 sum quoq; euangelium audiendum & discendum no-
 limus ire in ecclesias, aut codicē legere, aut legentem
 prædicantemq; hominem audire, & expectemus ra-
 pi usq; in tertium cœlum siue in copore siue extra cor- *1. Cor. 13.*
 pus, sicut dixit apostolus, & ibi audire ineffabilia uer-
 ba, quæ non licet homini loqui, aut ibi uidere dominū

DE EPISCOPORVM INSTIT.

- Iesum Christum, et ab illo potius quàm ab hominibus
 audire euangelium. Caueamus tales tentationes su-
 perbissimas & periculosissimas, magisq; cogitemus
 A. 9. & ipsum apostolũ Paulum licet diuina & cœlesti uo-
 catione prostratum & instructum, ad hominẽ tamen
 missum esse, ut sacramenta perciperet & copularetur
 A. 10. ecclesiæ; & Centurionem Cornelium quamuis exau-
 ditas orationes eius eleemosynasq; respectas ei ange-
 lus nunciarit, Petro tamen traditum imbuẽdum, per
 quem nõ solum sacramẽta perciperet, sed etiam quid
 credendum, quid sperandum, quid diligendum esset
 audiret. Et poterãt utiq; omnia per angelum fieri, sed
 abiecta esset humana conditio, si per homines homini-
 bus uerbum suum deus ministrare nolle uideretur.
 1. Cor. 3. Quomodo enim uerum esset quod dictum est, Tem-
 plum enim dei sanctum est, quod estis uos, si deus de
 humano templo responsa non daret, & totum quod
 discẽdum hominibus tradi uellet de cœlo atq; per an-
 gelos personaret? Deinde ipsa charitas quæ sibi inuisi-
 cem homines nodo unitatis astringit, non haberet ad-
 tum refundendorum & quasi miscendorum sibi met
 animorum, si homines per homines nihil discerent. Et
 A. 3. certe spadonem illum, qui Isaiam prophetam legens
 non intelligebat, neq; apostolus ad angelum misit, ne-
 que per angelum ei quod nõ intelligebat expositum,
 aut diuinitus in mente sine hominis ministerio reuela-
 tum est, sed potius suggestionẽ diuinã missus est ad
 eum, seditq; cum eo Philippus, qui nouerat Isaiã pro-
 phetam, eiq; humanis uerbis & lingua quod in scri-
 ptura illa tectum erat aperuit. Nonne cum Mose deus
 Num. 12. loquebatur? & tamen consiliũ regendi atq; administra-
 Exod. 18. strandi tam magni populĩ à socero suo alienigena scia-
 Dent. 1. licet

licet homine, & maxime prouidus & minime super-
 bus accepit? Nouerat enim ille uir ex quacuncq; ani-
 ma uerum consilium processisset, nō ei, sed illi qui est
 ueritas incommutabili deo tribuendum esse. Hacten-
 us Augustinus. Porro ad hunc ordinem pertinent
 hæc sacra scripturæ elogiā, Etenim dei cooperarij su-
 mus, Ego in Christo Iesu per euangelium uos genui.
 Mitto te ad gentes ut aperias oculos eorum, ut cōuer-
 tantur à tenebris ad lucem. De Paulo hoc legitur. De
 Baptista dicitur, Ipse conuertet corda patrū in filios,
 & inobedientes ad prudentiam iustorū. Faciunt hæc
 omnia ad gloriam huius ministerij commendandam
 & autoritatem ministris conciliandam fidelibus.

1. Cor. 3o
 1. Cor. 4o
 Act. 26.
 Luc. 1.

Rursus ne quid tamen in his fiat iniuste (iustitia
 suum cuiq; tribuit) hoc est ne id tribuamus creaturæ
 quod solius creatoris est, & confusione rerum ministe-
 rium nostrum non ornemus dignitate, sed deum po-
 tius oneremus contumelia, ante omnia unico deo tri-
 buenda est omnis uis saluifica, qui nisi intus per spiri-
 tum suum corda aperiat, commoueat ac trahat, exter-
 na docentis uox per se quidem infideli nihil prodest,
 & nisi credat cui prædicatur remissio peccatorum, ei
 nihil confert absolutionis denūciatio per ministrum.
 Cum itaq; credimus cum regeneramur, cum conuer-
 tuntur corda & oculos recipimus, cum deniq; pecca-
 ta nobis remittuntur, hæc sanè dei uirtus & operatio
 est, ministrorum est ministerium. Nam quod aposto-
 lus ait, Fides ex auditu est, auditus autē per uerbum
 dei, noluit fidei donum externæ prædicationi per se
 tribuere. Nisi enim intus erudiat spiritus dei, nihil ef-
 ficat sonus exterius uerberans aures. Nam notissima
 est Christi sententiā, Nemo uenit ad me nisi pater me-

Omnis uir-
 tus saluifi-
 ca dei est.

Rom. 10.

Ioan. 6.

us traxerit eum. Ideoq; per uerbum dei intellexit apo-
 stolus & uim dei operantem in corde, & uerbū euangeli-
 j per ministrum pure prædicatum. Rursus quod
 in 2. ad Corinth. 3. cap. dicit, Deus idoneos nos fecit
 ministros noui testamenti, non literæ sed spiritus, non
 illud quod uideri poterat dicit, ministros uidelicet
 conferre spiritum sanctum, sed ait nobis delegatam es-
 se functionem annunciandi remissionē peccatorum,
 idq; aperte. Spiritum enim opposuit literæ. Litera les-
 galia significat & umbratilia. Spiritus ergo minister
 est, qui per sanguinem Christi remissionem peccato-
 rum aperte prædicat. Literæ minister est qui legalia et
 umbratilia adhuc docet. Sequitur enim, Litera occidit,
 spiritus uiuificat. Quid quod idem apostolus in prio-
 re ad Corinthios epistola 3. cap. hoc negotiū tractans
 manifeste dicit, Quis igitur est Paulus? quis Apollos?
 nisi ministri per quos credidistis, & ut cuiq; dominus
 dedit. Ego plantaui, Apollos rigauit, sed deus dedit in-
 crementum. Itaq; non qui plantat est aliquid, neq; qui
 rigat, sed qui dat incrementum deus. Quibus per om-
 nia cōgruunt quæ D. Augustinus scripsit ad Circen-
 ses epist. 130. in hæc uerba, Si sapit dulcedo pacis uni-
 tatisq; charitas, & non iam reuerberat oculos saurios,
 sed sanos illustrat ac uegetat, non sunt hæc opera no-
 stra sed dei, non hæc humanis operibus omnino tri-
 buerem, nec si cum apud uos essemus tanta cōuersio-
 nis multitudinis nobis loquentibus & hortantibus prouer-
 niret. Hoc agit ille & efficit qui per ministros suos re-
 rum signis extrinsecus admonet, rebus autē ipsis per
 seipsum intrinsecus docet. Nec ideo pigrius moueri
 nos oportet ad uisendos uos, quoniā quicquid in uos
 bis laudabile est factū, non à nobis, sed ab illo factum
 est,

Ministri
 admonēt,
 deus docet

est, qui facit mirabilia solus: multo enim alacrius debemus accurrere ad spectanda opera diuina quam nostra, quia & nos si quid boni sumus, opus illius non hominum sumus. Vnde apostolus dixit, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus. Idem ille Tractatu in Ioan. 26. ad hunc modum scripsit, Omnes regni illius homines docibiles dei erunt, non ab hominibus audient, & si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt intus dat, intus coruscat, intus reuelatur. Quid faciunt homines forinsecus annuntiantes? Quid facio ego modo cum loquor? Strepitum uerborum ingero auribus uestris; nisi ergo reuelet ille qui intus est, quid dico aut quid loquor? Exterior cultor arboris interior est creator. Qui plantat & qui rigat exterius operatur; hoc facimus nos, sed neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus, hoc est, erunt omnes docibiles dei. Plana sunt illa sancti Augustini uerba, quemadmodum ea quoque quae apud D. Hieronymum de sententia absoluentis sacerdotis in cap. Matth. 16. ita leguntur, Locum istum, Et dabo tibi clauis, &c. episcopi et presbyteri non intelligentes aliquid sibi de pharisaeorum sumunt supercilio, ut uel damnent innocentes, uel soluere se noxios arbitrentur, cum apud deum non sententia sacerdotum, sed reorum uita quaeratur. Legimus in Leuitico de leprosis, ubi iubentur, ut ostendant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc immundi a sacerdote fiant, non quo sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quo habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere qui mundus quiue immundus sit. Quomodo ergo ubi leprosum sacerdos mundum uel immundum facit, sic & hic alligat uel soluit episcopus & pres-

sbyter, non eos qui insontes sunt uel noxi, sed pro of-
 ficio suo, cum peccatorum audierit uarietates scit qui
 ligandus sit quiue soluendus. Audis nimirum omnem
 efficaciam in cordibus operantem & sese exerentem
 dei solius esse, ministri ministerium tantum. Sacerdo-
 tes, inquit, non faciebant leprosos, sed si qui facti essent
 leprosi, eos declarabat iusta sacerdotum ex lege et ipsa
 re petita censura esse leprosos, & pari modo declara-
 bant esse mundos quicunq; erant mundi. Proinde munda-
 dia quidem animarum ex ipso deo est, & per hunc
 unum confertur, quemadmodum mors & peccatum
 ex nobis est, minister autem ex euangelio de ijs iudic-
 cat & uel mundos uel immundos esse annunciat, nempe
 mundos esse qui credant, immundos qui non crea-
 dant. Similia omnino legis apud D. Chrysostrum
 super illud Ioan. Quorum remisistis peccata, &c. Ho-
 melia 85. Concludimus ergo hunc locum & cum apo-
 stolo dicimus, Nemo ergo glorie in hominibus, sed
 in eo qui incrementum dat, & omnia operatur in om-
 nibus. Rursus nemo aspernetur ministros dei, de qui-
 bus dominus pronunciauit, Qui uos audit me audit,
 qui uos spernit me spernit, Et Paulus, Dei etenim coo-
 perarij sumus. Et iterum, Sic nos aestimet homo ut mi-
 nistros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Hac
 autem de dignitate ministerij nostri & ministrorum au-
 thoritate deduximus ex institutione diuina.

a. Cor. 4.

Constantia
 & dicendi
 libertas au-
 thoritate
 conciliat
 ministro.

Præterea facit & illud ad commendationem mini-
 strorum & præconium ministerij nostri quod in euan-
 gelio dixit dominus, Vos estis sal terræ. Quod si sal in
 fatuatus fuerit, quo salietur? ad nihil ualet ultra nisi ut
 proijciatur foras & conculcetur ab hominibus. Vos,
 dicit apostolis dominus, in hoc delegi, non ut sitis me-
 diocres

dioces ac tolerabiles, sed fitis sal terræ. Non opus est multo sale sed efficaci. Intellexit autem per terram homines agentes super terrā, per sal uiuacitatem & acrimoniam doctrinæ increpationisq; euangelicæ. Vigor in his sit oportet, alioqui cōcidit omnis authoritas ministri, & uenit in extremum hominum contemptum. Fatuo enim sale aut insipido nihil est contemptius, cuius ne ad agrum quidem stercoreandum ullus est usus, quippe sterilitatem etiam afferens si admisceatur. Nocent & eiusmodi doctores ecclesiæ, nō sibi ipsi modo exitiales sunt, quorum doctrina nullā resipit acrimoniam & constantiam. Viuacitate ergo doctrinæ constantia & acrimonia correptionis increscit & paratur authoritas. Huius uero uiuacitatis & acrimonix in diētis & factis, & quantum existimationis dignitatisq; pepererit ministris, plurima uidere est in literis sacris exēpla, præcipue Samuelis, Nathan, Helix, Ieremiæ, Ioannis Baptistæ, Christi domini, & apostoli Pauli. Nec est quod sigillatim illa recenseam, cum omnibus sint notissima. Sanctū Ambrosium iussit Iustina *Va= Ambrosij* *constantia* *et libertas* *Constantiani* August. mater infecta Arrianismo deporta *et libertas* *Constantiani* in exilium, cumq; iam iuberetur de ecclesia exire *et libertas* *Constantiani* per præfectos regios, Ego hoc sponte non faciam, inquit, ne lupis ouium septa contradere uidear aut blasphemantibus deū. Hic si placet occide, hoc loco mortem prona suscipiā uoluntate. Author huius est Theodoretus historicus: & quanquam uideri poterat exemplum esse pastoralis fidei potius & constantix, a patet tamen in eo quoq; & salis acrimonia, agendiq; & dicendi constans libertas. Idem ille Ambrosius Theodosium Augustum Imp. uere maximum repulit à sacris idēq; propter eadem temere illatam Thessaloniceñ.

Ruffino autem aulae magistro regem uolenti reducere restituereque, dixit, Impudentiam canum imitatus es Ruffine, tantae uidelicet caedis author existens, pudorem ex fronte detergens, nec erubescis, nec metuis contra imaginem latrare diuinam. Cumque Ruffinus supplicaret, & diceret, Imperatorem esse uenturum, Ego uero, inquit Ambrosius, tibi praedico Ruffine, quia eum ingredi sacra limina prohibebo. Si uero imperium in tyrannidem mutauerit, necem libenter suscipiam. Immo accedenti iam Imperatori et supplicanti ut eius uincula solueret, dicebat episcopus, praesentiam eius esse tyrannicam, & Theodosium insanire contra deum eiusque leges calcare. Praeuiderat hanc constantiam & sacerdotalem acrimoniam Augustus. Nam Ruffino sollicitanti & multa pollicenti quae impetrare uellet ab Ambrosio, rex, Non suadebis, inquit, Ambrosio. Noui ego decretum eius esse iustum: neque reuerbitur imperialem potentiam ut legem praeruareretur diuinam. Adeo autem sancta acrimonia sancti episcopi non est offensus Caesar, ut postea semper diceret, nunquam se inuenisse ueritatis magistrum nisi uinum Ambrosium, qui & solus mereatur nomen Pontificis. Habes quomodo hic sibi pararit auctoritatem. His nihilo inferiora sunt quae cum Imperatore Valentiniano egit, id quod fusissime ipse pinxit epistola 33. quam ad Marcellinam sororem suam scripsit de Tradendis basilicis. Pari libertate & agendi & dicendi adeo frequenter usus fuisse legitur D. Ioan. Chrysostomus, ut multi hoc ei uerterint uitio. Insignis est actio quae ei cum Gaina magistro militum coram Honorio Caesare intercessit. Ille enim cum Arrianus esset et maxima apud Caesarem potestate polleret, rogauit Caesar ut ei

Constancia
et libertas
Ioannis
Chrysost.

ut ei intra ciuitatem unam daret ecclesiam. Euocato
 ergo episcopo Honorius omne exponit negotiū, sup-
 pliciter rogans, ut concessa aliqua ecclesia potentissi-
 mi Gainæ tyrannidem non irritaret, sed sedaret. At il-
 le uerborum domini memor, Vos estis sal terræ, quod
 si sal infatuatus fuerit quo salietur? exilit & intrepide
 ad regem, Noli, inquit, ô Imperator hæc agere neq; ca-
 nibus sanctum dare. Nō enim potero deo benedicen-
 tes expellere, & sanctum templum blasphemantibus
 iniuste contradere. Neq; hunc Barbarum metuas Im-
 perator, sed ambos nos iube uocari, & quæ inter nos
 agemus audi. Ego enim linguam illius sic frenabo, ut
 non præsumat petere quæ dari non expedit. Altera
 itaq; die utrumq; conuocat in colloquium. Tunc Gai-
 nas prior suam petitionē proposuit, Mox uero Chry-
 sostomus sese opposuit, dicens: NON LICET IM-
 PERATORI PIETATEM CVSTODIENTI A-
 LIQVID CONTRA MANDATA DIVINA
 TENTARE. Cumq; responderet ille quod oratoriū
 & ipse habere deberet, episcopus ait, Patet tibi ubique
 domus dei, nec quisquam te prohibet aut orare uetat.
 At ille, Sed ego, inquit, alterius sectæ sum, & cum meis
 unum templum habere deosco. Neque mea uideretur
 contemnenda esse petitio. Multos enim labores & pe-
 ricula multa subiij pro Romana republica. Cui respon-
 dit episcopus, Ideo & plurima etiam percepisti præ-
 mia & meritis tuis maiora, quippe cum factus sis Ma-
 gister militum, Consulari insuper toga exornatus. O-
 portebat te sanè expendere quis olim fueris, & qualis
 modo conspiciaris, quæ prisca paupertas tua, & quæ
 præsens substantia, quibus uestibus usus fueris prius-
 quam transisses Histrum, et quibus nunc utaris. Noli

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Itaq; plura petere, & circa honorantem te ne sis ingra-
tus. Hac acrimonia & dicendi libertate barbari os im-
pudens ita obstruxit, ut & obticescere & infecta re co-
geretur discedere. Hanc ergo uirtutem conabitur im-
itari fidelis Christi minister nihil metuens aut pauens
ad ea ad quæ solet plerumq; obstupescere trepidus ho-
minum animus, interim caueat ne quid hic agat per
contentionem, iram, inuidiam, uindictã, aut inanem
gloriam, & affectum prauum. Nam ut in re qualibet
modus est optima uirtus, ita in hac re potissimum. Et
ut moderata acrimonia iustusq; salis usus in cibis plu-
rimum gratiæ habet, nimius omnem saporem uitiat,
ita moderata acrimonia prodest ecclesiæ, præposita
affectatio seueritatis officit plurimum. Plerumq; enim
exit in tyrannidem & subuersionem auditorum eccle-
siæq; totius.

*Vita &
doctrina
pura con-
ciliat au-
thoritã.*

Sequitur apud Matthæum, Vos estis lux mundi.
Hoc dixit dominus ad omnes uerbi sui ministros. At
quid poterat dici maius? Proinde amplissima est laus
ministorum uerbi dei, dignitas maxima. Soli enim ac
luci comparamur. Curemus modo ut uita & doctrina
nostra illustris sit & pura. Nam his parabimus nobis
authoritatem. Sequitur enim in uerbis domini, Non
potest oppidum abscondi supra montem situm, neq;
accendunt lucernam & ponunt illã subter modium,
sed super candelabrũ, ut luceat omnibus qui sunt in
domo. Ideo, inquit, ciuitas in cacumine montis con-
struitur ut omnibus sit perspicua; ideo accenditur lu-
cerna ut omnibus in domo habitantibus luceat, iccirco
non condunt accensam sub modio sed candelabro
imponunt. Ita & ministri in æditioem locum sublati
sunt, non ut lateant, obscuri sint & sibi uiuant, sed ut
fulgeant.

fulgeant eruditione & pietate. Subijcit enim expositionem Christus, & ait, Sic luceat lux uestra coram hominibus ut uideant uestra bona opera, glorificentque patrem uestrum qui in caelis est. Claret itaque uirtute parari auctoritatem, non minis, non splendida ueste, non titulis, quae omnia & a pessimis usurpari possunt, de quibus etiam superius disputauimus, ostendentes ista praeter iudicium usurpari ab episcopis nostris. Virtus autem non nisi optimorum est, qui & inter pessimos sua auctoritate pollent. Nam ut probitas & candor uitae omnibus saeculis honorem suum nunquam non habuit, ita nunc quoque & semper habebit. Conqueruntur hodie complures cecidisse auctoritatem ministerij & ministrorum uerbi dei, unde mirifice fatagunt ut erigant collapsam, sed non iusta uia nisi fallar prorsus. Nouis enim falsis & nimis praeconijs exornant ministerium, cum multo magis uideatur ad restitutionem pertinere doctrinae & uitae puritas seculitas atque simplicitas. Dominus enim per Malachiam ad sacerdotes, Si non audieritis, inquit, & non posueritis super cor, ut detis gloriam nomini meo, dicit dominus exercituum, mittam in uos maledictionem, maledicamque benedictionibus uestris, sicut et hactenus maledixi, quia nolulistis ponere super cor, Ecce ego disperdam uobis brachium, & spargam stercus in facies uestras, stercus inquam solennitatum uestrarum. Et paulo post, Et uos declinastis a uia, & fecistis multos impingere in lege, corrupistis foedus Leui, dicit dominus exercituum. Quare & ego dedi uos contemptos & abiectos coram omni populo, eo quod non custodistis uias meas, & accepistis faciem in lege. Nisi ergo redierimus in uiam mutataque uitae nostrae malitia, pu-

Collapsa ministeriorum auctoritas.
 Malach. 2.
 Quomodo possit reparari auctoritas

DE EPISCOPORVM INSTIT.

rius porrò uixerimus, ac zelo docuerimus ardentio-
 re, dei gloriam spectātes non nostram, frustra procula
 dubio disputabimus de reparāda authoritate. D. Eras-
 mus docte & sancte disputans de hac re, sic scribit in
 primo libro de Concionatore, Vt igitur authoritas &
 maturius & apud plures cōtingat Ecclesiastæ, diligen-
 ter ea uitet quæ parant homini contemptū, eaq̃ in se
 declaret quæ uulgus suspicit, Luxus, temulentia, som-
 nolentia, uoluptates, præcipue libido, inepta ac stulta
 loquacitas, futilitas & nimia familiaritas, uanitas, in-
 constantia, adulatio, captatio munerum, leuium uul-
 gariumq̃ rerum admiratio reddunt hominem cōtem-
 ptibilem eleuantq̃ authoritatem. Contra conciliant
 authoritatē, sobrietas, uictus parsimonia, uigilantia,
 pudici mores, sermo parcus ac sale conditus, silentij
 fides, grauitas in moribus, in dictis ueritas, comitas
 decenti grauitate temperata, conuictus cum grauissi-
 mis quibusq̃, cum perditis aut prostituta famæ homi-
 nibus aut nullum cōmertium aut rarum, idq̃ monen-
 di gratia, non comptandi, si non aliter cum illis agat
 quam sicut medicus cum ægrotis. Cum diuitibus salia
 sint colloquia, ut nec importuna austeritate prouocet
 illos ad iracundiam, nec ad gratiam loquens incidat
 in speciem adulationis. Munera ne temere à quoquā
 recipiat, sed in recusando adsit comitas, seruet undiq̃
 integram libertatem suam. Quisquis enim accipit mu-
 nus, nescio quo pacto perdit aliquam fiduciæ suæ par-
 tem, & qui donat minoris illum facit qui accipit. Hoc
 uitium arguit occasio. Cum Ecclesiastes liberius mo-
 nuerit eum qui dedit, tum incandescit stomachus, &
 ingratus uocatur qui pro uili beneficio reponit mule-
 to præstantius, Hoc perspiciens apostolus, non digna
 tur

tur à Corinthijs accipere, sed maluit coria consuere
quàm aliquã apostolicã libertatis partẽ amittere, non
quod uenaretur gloriam ab hominibus, sed quod hoc
expedit euangelio. Itaq; male consulunt authoritati
sua, qui sponte currunt ad mensas diuitem ac uenan-
tur magnatum opipara cõuiuia, sed multo peius con-
sulunt qui magnã diẽ partẽ desident in publicis cau-
ponum diuersorijis inter homines parum sobrios, si-
mulq; cum illis nugantur de rebus quibuslibet, ebia-
bentes & ipsi præscriptum uini modũ ac uicissim ina-
uitantes alios. Interdum et in multam noctem luditur
chartis & tesseris, & saltatur inconditis motibus, de-
niq; domum redit pastor ouium sic affectus ut eorum
brachijs suffulciendus sit, quorũ animos oportuit ab
eo fulciri. Adde iam huc cõcubinam uxoris loco, nec
eam unam, & si una est, procacem atque imperiosam.
Quis illius dictis audiens erit, aut quis eum reuerebi-
tur, cui cõspicit imperare mulierculam? Obsecro qui
sic perpetuo uiuit ut sit unus è sece plebis, ut inter ab-
iectos abiectissimus, quid authoritatis habiturus sit in
docendo, quid grauitatis in admonendo? Hæc scio di-
ctũ parum esse decora, sed utinam non maiore dede-
core passim fierent, nec iam in uicis tantum sed in ur-
bibus quoq;. Præterea & ætas utraq; parit interim con-
temptum, iuuentus & admodum prouecta senectus. *Iuuentus*
Illa negligit uelut imperita rerũ, hæc despicitur tanq; *et sen-*
delirans. Vtriq; malo remediũ aliquod adhibebitur, *ctus.*
si iuuenis apostoli consilio pareat, Nemo adolescen-
tiam suam contemnat. Quo pacto id fiet, inquis? Si ui-
tam si sermonem si uultum ac gestus omnes ita com-
ponat ad sobrietatem, ad pudicitiam, ad grauitatem
& constantiam ut in se declaret esse uerum quod di-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

„ xit ille sapiens, Senectus uenerabilis est non diuturna
 „ neq; numero annorum computata. Capitis caniciem
 „ & rugas frontis etiam fatuis ac morionibus adfert et
 tas; sed ea demum uenerabilis est canicies, quæ reni-
 det in moribus ab omni specie leuitatis ac iuuenilium
 desideriorum alienis. Senes ita tuebuntur authorita-
 tem suam si perpetuo sobrii sint, si minime difficiles ac
 iracundi, si uitent inutilem garrulitatem, sed parci cu-
 cum spectis sint in uerbis, ut non loquantur nisi præ-
 meditati uel necessaria uel utilia, neq; quicquam exci-
 dat ineptum aut futile dictu aut omnino indignum ca-
 nicie, præsertim inter iuuenes agenti, nec asper sit aut
 morosus in obiurgando si quando res postulat incre-
 pationem, sed admonitionis acrimoniam Christiana
 lenitate temperet, neq; quibuslibet sese negotijs admi-
 sceat. Non omnes fabulæ partes omni conueniunt a-
 ctori, quædam in alios reijciat. In summa sic moderet-
 tur omnes actiones suas, ut illi senectus nihil atulisse
 uideatur nisi maiorem rerum usum, iudicium perspic-
 ciatius, cõsilium fidelius, animum placabiliorem. His
 rebus fiet ut quemadmodum Paulus iubet honorari
 uiduas quæ uere uiduæ sint, ita populus ueneretur se-
 nes qui uere senes sunt. Hæc Erasmus.

Authori- Talibus rebus & huiusmodi uirtutibus præcipue
 tas ueterū autem pura ueritatis doctrina auctoritatem sibi para
 episcopo- uerunt ueteres episcopi tum apud plebē promiscuam
 rum. tum apud principes supremos. Hinc enim in Nicena
 Synodo rex Constantinus ad cœtū antistitum, Deus,
 ait, constituit uos sacerdotes & potestatem dedit de no-
 bis quoq; iudicandi, Vos etenim à deo nobis dati estis
 dii. Hinc & in principum cõsilia admissi sunt, regum
 quoq; electionibus interfuerunt, & electis benedixe-
 runt.

runt. Breuiter ut ueteres prophetae & sacerdotes ministerio suo etiam regibus inservierunt, ita fecerunt & Christianorum antistites: attamen illa dignitate & auctoritate sua bene usi sunt ad propagandam Christi gloriam & ecclesiae tranquillitatem. Non quaesierunt suam gloriam & utilitatem. Non aspirarunt ad imperium, ad honores, ad palatia, ad titulos regios et principum. Non reliquerunt pastorem iugem uigilantem, preces & praedicationes, lectiones assiduas, sed in suo officio manentes omnia dirigebant ad gloriam dei & ecclesiae salutem.

Recensentur argumenta pro tyrannide episcoporum, maxime autem Romani praesulis facientia. Cap. XI.



Hactenus quidem de institutione & functione episcoporum qui uerbi dei ministri sunt per compendium disseruimus, ostendentes originem ministerij huius, et quae eius sint officia, quae dignitas, & alia his cognata & quae circa illa ueniunt consideranda. Ex dignitate uero ministerij sacri posteriores episcopi occasionem dominantium tyrannidemque exercendi acceperunt adeoque & obtinuerunt imperium, ut certas quoque leges pro sua libertati Christiano orbi praescribere sint ausi, & tandem quorundam regum & principum auxilio late occuparint, uetera interim sic aboleuerint corruerint inuenterintque, ut illorum uestigia hodie uix reperiantur. Nam cernitur hodie longe alia episcoporum facies: alia eorum institutio & functio est. Iurares istos nihil minus esse quam humiles Christi crucifixi ministros. Interim suas habent leges, suas confirmationes, quae constanter defenduntur à magni nominis

*Episcopi
Papistici.*

DE EPISCOPORVM INSTIT.

hominibus, à principibus & eruditis ceu diuina & apostolica auctoritate tradita et cōfirmata, Palam enim uocantur Apostolica quæ ordinat & decernit Apostolicus. Hoc autem titulo decorauit seipsum Pont. Romanus. Apud hunc & suæ factionis homines habebuntur pro impijs & hæreticis quæcunq; tradidi hætenus de institutione & functione episcoporum. Unde cogor pro defensione ueritatis confessè diligentius aduersariorum recensere fundamenta & exposita diuertere ac confutare, ut non tantum ex superiori tractatu, uerum ex his quoq; colliquescat uera omnino & apostolica esse quæ hætenus tradidi de institutione & functione episcoporū, falsa autem & apostatica esse quæ hodie traduntur de episcopis & eorum auctoritate ac potestate.

Impia sententia de potestate Romani episcopi.

Multa quidē sunt quæ isti afferunt & proponunt pro suo dominio, ego principio eorum recensero sententiam, deinde probationes ipsorum subnectā, non omnes quidem sed potissimas. Alioqui nemo tam callenti stomacho fuerit qui omnes illorū argutias, imò nugas concoxerit patienter. Summa doctrinæ aduersariorum illa est, Romanam ecclesiam Christi domini institutione omnibus in mundo ecclesijs prælatam, omnibus alijs dare leges & iura, quæ non sint minoris habenda quàm ipsius Petri ore prolata. Proinde asserunt Romanum episcopum caput esse ecclesiæ catholicæ militantis, uicarium Christi in terris, successorem apostolorum Petri & Pauli, pontificem siue pastorem uniuersalem, qui plenam habeat potestatem in terris decernendi super rebus religionis & regnorum, utpote qui religionem ordinare ex scrinio pectoris sui, reges quoq; deijcere & euehere possit. Quia iustus, in-

quiunt,

quiunt, hæres est et Romani imperij & regnorum omnium. Idem errare nõ potest. Huic subiecta est omnis expositio scripturæ, ut iudici summo & qui nullius subiectus est imperio aut iudicio. Nugari fortè uidebor aut ex affectu in Pontificios subinuido mendacia necere illis qui nondum uersati sunt in legibus Papistarum & qui ad impia illa planè obstupescunt. Subijcio ergo nunc eorum quæ proposui testimonia & sententias idq; ex ipsius Pontificis libro. *Distin. 22. cap. Omnes, Petro, inquit Papa Nicolaus, æternæ uitæ claui gero dominus terreni simul & cœlestis imperij iura commisit. Item cap. Sacrosancta, Licet omnes essent apostoli, inquit Anacletus, Petro tamè à domino concessum est (& ipsi inter sese uoluerunt id ipsum) ut reliquis omnibus præfesset apostolis, & Cephas, id est caput & principium teneret apostolatus, qui etiam eandem formam successoribus suis & reliquis episcopis tenendam tradiderunt. Hæc ergo apostolica sedes caput & cardo, à domino & non ab alijs constituta est, et sicut cardine ostium regitur, sic huius apostolicæ sanctæ sedis autoritate omnes ecclesiæ (domino disponente) reguntur. Rursus *Distin. 19. Agatho Papa scribit omnibus episcopis, Sic omnes sanctiones apostolicæ sedis accipiendæ sunt tanquam ipsius diuina uoce Petri firmatæ. Et cap. In memoriã, Licet uix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus & pia deuotione toleremus. Item paulò post Stephanus Papa, Enimuero, ait, quia in speculum & in exemplum sancta Romana ecclesia (cui nos Christus præfesse uoluit) preposita est, ab omnibus quicquid statuit, quicquid ordinat, perpetuo quidem & irrefragabiliter obseruandum est. Præterea 9. quæst. 3. Gelasius**

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Papa episcopis per Dardaniam cōstitutis, Cuncta per mundum nouit ecclesia, ait, quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum sedes beati Petri apostoli ius habeat resoluendi, utpote qui de omni ecclesia ius habeat iudicandi. Et iterum, Cuncta per mundum nouit ecclesia quod sacrosancta Romana ecclesia phas de omnibus habeat iudicandi, neq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus. Item Distinct. 40. Si Papa suæ & fraternæ salutis (ait Bonifacius) negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus & insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos cateruatim secū ducit primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum uapulaturus, huius culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius. Rursus 9. quæst. 3. Innocentius Papa, Nemo, ait, iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem. Neq; enim ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; à regibus, neq; à populo iudex iudicabitur. In quem Canonem Glossæ author, Consilium, ait, non potest Papam iudicare, ut extratrag. de elect. Significasti. Vnde si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, uideretur quod sententiæ Papæ standū esset, &c. Idem in cap. Quanto de Translat. episcopi, Tit. 7. disertis uerbis, Papa, ait, dicitur habere cœleste arbitrium, & ideo etiam naturam rerum immutat substantialia unius rei applicando alijs. Et de nihilo potest aliquid facere, & sententiam quæ nulla est aliquam facere. Quia in his ei quæ uult est pro ratione

O cæcas
hominum
mentes, ^o
pectora
cæca.

tione uoluntas. Nec est qui ei dicat: Cur ita facis? Ipse enim potest supra ius dispensare & de iniustitia facere *Dij bont.* iustitiam, corrigendo iura & mutando. Nam plenitudinem obtinet potestatis. Huc pertinet quod egregij illi Commentatores non semel inculcant Papam nec hominem esse nec deum sed dei uicarium & mixtum quiddam ex deo & homine. Hæc inquam est istorum hominum assertio, quam mox hisce approbant testimonijs, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Et tibi dabo clauces regni cœlorum, &c. Hinc claret aiunt catholicam ecclesiam etiam Christi institutione subiectam esse Romanæ sedis cui omnis potestas cōtradita est in omnes ecclesias. Addunt huic & aliud testimonium ex euangelio *LUCA 22.* Lucæ petitiu, Oraui pro te Petre ne deficiat fides tua. Hic, inquit, audimus Romanam ecclesiam in fide errare non posse. Ex euangelio Ioannis adducunt *IOAN. 21.* illud, Petre amas me? Pasce oues meas. Inde colligunt Romanum episcopum omnibus ecclesijs generalem episcopum esse præfectum. Adijciunt præterea Nicenam Synodum primas tribuisse sedi Romanæ, imò decreuisse ut omnes aliarum ecclesiarum episcopi ad episcopum Romanum ut supremum in terris iudicem respiciant, & ut omnes appellationes quas uocant ad istam deferant sedem. Postremo, Nemo, inquit, negare potest Romanam sedem maximis maximorum omnium propè regnorum præconijs episcoporum elatam, primum obtinuisse & nomen & locum. Atq; hic uaria producunt testimonia ex epistolis nescio quibus. Apud me parum momenti habent, quod nulla in ipsis uetustas, eruditio, pietas aut iudiciu inueniatur. Quo circa ipsas nulla responsione dignabimur.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Tractatur locus ex Matthæi XVI. Cap. Tu es Petrus,
& super hanc petrâ ædificabo ecclesiã meã. Cap. XII.



Principio uideretur respondendum esse ad id quod est huius disputationis caput summũ firmamentũ, & quasi ancora sacra, ad quam omnes confugiunt quotquot de plenaria sedis & episcopi Romani potestate disputant. Nam sedem illam excelsam collocant super ista domini uerba, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiã meam. Præmittam autem simplicem eius loci expositionem ex ipsis domini uerbis alijsq; scripturæ locis petitam, deinde subiungam enarrationem maximorum in ecclesia Christi uirorum, Matthæus ergo in cap. XVI. Venit Iesus in fines eius, inquit, Cæsareæ quæ cognominatur Philippi. Itaq; primo notauit locum more historico quo plus fidei expositio mereatur. Aiunt autem duas fuisse Cæsareas. Alia enim refertur à magno Herode extructa aut restaurata potius esse in honore D. Augusti & ex hoc appellatã Cæsaream, quam prius nuncupauerãt Turrin Stratonis. Aliam autem quæ prius dicta Paneas tradunt à Philippo Herodis filio in gratiam Tiberij Cæsaris & instructam & Cæsaream appellatam esse, cui demum & ab instauratore Philippo additum sit nomen Philippi, & uulgo Cæsaream Philippi cognominatam. Historia uero quæ hoc loco describitur facta, breui compendio tradit religionis nostræ summam, nempe quæ uera fides sit, quæ confessio ab uno quouis nostrum requiratur, unde oriatur ea fides, quam habeat uim & efficaciam, quomodo inserat in populum dei quæ ecclesia est, quodnam sit huius ecclesiæ fundamentum, & quibus clauibus aperiatur societas sanctorum, thesaurus donorum

Cæsareæ
duæ.

Scopus &
summa hi-
storiæ.

rum dei & regnum cœlorum.

Cum uero circa religionem & ueram fidei confessionem uariant hominum sententiæ, præmittitur quod dominus interrogarit discipulos ac dixerit, Quem me aiunt homines esse, filium illum hominis? Respondent illi, & dicebant, Alij quidem Ioannē Baptistam, alij uero Heliam, alij Ieremiam, aut unum e prophetarum numero. Nam etiam hodie alij putant seruatorem nostrum esse prophetam dei magnum, alij hominem deificatum, alij aliud nugantur. Cæterum proprium uulgi est raro sapere & opiniones uanissimas adorare pro ueritate. Proinde non est satis uulgi more de Christo et religione sentire. Purior pleniorq; à nobis cognitio confessioq; requiritur. Nam dominus ad discipulos, At uos, inquit, quem me dicitis esse? Vos inquam quos decet aliquid augustius de me sentire conspectis tot miraculis & auditis tot concionibus. Proinde requiritur ab uno quouis nostrū confessio pura & sincera. Iam sequitur exemplum sanæ & Christianæ confessionis. Nam Petrus omnium nomine, Tu es Christus, inquit, filius dei uiuentis. Nihil hac confessione breuius, sed nihil itē plenius & purius. Singula enim uerba singula & maxima habēt mysteria. Tu, inquit, non alius, es Christus, id est unctus ille rex & sacerdos, liberator, redemptio, mediator, hostia & intercessor, qui patris iram placas, peccata expias, & cultores tuos gratia spiritus sancti inungis. Tu es uiuentis dei filius, non Helias aliquis aut propheta dei magnus, sed uerus de patris substantia ueri dei filius, qui uita es & potestatem habes uiuificandi. Nā ipse dominus apud Ioannem in cap. 5. dicit, Sicut pater habet uitam in semetipso, ita & filio dedit uitā habere in semetipso.

Varie sententia de fide.

Exemplū pure confessionis fidei

Amen amen dico uobis, qui sermonem meum audit & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non ueniet, sed transiit à morte in uitam. In 6. cap. Ioan. hæc confessio Petri planius & significatius ponitur. Roganti enim domino an etiam discipuli sui promiscuam sequentes turbam statuerint deserto dño mundum sequi, Petrus omnium nomine respondit, & ait: Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus quod tu es Christus filius dei uiui. Vera ergo & Christiana confessio quæ ab uno quouis nostrum requiritur huiusmodi est, Christus Iesus uerus deus & homo uerus, à patre nobis datus est saluator, iustitia, uita, sanctificatio, resurrectio & omnis perficiens plenitudo, per quem omnes credentes absoluuntur & iustificantur plenissime. Hoc ut ore simpliciter cõfitendum, ita toto corde synceriter credendum est.

*Fidei uis
sive effectus.*

Ad hanc confessionem respondet dominus, & ait: Beatus es Simon Bar Iona. His ostendit quæ sit fidei uis, qui effectus aut quæ operatio. Fides inquit beat. si de iustificantur credentes. Nam & D. Paulus de ui fidei dei disputans in epistola ad Romanos & Galatas soli fidei iustificationem tribuit. Nec mirum id est. Nam propriissimum dei opus est iustificare. Iustificare autem est liberare, à peccatis absolvere, innoxium dimittere, ex iniusto iustum, ex immundo mundum facere. Id quod nulla creatura nec ullum opus humanum potest. Hæc gloria solius dei est, qui per fidem & spiritum suum sanctum agit nobiscum, fide purificans corda nostra.

Vnde sit fides.

Ideo sequitur, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Vnde nimirum discimus

mus qui sint fontes fidei & unde oriatur fides, non ex libero arbitrio aut nostris illis uiribus humanis, sed coelitus illam oriri & per spiritus sancti gratiã diffundi in corda fidelium.

Rursus ne confunderetur spes nostra & fraudare *Laus fidei & fidelis.* tur uirtus laude sua in fidelibus, & ne quis ignoraret *et fidelis.* fructus fidei & officia fidelis, subiicit dominus, At ego uicissim tibi dico quod tu es Petrus. Ob illam, inquit, constantem & solidam confessionem tuam merito laudaberis uocaberisq; Petrus. Petrus autẽ dicitur a petra, quemadmodum Christianus a Christo. Pollicitus erat dominus hoc nominis Simoni aliquando inditurum, quemadmodum legimus apud Ioannẽ in cap. 1. Intuitus Simonem Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephass, quod sonat, si interpreteris, lapis. Idem ergo pollent hæc tria uocabula Petrus, Cephass, Lapis, nisi quod prius Græcanicũ, posterius Syrum, postremum uero Latinum est. Vbi uides obiter quam foede errẽt & euangelium Christi nesciant, qui Cephass interpretantur caput. Magna uero & eximia laus uidebatur Romanis nomina sortiri ex rebus feliciter gestis. Dicebantur enim quidam illorũ Aphricani, Asiaticiq; eo quod armis domuissent Aphricam & Asiam, at longe illustrius illud est quod D. Petrus a petra nomen indipiscitur, atq; ideo Petrus appellatur quod cum petra, id est Christo communionem habeat & societatem. Per fidem enim coniungimur deo, per eandem accedimus ad deum. Nam ipse Petrus in *Ca. 1. Pet. 2.* nonica sua, Benignus est dominus, inquit, ad quem accedentes qui lapis est uiuus ab hominibus quidem reprobatus, apud deum uero electus & pretiosus, ipsi quoq; ueluti uiui lapides ædificemini, domus spiri-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

*Officia ho-
minis fide-
lis.* tualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spiritalia
les hostias acceptabiles deo per Iesum Christum. Ex
quibus uerbis etiam colligere licet quæ sint officia cuius
iuslibet hominis credentis, ut uidelicet & ipse Petrus
sit, saxeus scilicet, constans & solidus, templum dei spi-
rituale, in quo regnet spiritu suo & fructibus spiritus
ipse dominus, qui domino spirituales offerat hostias,
innocentiam uitæ, preces puras, & charitatis officia
misericordiae ue opera. In his est laus & uirtus sancto-
rum, hæc sunt officia hominum Christianorum. Hæc
etenus ergo de uera confessione fidei, de huius effectu
& uirtute, de origine fidei & laude officioq; fidelium.
*Catholica
fides.* Sequitur nunc in uerbis domini, Et supra hanc pe-
tram ædificabo ecclesiam meam. Ponuntur autem illa
la hic per epanaphoram & apostrophen. Nam redit
ad superiorem confessionem Petri de petra. Quasi dicat,
Tu confessus es me petram esse, messiam mundi
saluatorem & uerum ueri dei filium: & hæc confessio
ueluti scopus erit ad quem mentis aciem figant inten-
dantq; quicumque posthac uolent recipi in ecclesiam
meam. Necessè enim erit ut illi me confiteantur petram
esse, hoc est fundamentum & caput ecclesiæ, & ut supra
per me ædificentur & mihi nitantur. Huc autem perti-
nent illa scripturæ testimonia. 1. Cor. 10. Bibebant
omnes de sequente eos petra. Petra autem erat Christus.
1. Corint. 3. Fundamentum aliud nemo potest po-
nere præter hoc quod positum est, quod est Iesus Chris-
tus. Et iterum, Ecce pono in Zion lapidem angula-
rem, electum, pretiosum, qui crediderit eiq; innixus
fuerit non pudefiet. Ex istis omnibus colligere licet
quid sit Ecclesia, nimirum cœtus fidelium Christo in-
nitentium, item quod fundamentum & caput ecclesiæ
Christus

Fundamen-
tum & ca-
put eccle-
siæ.

Isaie 28.
1. Pet. 2.
Psal. 117.

Christus sit, & quod fidei obiectum neq; Petrus neq; Papa esse possit, sed petra, dei filius, Iesus Christus.

Post hæc iterum docet quæ sit uirtus fidei & ecclesie Christi uictoria. Prius dixerat, Beatus es Simon, Nam præcipua uis fidei est iustificare & beatitudinis æternæ consortes efficere. Nunc alias quoq; uires recensens addit, Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam, uidelicet sanctorum ecclesiam. Circumportas est omnis uis urbium & munitio: accipiuntur ergo portæ metaphoricos pro inuincibili potestate mundi satanæ & carnis. Contra illos hostes pollicetur dominus ecclesie suæ uictoriam. Nam & Ioannes in Canonica sua, Quoniam omne, inquit, quod natum est ex deo uincit mundum. Et hæc est uictoria quæ uincit mundum fides uestra. Quis est qui uincit mundum nisi qui credit quod Iesus est filius dei? Proinde sicut fundamentum ecclesie inuictum stat & immobile, sic qui fundantur per fidem super petra in fortitudine dei inuicti sunt & perire non possunt licet labantur aliquando & labascant. Omnis enim qui natus est ex deo seruat seipsum & malus ille non tangit eum. Ista autem breuiter dicta sint de eo quod dominus superiorẽ confessionem uoluit esse regulam professionis fidei catholice, & ueluti dogma certissimum de uera & communione iustificatione sanctorum, & iterum quod ecclesia aliud non sit quàm communio siue coetus fidelium Christo innitentium, & quod huius salus & incolumitas certior atq; solidior sit quàm quæ ulla possit aduersaria potestate deijci quodq; iustificati fide certamen suscipiant cum mundo & principe huius sæculi diabolo, mortificantes carnem cum concupiscentijs suis, uiuentes autem deo per Iesum Christum dominum nostrum.

Virtus et uictoria fidei.

1. Ioan. 5.

Rom. 8.

De clauibus regni
cœlorum.

Nunc autē merito quærat aliquis, Quis uero tāta mysteria aperiet & explicabit hominibus, ut intelligant quid ipsis datum sit à domino, quid credant, quo modo dona dei assequantur, uitamq; deo dignam uenturiant. Respondet dominus, & ait discipulis, Vos aperietis hunc donorum dei thesaurum, & ueluti manus perducetis homines in regnum cœlorum, recludentes uerbo meo uiam salutis. Dabo enim uobis clauis regni cœlorū, ut quicquid solueritis in terra solutum sit & in cœlis, & quicquid ligaueritis in terra & in cœlis maneat ligatum. Id est, in hoc cōmittam uobis prædicationem euangelij, ut in omnem orbem terræ exeat & omnibus hominibus collatā in Christo per deū gratiam prædicetis, imò et denunciatis credentes iam esse purgatos à peccatis & liberatos à morte, hæredes autem factos uitæ æternæ, rursus contra incredulos pronuncietis morte morituros & æternum fore peritendos. Tam uero rata & certa erit uestra denunciatio, ut nihil eorum quæ uos in terris ex uerbo meo soluturi aut ligaturi estis, alligaturus aut soluturus sim ego in cœlis. Nam iuxta metaphoram euangelij prædicatio denunciatio siue promissio remissionis peccatorum Clauis appellatur. Vt enim clauibus aperitur aditus in rem aliquam oclusam, sic euangelio explicantur mysteria dei, sic prædicatione Christi aperitur thesaurus donorum dei, adeoq; ipse auditor ueluti manu in ipsum regnum cœlorū introducitur, nisi ipse se per incredulitatem ingredi nolit. Hæc metaphorā explicatur binis scripturæ testimonijs. Prius extat Lucæ 11. Væ uobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis & eos qui introibant uertistis. Posterius extat apud Isaiam in 61. cap. & citatur à Luca in

ea in cap. 4. Spiritus domini super me propterea quod
 unxit me, ad euangelizandum pauperibus misit me,
 ut sanem contritos corde, ut predicem captiuis remis-
 sionem, & caecis uisum, ut emittam contractos per re-
 missionem, ut predicem annum domini acceptum. Chri-
 stus ergo uirtute sua sanat, soluit, emittit & ligat in-
 tus in homine interiore, eamque salutem uel condemna-
 tionem tam ipse foris annunciauit quam discipulis de-
 nunciare praecipit. Cum enim praestat & exhibet cla-
 ues apostolis, quas in praesenti tantum promittit, aliud
 nihil dat aut committit quam ministerium uerbi. Nam
 apud Ioannem dicit, Sicut me misit pater, ita & ego ^{Ioan. 20.}
 remitto uos. Accipite spiritum sanctum, Quorumcumque
 remiseritis peccata, remittuntur eis; quorumcumque re-
 tinueritis, retenta sunt. Et planius apud Lucam legitur, ^{Luc. 24.}
 Dominus aperuit discipulorum mentem ut intelligen-
 rent scripturas, & dixit eis: Sic scriptum est, & sic oportet
 Christum pati & resurgere a mortuis tertio die,
 & predicari in nomine eius poenitentiam & remissio-
 nem peccatorum in omnes Gentes, initio facto ab Hie-
 rosolymis. Vos autem estis testes horum, Et apud Mar- ^{Mar. 16.}
 cum apostolis praecipit dominus, & dicit, Ite in mun-
 dum uniuersum & predicate euangelium omni crea-
 turae, Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit:
 qui uero non crediderit condemnabitur. Ad hunc au-
 tem modum leguntur apostoli clauibus esse usi. Nam
 D. Petrus praedicans Hierosolymitanis, Resipiscite, ^{Act. 2.}
 inquit, & baptizetur unusquisque uestrum sub nomine
 Christi Iesu in remissionem peccatorum, & accipietis
 donum spiritus sancti. Hoc nuncium Petri & hanc
 pollicitationem apostoli sui ratam habuit deus, & pec-
 catum confitentibus fidentibusque bonitati suae sicut

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Act. 16.

promiserat Petrus remisit, atq; ita soluit Petrus. Rur-
sus cum Paulus diserte prædicasset remissionem pec-
catorum per fidem in Christum Iesum, & Iudæi præ-
dicationi non acquiescerent, apostolus excussis uesti-
bus, Sanguis, inquit, uester super caput uestrū. Mun-
dus ego posthac ad Gentes uadā: atq; ad eum modum
ligauit. Et deus uerbum Pauli ratū habuit. Quamdiu
enim perstiterunt in incredulitate, non sunt ipsis pec-
catorum uincula resoluta. Post hæc tam plana scri-
pturæ testimonia & exempla nihil moror quid alij nu-
gentur de potestate clauium, sufficit mihi simplicitas
& ueritas euangelica.

Tibi dabo
claves.

Quod si obiecerint aduersarij illam singularem, Ti-
bi dabo claves regni cœlorum, quam corrumpens ex-
posuerim per uniuersalem, Vobis dabo claves regni
cœlorum, dico Petrum omnium nomine respondisse,
omnes enim interrogauerat dominus, ergo responsio-
nem domini ad omnes pertinere, licet ad unum oratio
directa sit ceu ad oratorem & interpretem. Scribit &
Cyprianus epist. lib. 1. epist. 3. unum pro omnibus Pe-
trum fuisse loquutū. Quem imitatus opinor August.
Tract. in Ioan. 118. Cum omnes essent interrogati, ait,
solus Petrus respondit, Tu es Christus filius dei uiui.
Et ei dicitur, Tibi dabo claves regni cœlorū, tanquā
ligandi & soluendi solus acceperit potestatem, cum et
illud unus pro omnibus dixerit & hoc cum omnibus
tanquam personam gerens ipsius unitatis acceperit.
Ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus.
Deinde nihil apud Matthæum dat dominus, pollice-
tur tantum claves. Caterum ubi dat non uni Petro
dat, sed omnibus. Proinde synekdocha est in uerbis, et
pollicitatio ad omnes pertinet. Hoc ipsum uidentes
præci

prisci interpretes dixerunt Petrum gessisse typum ecclesiae & unitatis, & ideo dictum esse, Tibi dabo, non quod soli Petro claves dederit aut ei plus quam reliquis apostolis dederit, sed quod ecclesiae claves acceperit, quae cum una sit, profecto sola ueritatem habet, in sola salus est, extra ecclesiam nulla salus est. D. Cyprianus Tract. de simplicitate praelatorum, Hoc erat utiq; & caeteri apostoli, inquit, quod fuit Petrus pari consortio praediti honoris & potestatis, sed exordium ab unitate proficiscit ut ecclesia una monstretur. Haec de sententia eius loci quem pro se ex Matthaeo proferrunt. Puto autem expositionem nostram ueritati per omnia esse consentaneam & e scripturis petitam.

Nunc secundo loco quod pollicitus sum ponam *Veterum* sanctorum patrum expositiones, ex quibus appareat *expositio* locum Matthaei nihil facere ad tyrannidem pontificis *loci apud* & episcoporum confirmandam. Et cum multorum *Matth. in* sententias pro expositione nostra ac sententia afferre possis. ^{is.} satis tamen erit minime curioso Lectori si unius atq; alterius recenseam testimonium. Origenes Homelia quae in Matth. extat prima plane nobiscum sentit, copiosior interim est Graeci scriptoris expositio quae hic recitari queat. Augustini maxime catholici et in ecclesia fidelissimi uiri uerba nunc ascribam. Is Sermone de uerbis domini in Euangelio secundum Matthaeum 13. Petrus inquit in apostolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, saepe unus respondit pro omnibus. Ipse deniq; domino Iesu Christo requirenti quem nam homines eum esse dicerent, et opinionibus uarias hominum discipulis respondentibus, rursusq; domino interrogante, & dicente: Vos autem quem me esse dicitis? Respondit Petrus: Tu es Christus

DE EPISCOPORVM INSTIT.

stus filius dei uiui. Vnus pro multis dedit responsum, unitas in multis. Tunc ei dominus ait; Beatus es Simon Bariona, quia non reuelauit tibi caro et sanguis, sed pater meus qui in caelis est. Deinde addidit, Et ego tibi dico, Tanquam diceret, Quia tu dixisti mihi, Tu es Christus filius dei uiui; & ego tibi, Tu es Petrus. Simon quippe ante uocabatur. Hoc autem nomen ei ut Petrus appellaretur a domino impositum est, & hoc ut ea figura significaret ecclesiam. Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est, ideo Petrus a petra, non petra a Petro, quomodo non a Christiano Christus, sed a Christo Christianus uocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram quam confessus es, super hanc petram quam cognouisti, dicens, Tu es Christus filius dei uiui, aedificabo ecclesiam meam, id est super me ipse sum aedificabo ecclesiam meam. Super me aedificabo te, non me super te. Nam uolentes homines aedificari supra homines, dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego uero Cephæ, ipse est Petrus. Et alij qui uolebant aedificare super Petrum sed super petram, Ego autem sum Christi. Apostolus autem Paulus ubi cognouit se eligi & Christum contemni, Diuisus est, inquit, Christus? Nunquid Paulus pro uobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Quomodo non in Pauli sic nec in Petri, sed in nomine Christi ut Petrus aedificaretur supra petram & non petra super Petrum, &c. Huius generis & alia multa inuenies Tractatu in Ioan. 124. & 1. Retractationum libro cap. 21.

Possent nunc magno spiritu hunc locum prosequi & aduersarios pro merito suo tractare, qui ausi sunt peruertere

peruertere ac uitiare uerbum domini, afferētes in hominem peccatorem inniti inuictam ecclesiam, sed parcens miseris, admoneo & adhortor eos ut resipiscant & credant apertæ ueritati, rursus ut secum expendāt quàm nihilī rebus confidant. Nisi enim oculis careant & mente, intelligunt illum cui maxime confisi sunt. Iocum Matthæi nihil facere pro sententia & dogmate illo suo de potestate pontificis. Imò is ipse impiam illam potestatem oppugnat capit & subuertit. Nam Christus petra est, Petri sunt omnes fideles. Fides dei donum est. Hæc confitetur Iesum esse Christum, fundamentum, caput & salutem fidelium unicam. Hæc fides beat ac iustificat. Hæc fides uincit mundum. Hæc fides sociat nos & Christo & ecclesie sue. Ecclesia communio fidelium est Christo innitentium. In hanc aperitur aditus per clauēs. Clauēs nil aliud sunt quàm uerbi ministerium & prædicatio euangelij Christi. Ligat ergo qui damnationem annunciat incredulis. Soluit qui remissionem peccatorum per Christum prædicat ac promittit fidelibus. Quæ enim est summa euangelij: nisi quod omnes serui peccati & mortis soluimur & liberamur per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Qui uero Christum liberatorem & redemptorem non agnoscunt ac suscipiunt, eos æternis uinculis damnatos addictosque esse. Hanc legationem cum apostolus, ut suam esse, ut à se profectam, ut à se mandaram approbaret, hoc singulari testimonio eam honorauit ac clauēs regni cælorum nuncupauit. Ista uero quid faciunt ad confirmandam tricipitis potestatem? Non tam potestas est quàm ministerium si homines respiciamus quo de his agitatur. Christus utitur potestate, et uir

Summa Euangelij.

DE EPISCOPORVM INSTITV

tute sua operatur in hominibus, apostolis utitur ut ministris.

Tractantur duo ex euangelio loci, prior ex Luca, Oraui pro te Petre ne deficiat fides tua, posterior ex Ioanne, Pasce oues meas. Cap. XIII.



Ec plus momenti habent quæ ex Luca profecerunt. Dixit sanè dominus ad discipulos, præcipue uero ad Petrum, Simon Simon, ecce satanas expetiuit uos ut cribraret sicut triticum. Ego autè rogauì pro te, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quid autem hæc faciunt ad primatum & tyrannidem Papæ confirmandam? aut quis inde colligat sedem Romanã ideo non posse errare, quia dominus dixerit, Oraui pro te Petre ne deficiat fides tua? Loquebatur enim dominus de rebus præsentibus. Videbat suorum pusillanimitatem, præcipue autem Petri audaciam plus quàm temerariam, unde boni doctoris & patris officio fungès suos contra imminentem malorum tempestatem armat, & Petro nimiam sui eximit fiduciam. Sermonè ergo ad Petrum uertit peculiariter ut hunc & reliquos omnes institueret & castigaret. Nam quod Petrus fecit id alij quoq; fecerunt, nisi quod Petrus omnia egit confidentius cæteris, non malo quidem zelo sed humano tamè, & quod paulò post abnegauit turpius. Ad hunc ergo præcipue sermonem uertens, Simon Simon, inquit, ecce satanas expetiuit uos studio ut dissipet uos omnes quemadmodum cribrari solet triticum. Quo nomine magis erit uigilandum uobis omnibus, præcipue uero tibi Petre, qui nunc plus nimium tuam iactitas uirtutem & constantiam. Vicisset enim ille iam nunc, nisi ego obstitisset hætenus. Deprecatus enim sum

sum pro te Petre, ut quando tu reliquis foedius sis ab-
negaturus nomen meum, ut inquam fides tua non de-
ficiat, id est, ut non absorbearis à desperatione & pec-
cati tui atrocitate. Proinde uacillabit quidē fides tua,
atq; adeò ut ter sis abnegaturus nomen meum, sed in
te per gratiam meam descendes, flebis, dolebis & ad-
modum te tui pigebit sceleris. Cæterū hoc exemplum
ideo adam in te ut ad te reuersus tuo exemplo lapsos
consoleris & confirmes, ne scelerum immanitate ab-
sorbeantur. Atq; hic est omnium simplicissimus et ma-
xime genuinus sensus. Quid autē ista faciunt uel pro
episcopis uel pro episcoporum conditore Papa? Non
dum probarunt aduersarij quod Petrus hic typo re-
presenterit Romanā tantum ecclesiam. Tentatur sa-
nē ecclesia catholica uarijs tentationibus à satana, cu-
pit is membra ecclesiae per concissiones cribare, auxili-
liis nudatos perdere subigereq;. Sed uincit per eum
ecclesia qui orauit pro ea, qui dilexit eam & tradidit
semetipsum in mortem pro ipsa. Præterea habet illa
uaria poenitentiae & consolationis exempla, quibus
confirmantur fratres. Huius ecclesiae fides nunquam
deficit. Romanae sedis deficit. Quod si adeò hæc uer- *Contentio*
ba domini ad Petrum dicta placent, placeat & illud *apostolo-*
quod ante hæc uerba sic legitur, Facta est autem con- *rū de pri-*
tentio inter eos quis ipsorum uideretur maior. Quia *matu.*
enim audierant abiturum dominum, putabant illi u-
num ex omnibus, sicut fit in rebus mortaliū, reliquis
esse præponendum, ad quem ceu principem cæteri
omnes respectent, à cuius nutu pendeant, & qui ab-
sentis Christi uices gereret in terris, atq; ideo carnali
zelo digladiantur de superioritate ac maioritate. At
dominus contra ipsorum opinionē docet regno suo

DE EPISCOPORVM INSTIT.

non aboleri magistratum & in eius locum reponi apostolos, qui noua quadam ratione imperitent uel spiritaliter uel carnaliter. Nam reges quidem populorum nihilominus dominabuntur, inquit, & quibuscunque potestas cōmissa est à domino ut præsint populis, *ἑνεργεῖται καλοῦνται* benefici uocantur, id est in hoc instituti sunt ut benefaciant, pacem & tranquillitatem reipublicæ curent; uos autem non institui ut munere magistratus fungamini, ut dominemini, ut rebus intenditis politicis, ut uocemini principes, uerum ad ministerium ecclesiarum ad prædicationem euangelij uos ordinauit. Prima ergo cura erit ne uincat & supplantet uos ambitio, superbia aut luxus; fastus uel uitæ; quin potius summa sit inter uos humilitas, & si cui inter uos dona contigere præclara, ne præferat se alijs propter dona, sed cogitet illa esse à domino & in hunc finem collata à domino ut ecclesiæ inseruiat & quam pluribus proffit. His iungit uaria argumēta dominus. Primum à conditione ducit & aptat per collationem dicens, Vter obsecro maior est, qui accumbit an qui ministrat? Nonne qui accumbit? Accumbit autem ecclesia, ministrant mensæq; inseruiunt episcopi, proponentes conuiuiis quod acceperunt à domino uerbum dei & euangelij. Decet igitur episcopos cura & sollicitudo ne quid cuiquam desit in conuiuiis. Addit exemplum, Nonne ego me inter uos talem gessi hæcenus, quales uos esse iubeo? Nunquam ambiui imperium, imò oblatum quod scitis respui ac fugi; unde ergo ista inter uos de maioritate contentio? Dicite obsecro an toto illo tempore quo mihi adhæsisistis uel tantillum uideritis unde coniectare licuerit moliri me regnum terrenum? Certe si uerum uultis fateri, cōfitebimini uos una

unā mecum uarijs tentationibus abunde exercitōs esse. Vnde ergo oboritur illa inter uos contentio de regno: Potius disputandum fuerat de cruce ferenda & sancta patientia. Nam ablegaturus uos in orbem terrarū, ad instaurandum regnum dei, non ablegabo ut regna uobis subiiciatis aut ut imperitetis populis: sed sicut misit me pater meus, sic ego mitto uos, ut seruiatis, & ut dei iustitiam prädicetis. Quamobrem sanē multa uobis erunt perpetienda. Cæterum si constanter meis inhæseritis uestigijs, dabitur uobis mecum regni æterni consortium. Merito enim nunquam peritura coronantur corona qui calcarunt gloriam terrenam, solius dei gloriam quæsiuerunt. Hisce uero quid poterat proferri cōtra nostros euidentius? Vide enim nunc ut pudore suffusi nil habent quod respondeant. Peccastis etenim, proinde si me audieritis mutabitis mentē illam uestrā prauissimis imbutā affectionibus.

Obijciunt & illud ex Ioanne, Pasce oues meas, *Petro commissa cura*
 Verum quid illa ad Bachum? Meminisse enim oportet à Petro ter exactum esse amorem erga Christum, *gregis.*
 neque quemlibet amorem, sed ardentiorē cæteris, deinde ter item commissam illi curam gregis. Illud nimirum significatum est non esse idoneum sacerdotio nisi qui neglectis omnibus nihil amet nisi Christū, hoc est ueritatem, innocētiam pietatem: adhæc nihil huic antiquius esse debere, quam incolumitatem gregis sibi crediti. Tali autem Petro & cuiuslibet fideli episcopo commisit dominus oues, non deuorandas sed pascendas, pascendas exemplo uitæ & euangelicæ doctrinæ pabulo. D. August. Tract. in Ioā. 123. Qui, inquit, hoc animo pascunt oues Christi, ut suas uelint esse non Christi, se conuincuntur amare nō Christum, uel glo-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

riandi uel dominandi uel acquirendi cupiditate, non obediendi & subueniendi & deo placendi charitate. Contra hos ergo uigilat toties inculcata ista uox Christi, quos apostolus gemit sua quærere non quæ Iesu Christi, Nā qd est aliud, Diligis me, pascere oues meas, quàm si diceretur: Si me diligis non te, pascere cogita, sed oues meas, & sicut meas pascere non sicut tuas, gloriam meam in eis quære non tuam, dominium meum non tuum, lucra mea non tua. Hæc & alia huius generis complura in hanc rem & in uerba Christi non tam pie quàm docte scribit S. Augustinus. Quibus omnibus si conferas illa quæ hodie fiunt ab episcopis in sacra sede Romana & in aulis episcoporum, dices huiusmodi hominibus nihil minus cordi esse quàm ouium salutem, dices lupos esse nō pastores ouium. Proinde non est quod istis Christi uerbis, Pascere oues meas, suadendant tyrannidem. Quod si omnino cupiunt audire quid de ipsis proditum sit in sacris literis, legant quæ de ipsis conscripsit Ezechiel in cap. 34. audiant

Zach. 13.

Zachariam testantem, & dicentem: Et dixit dominus ad me, Adhuc sume tibi uasa pastoris stulti. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra qui derelicta non uisitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum dissoluet. O pastor & idolum & derelinquens gregē. Gladius super brachium eius & super oculum dextrum eius. Depinxit opinor episcopatum papisticum & pastores titulotenus pastores, reuera uoraces lupos uiuis coloribus propheta, qui & de interitu illorum statim subiungens dicit, Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrensens obscurabitur. Faciat autem dominus

nus quod statuit facere ad gloriam nominis sui & ue-
ritatis defensionem cito, Amen.

Quid Romano episcopo datum sit in Nicena Synodo,
& an huic omnes Occidentis Ecclesie sint subiectae.
Cap. XIII.



Ec illa quidē noua sunt quæ ex Nicenæ Sy-
nodi canonibus iactitāt egregij impostores.
Nam Romani clerici etiā S. Augustini tem-
poribus conabantur Aphricanæ ecclesie ap-
pellationes prætextu Canonū ad se rapere, sed repres-
sum fuit audax institutum uigilantia Aphricanorum
episcoporum. Ea historia cum præsentī negotio uidea-
tur plurimū allatura utilitatis & perspicuitatis, ipsam
paucis perstringam. Apiarius quidam presbyter Sica-
censis ab officio sacri ministerij deiectus est à fratri-
bus, idē ob infanda crimina. Non tamen multo tem-
pore interiecto redit Apiarius, ueniam petit, & facile
assequitur restituiturq; communioni, ea tamen lege
ne in Siccensi ecclesia hæreret. Quæ conditio hominē
grauiter torsit, ideoq; protinus Romam se proripuit
& omne negotium suum Zosimo Papæ exposuit, sup-
pliciter auxilia postulans contra Aphricanos episco-
pos. Papa uero promptior quàm prudētior statim con-
cedit Apiario Faustinum episcopum plebis Potenti-
næ unā cum Philippo & Afello Rom. ecclesie presby-
teris, qui cum illo ad Aphricanos proficiscantur epi-
scopos, causam illā ueterē de nouo orsurū. Ergo cum
uenissent in Aphricam & aduentus sui causam expo-
suisent, statim conuocatur Synodus, quæ Carthagi-
ni confluit creberrima. Interfuere enim ei Synodo
episcopi CCXVII. Coram istis quædā proposuit Fau-

stinus, deinde uero Commonitorium quoddam à Zo-
simo Papa sibi datum profert, & id publice postulat re-
citari. Erat autem huiusmodi, Fratri Faustino & filiis
Philippo & Afello presbyteris Zosimus episcopus,
Nostis quæ uobis commissa sint, uos ita ut nostra sibi
in uobis præsentia est cuncta peragite, maxime cum
& hoc nostrum possitis habere mandatū & uerba Ca-
nonum quæ in pleniorē firmitatem huic Commoni-
torio inscripsimus. Ita enim dixerunt charissimi fra-
Fictus Ca- tres in Consilio Niceno cum de Episcoporum appella-
non Syno- latione decernerent. Placuit autem ut si episcopus ac-
di Nicene cusatus fuerit & iudicari congregati episcopi eius
regionis, & de gradu suo deiecerint eū, & appellasse
episcopus uideatur, & confugerit ad beatissimum Ro-
manæ ecclesiæ episcopū, & uoluerit audiri, & iustum
putauerit ut renouetur examen, scribere his episco-
pis dignetur qui in finitima & propinqua prouincia
sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & iuxta fidē
ueritatis definiant, quod si is qui rogat causam suam
iterum audiri deprecatione sua mouerit episcopū Ro-
manum ut à latere suo presbyterum mittat, erit in pos-
testate episcopi Romani quid uelit & quid existimet.
Et si decreuerit mittendos esse qui præsentibus cum epi-
scopis iudicent habentes auctoritatem eius à quo de-
stinati sunt, erit in suo arbitrio. Si uero crediderit suffi-
cere episcopos ut negotio terminum imponant, faciat
quod sapientissimo consilio suo iudicauerit. Hæc cum
recitata essent per Daniele notarium, surgunt inter
alios Alipius Tagastensis legatus prouinciæ Numi-
diæ, Nouatus quoque episcopus & legatus Mauritanie
Sitifensis, ac protestantur bona fide obseruaturos quæ
cumque Nicena Synodo sint tradita, ista uero quæ nunc
Zosimus

Zosimus Papa Synodo Carthagiens. proposuerit per Faustinum legatum, dubia esse, cum in Græcis exemplaribus Nicenæ Synodi minime contineantur. Consulere autem ut legatio mittatur Constantinopolim Alexandriam & Antiochiam quæ inde adferat à ueris & Græcis exemplaribus rerum in Synodo Nicena gestarum certa & incorrupta testimonia. Et quanquam Faustinus charitatem & cōcordiam ecclesiarum commendaret peteretq; ne Africani episcopi Romanæ sedi præiudicarent & plus quàm decet sapere uellent, atramen in Alipij & Nouati sententiam reliqui quod dicitur iure pedibus, Faustinus autem cum suis infecta re Romam redit.

Scribuntur tamen literæ primum quidem ad Bonifacium Zosimi successorem, in quibus inter cætera, Quamuis, inquiunt, plurimos codices legerimus, nusquam tamen in Niceno consilio Latinis in codicibus legimus quemadmodum in supra dicto Comitorio nobis directæ sunt. Deinde scribuntur communes literæ ad episcopum Constantinopolitanum, Antiochenum & Alexandrinum, ad ecclesias præscas, & cum his mittuntur legati Innocentius & Marcellus, qui ex uetustissimis ecclesijs integra & incorrupta Nicenæ Synodi acta siue exēpla referrent in Africam: id quod breui etiam fecerunt. Ceterum uisis exemplaribus iustis deprehendunt Romanam ecclesiam Canonem proposuisse in medium qui in ueris exemplaribus non continebatur. Quocirca Africani episcopi excutientes Romani præsulis iugum & suam libertatem defendentes epistola ad Celestinum Papam Bonifacij successorem scripta, Deprecamur, inquiunt, ut deinceps ad uestras aures hinc uenientes nō facile ad-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Nicenum Consilium statuit contra monarchiã Rom. Pont. mittatis, nec à nobis excommunicatos in communione ultra uelitis recipere. Quia hoc etiã Niceno consilio definitum esse nouistis. Et decreta Nicena siue inferioris gradus clericos siue episcopos ipsos suis metropolitanis episcopis apertissime commiserunt. Prudentissime enim iustissimeq; uiderunt quaelibet negotia in illis locis esse finienda ubi orta sunt, nec ulli prouincie gratiam sancti spiritus defuturam, qua aqtas à sacerdotibus Christi & prudenter uideatur & constanter teneatur, imò cuilibet esse concessum si sententia fuerit offensus cognitorum ad consilia suae prouincie prouocare. Iam ut aliqui tanquam à tuae sanctitatis latere mittantur nullibi inuenimus patrũ Synodo constitutum. Quia id quod pridem per coepiscopum nostrum Faustinum ex Nicenae Synodi canonibus retulistis, in emendatis illius Synodi Actis non reperitur. Accepimus enim uera exemplaria à sancto Cyrillo coepiscopo nostro Alexandrinae ecclesiae, & à uenerabili Attico antistite Constantinopolitano ex ipso autentico transcripta. Hæc ibi, Istitis autem modis & hac constantia retinuerunt suis ecclesijs libertatem Africani episcopi.

Libertas ecclesiariũ integra. Colligimus autem ex istis cuilibet ecclesiae ac prouincie suam libertatem per Nicenum consilium manere intactam & Rom. præsulis ampullas de Nicena Synodo esse uanissimas. Imò Nicenam Synodum magis p nobis facere quàm pro aduersarijs. Quid quod ab Africani episcopis in Mileuentano quoq; consilio conscriptus legitur canon contra Rom. Pont. tyrannidem, in hæc uerba, Placuit ut presbyteri diaconi uel cæteri inferiores clerici in causis quas habuerint, nisi de iudicijs episcoporum suorum questi fuerint, uti

cini episcopi eos audiant & inter eos quicquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum. Quod si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana consilia, uel ad primates prouinciarum suarum; ad transmarina autem qui putauerit appellandum, a nullo intra Africam in comunione suscipiatur. Hæc omnia ex eo libro desumpsimus quem beatus Isidorus de priscis Consilijs composuit.

Cæterum si egregie & cum laude maxima pro ecclesijs suis & libertate ipsarum tuenda inuigilarunt adeoque & certarunt Africani episcopi, profecto gloriam non ignominiam, benedictionem non maledictionem merentur episcopi per Germaniam, Angliam, Gallias, Daniam, Boemiam & per alia regna, si qui decertant pro incolumitate & libertate ecclesiarum suarum contra Rom. Pont. monarchiam tyrannicam. Maxime cum nunc multo corruptior sit Romana quam cum ita ab ea abhorrent Africani episcopi, non Romæ nec ab episcopis Romanis, sed in Africam ab Africanis iudicari uolentes.

Quibus è fontibus manarit quod prisca illa sæcula tantum tribuerint ecclesie Romanæ. Cap. XV.



Quod autem prisca patres & sancti ecclesiarum ministri plurimum detulere ecclesie Romanæ & hanc maximis decorarunt laudibus, nihil facit ad confirmandam Rom. Pont. & Cardinalium tyrannidem, fastum & luxum. Sancta fuit *Laudis ue-* *teris eccle-* *stie Roma-* *ne.* uetus Romanorum ecclesia, illustris in fide, in sanctorum, præcipue autem in constantia ueritate. Habuit multos principes sanctos & antistites pietate et eruditione claros. Ex ijs laudem indepta est tan

tam. Athanasius enim & cæteri per Aegyptum episcopi (si modo titulus non fallit) ad Liberium Romanensem episcopum scribentes, Apostoli, inquiunt, pari honoris & potestatis cõsortio præditi, homines de lapsa ad fidem, de morte ad uitam diuinæ prædestinationis gratia ac monitis perduxerunt, quorum uestra fraternitas honoranda sequens merita & perfecte implens exempla, ecclesiam dei morum probitate & actuum sanctitate condecorat, & fide sacra Christianis moribus uigens quæ fieri deo placita præcepit, studijs pontificalibus indefinenter operatur et perficit, seruans hodie uel de Romanis episcopis uel Romana ecclesia prædicare possis? Denique cum pestiferum illud ab Ario excitatum per totum orbem flagraret dissidij incendium, & Orientis principes in oriente agentes insanirent contra orthodoxæ fidei confessores, & alios quidem relegarent in exilium alios autem exquisitis supplicijs crudeliter perimerent, Occidentis principes Romæ potissimum agentes catholicam rectamque fidem & huius confessores tuebantur ac propagabant, imò & contrariam assertionem resumptis uiribus oppugnabant proscribebantque. Hinc enim illa nobis Gratiani Valentiniani & Theodosij Imperatorum in Codice præscriptio, Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium in tali uolumus religione uersari, quam diuinum Petrum apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandria episcopum uirum apostolicæ sanctitatis, hoc est, ut secundum apostolicam disciplinam & euangelicamque doctrinam patris & filij & spiritus sancti

Qui catholici qui heretici habendi.

tri unam deitatem sub pari maiestate, & sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes Christianorum catholicorum nomen iubemus amplecti, reliquos uero dementes uasanosque iudicantes Hæretici dogmatibus infamiam sustinere, diuina primum uindicta post etiam motus animi nostri, quæ ex coelesti arbitrio sumptimus, ultione plectendos. Proinde propter uirtutes & dotes illas eximias Romanam ecclesiam orientis & occidentis ecclesiæ fecerunt plurimi, & ad hanc eum euangelicæ doctrinæ disciplinæque apostolicæ culticem respexerunt, honorantes in ipsa dona dei eximia. Præterea florebat Romæ etiam pia, liberalia & politiora studia, atque ideo plures cæteris ad occidentem barbaris nationibus & eruditiores habebat sacerdotes. Quid quod omnibus circumquaque gentibus reuerentia quædam Romanæ ecclesiæ insita erat, propter memoriam apostolorum Petri ac Pauli, qui Romæ & docuisse & sanguinem suum pro nomine Christi fuisse credebantur: Accedebat ad hæc illustris fama & opinio gloriæ urbis orbis dominæ. Et quod uicinis & remotioribus ecclesijs petentibus à Roma darentur pastores ac doctores. Erant ecclesiæ aliæ quæ ab hac ut eruditore & apostolica peterent consilia in rebus religionis difficilioribus ac dubijs, in ritibus item ecclesiasticis rite exercendis instituendisque. Et in his quidem omnibus nemini suam denegabant operam episcopi ecclesiæ Romanæ, imò sicubi audissent obortam esse ecclesiarum discordiã, & gliscere iam schismata, pro charitate Christiana satagebãt sarcire concordiam. Atque huiusmodi rebus parauit sibi Roma apud alias ecclesias laudem & existimationem splendidam, interim ipsa nihil in alias sibi ecclesias tyrannidis aut do-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Alij epi-
scopi op-
posuerunt
se Rom.
Pont.

minij uendicabat, manebat omnibus ecclesijs sua li-
bertas intacta. Nam si quid hæ crederent bene institu-
tum esse in illa, non ideo recipiebant ac imitabantur
quod crederent Romanam ecclesiam omniũ aliarum
magistram & dictatricem esse, sed quod cernerent ue-
ritatem ab illa coli & custodiri. Quod si quid obstina-
tius agere, si audatius aliquid præcipere, si quid con-
tra ueritatem tentare, si alias ecclesias premere uelle
uiderent episcopi Romani, non ilico parebant eorum
placitis atq; præscriptis aliarum ecclesiarum antistites
& decreta eorũ ceu irrefragabilia adorabant, sed sua
utentes libertate dehortabant ab instituto prauo pon-
tifices Romanos, imò & obiurgabãt grauius. Id quod
uel ex illa de paschate celebrando concertatione colligi
potest. Cum enim Asiaticæ ecclesiæ in paschate ce-
lebrando nollent recipere ritũ Romanæ ecclesiæ, sed
traditum seruari mallẽt, mox à Victore qui sub Com-
modo principe, episcopo successerat Eleuthero sepa-
rati sunt à Christianorum communione. Verum au-
di quid illa dere prodat in historia sua Ecclesiast. Eule-
bius. Ad hæc Victor Romanæ ecclesiæ episcopus per-
tinacius agens passim totius Asiæ ac uicinarum pro-
uinciarum ecclesias à communionis societate reseca-
re nititur tanquam in hæresim declinantes, & literas
mittit quibus omnes simul absq; discretionẽ ab eccle-
siastico foedere segregaret. Sed hoc non omnibus pla-
cebat episcopis, quin potius & è contrario scribentes
ei, iubebant ut magis quæ pacis sunt ageret, et concor-
diæ atq; unanimitati studeret. Deniq; extant etiam ip-
sorum literæ, quibus asperius obiurgãt Victorem ue-
lut inutiliter ecclesiæ commodis cõsulentem. Nam &
Irenæus cum cæteris quibus præerat Galliarum epi-
scopis

scopis scribens, cōfirmat quidem ut in Dominica die resurrectionis domini mysterium celebretur. Victor tamen arguit quod non recte fecerit abcidere à corporis unitate tot & tãtas ecclesias dei quæ morem sibi antiquitus traditum custodirent. Hæc leguntur apud Eusebium Cesareæ Palæstinæ episcopum lib. Ecclesiast. histo. 5. cap. 24.

Quamuis ergo prisca patres sancti multum tribuerint ecclesiæ Romanæ, dictaturam tamen & magistrum in ecclesias nequaquam concesserunt, sed ambulantem in uia ueritatis agnouerunt pro membro ecclesiæ sancto. Hoc enim nomine Romani præfules ab aliarum ecclesiarum pontificibus appellati sunt fratres & coepiscopi atq; ita salutati. Si itaq; Romanæ monarchiæ defensoribus adlubescit laus ueteris Romanæ ecclesiæ & prærogatiua ueterum episcoporum Romanorum, efficiant ut talem habeant ecclesiam qualem fuisse constat cum laudaretur à ueteribus, efficiant ut episcopi Romanenses eruditione, uigilantia, moribus, humilitate, sobrietate, constantia & modestia referant ueteris Romæ beatæ memoriæ præfules. Vbi hoc fuerit factum, nihil porro certabitur de imperio & dictatura, de maioritate & obedientia, de dominio episcoporum in reges & principes, de monarchia Romani episcopi. Pontifex enim cum omni episcoporum suorum caterua agnoscat se ministrum esse Christi, coepiscopum & fratrem nostrum, debitorem ecclesiarum, qui sua eruditione, sanctimonia & pietate in communi ecclesiæ ædificio fratres iuuat. Hoc nisi fiat, merito non pluris æstimabimus Romanam ecclesiam quam scortum Babylonicum, & ipsum Romanum pontificem, Cardinales, episcopos & presbyteros quid aliud

DE EPISCOPORVM INSTIT.

obsecro dicemus esse quàm degenerem sanctorum patrum sobolem? Quemadmodum enim ipsa pietas iubet nos magnificere priscam & sanctam Romanam ecclesiam, propter fidei sinceritatem, dignis item precibus conijs predicare ipsius antistites, propterea quod fideles Christi ministri fuerunt, sanguinemq; suum pro nomine Christi fuderunt, ita eadem prohibet laudare presentem, monstrum horrendum, ingens, crudele, superbum, impium, sacrilegum, abominabile, maledicax, prohibet nos imitari episcopos ipsius non successores, sed succisores patrum, furaces, rapaces, scelestos, diuinarum rerum imperitos, malis artibus exercitatos, sanguine & latrocinijs madentes.

Episcopum Romanum non esse uel caput ecclesie catholice, uel Christi uicarium, uel successorem apostolorum. Cap. XVI.



HÆC ad præcipua argumēta aduersariorum respondere uolui, nūc ad alia quoq; quæ subuertenda uidentur conuertimur. Aiunt episcopum Romanum catholicæ ecclesie caput, Christi uicarium in terris, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli successorem esse. De capite ecclesie primo dicemus, Catholicæ ecclesie caput non potest esse homo purus, nisi idem sit deus uerus. Hæc autem gloria solius est Iesu Christi domini nostri. Nam caput ecclesie esse est salutem, uim, lucem siue illuminationem fidelium esse, adeoq; principem supremum qui totum sanctorum cœtui per orbem dispersi, possit & uelit semper adesse, preces & uota eius audire & auxilium conferre in rebus quibuslibet. Paulus enim ad Ephesios, *Deus, inquit, excitauit Christum ex mortuis et sedere fecit*

De Capite ecclesie.

Ephes. 1.

fecit ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum ac potestatem & uirtutem & dominium & omne nomen quod nominatur, tam in præsentibus & futuro sæculo, & omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput super omnia ipsi ecclesie, quæ est corpus illius, completum eius qui omnia in omnibus adimplet. Et iterum, Vxores proprijs uiris, inquit, subditæ sitis ueluti domino, quoniam uir est caput uxoris, quemadmodum & Christus est caput ecclesie, & idem est qui salutem dat corpori. Audimus Christum ideo dici caput corporis ecclesie quia super omnia exaltatus dei filius est, qui sua plenitudine totum corpus absoluit & perficit, qui salutem dat corpori, & ut caput corpus regit, uegetat & uiuificat, sic spiritu Christi regitur, uegetatur & animatur ecclesia. Quis ergo porro diceret hominem iustissimum etiam, non dico nequam & peccatorem, esse caput catholicæ ecclesie? Noluit Ioannes Baptista, quo non est alius e mulieribus natus sanctior, dici sponsus siue caput ecclesie, contentus appellari & esse amicus sponsi, quod testatur Ioannes in 3. cap. suæ euangelicæ historiae, & Romanus pontifex id sibi usurpare audet. O impietatem & impudentiam extreme blasphemam. Rursus Capita per tropum in scripturis uocantur præsides, reges & principes populique proceres. Nam cum Saule rege loquens Samuel, Nonne cum paruulus esses, inquit, in oculis tuis, caput factus es in tribubus Israel, unxitque te dominus super Israel? Et Dauid in Psalmis canit, Eripies me de contentionibus populi, custodies me in caput Gentium, populus quem non cognoui seruiet mihi. Et hac quidem significatione si bene præsit Papa ecclesie Romanæ Caput id est antistes appellari pote

Ephes. 5.

Ioannes amicus sponsi.

Capita dicuntur reges et proceres ecclesie.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Papaty-
rannus.

Quando
et à qui=
bus unus
prælatus
est ceteris
presbyte-
ris.

rit Romanæ ecclesiæ. Pari ratione & sanctus princeps
regni sui & ecclesiæ in qua agit, sub capite Christo, se-
cundum ministerium sibi delegatum caput regni ec-
clesiæ uel sibi commissæ à domino, non impie uocabi-
tur. Vbi non uideo quo iure aut quo titulo omnia re-
gna sibi ceu uniuersali capiti subiiciat episcopus Ro-
manus. Nam uniuersale omnium regnorum & eccle-
siarum caput est Christus Iesus. Deinde singula regna
sua habent capita & suos magistratus, ministros uide-
licet Christi in rebus ecclesiasticis & politicis, quorum
ministeria si Romanus episcopus occupare, dominia
aut dictaturam in illa exercere pergat, tyrannus ab om-
nibus merito habebitur. D. Hieronym. in epist. D.
Pauli ad Titum commentarios contexens, Idem est
presbyter, inquit, qui episcopus, & antequam diaboli
instinctu studia in religione fierent & diceretur in po-
pulis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cepha
communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernaba-
bantur, postquam uero unusquisque eos quos baptiza-
rat suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum
est ut unus de presbyteris electus superponeretur ce-
teris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & nihil
matum semina tollerentur. Hæc Hieronymus. Nemo
autem putet sanctum uirum loqui de primatu & mo-
narchia præsulis Romani. Nam de singularum pro-
uinciarum episcopis loquitur. Temporibus enim S.
Hieronymi salua adhuc erat ecclesiarum libertas, ideo
singulæ prouinciæ deligebant sibi optimum quemque
quem & episcopum superintendentem ac metropoli-
tanum uocabant. Nolo hic mihi credatur nisi hoc ip-
sum quod proposui ipsis Hieronymi uerbis euincam
ac demonstrarem. Ergo postquam diuersis scripturæ tes-
timonijs

stimonijs comprobasset eundem esse presbyterū qui
 episcopus dicitur, tandem subiungit, Hæc propterea
 ut ostenderemus apud ueteres eosdem fuisse presby-
 teros quos & episcopos, paulatim uero ut dissentionū
 plantaria euellerentur, ad unum omnē sollicitudinem
 esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex eccle-
 siæ consuetudine ei qui sibi propositus fuerit esse sub-
 iectos, ita episcopi nouerint se magis consuetudine
 quam dispositionis dominicæ ueritate presbyteris es-
 se maiores, & in cōmune debere ecclesias regere, imi-
 tantes Mosen, qui cum haberet in potestate solus præ-
 esse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus po-
 pulum iudicaret. Hæc Hierony. tam sunt aperta & fir-
 ma pro nostra assertione contra aduersarios ut nihil
 potuerit uel planius uel fortius adferri. Huc quoq; fa-
 cit plurimū quod uetustas diligentissime cauit ne epi-
 scopi cæteris symmistis nō dignitate aut potestate, sed
 cura & uigilia præpositi, quicquam sibi sumerent su-
 percilij & imperij in comministros ac cōfratres. Nam *Nullus ap-
 pelletur summus sa-
 cerdos aut
 generalis
 episcopus.*
 Consil. Carthag. 3. cap. 26. in hæc uerba pronunciat,
 Decernimus ut primæ sedis episcopus non appelletur
 princeps sacerdotum aut summus sacerdos, aut ali-
 quid huiusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus.
 Et D. Cyprianus ante istā constitutionē, quanquam
 Carthagineñ. esset episcopus, in publica tamen Syno-
 do Carthagini habita stans in episcoporum corona di-
 ferte dixit, Superest ut quod singuli sentimus profera-
 mus, neminem iudicātes aut à iure communionis ali-
 quem, si diuersum senserit, amouentes. Neque enim
 quisquam se nostrū EPISCOPVM SE ESSE EPI-
 SCOPORVM cōstituit aut tyrannico terrore ad ob-
 sequendi necessitatem collegas suos adegit, quando

DE EPISCOPORVM INSTIT.

habeat omnis episcopus pro licentia libertatis & potestatis suae arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non possit, cum nec ipse possit alterum iudicare, sed expectemus uniuersi iudicium domini nostri Iesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & praeposendi nos in ecclesiae suae gubernatione & de actu nostro iudicandi. His & si planis quidem & appositis instituto nostro, longe tamen aptiora uidentur quae dixit S. Gregorius Romanus episcopus in epistola ad Mauritium Augustum, Ego, inquit, fidenter dico,

Uniuersalis episcopus antichristi praecursor

quia quisquis se **VNIVERSALEM SACERDOTEM** uocat uel uocem desiderat in elatione sua, uel **ANTICHRISTVM** praecurrit. Quia superbiendo se caeteris proponit, nec dispari superbia ad errorem ducitur. Quia sicut peruersus ille deus uult uideri super omnes homines, ita quisquis ille est qui solus sacerdos appellari uult super reliquos sacerdotes. Sed quoniam ueritas dicit, Omnis qui se exaltat humiliat, scio quia **QUAELIBET ELATIO TANTO CITIUS RUMPITVR QVO INFLATVR AMPLIUS.** Extant haec in Registro Parte 6, epist. 30. Proinde firmum iam stat Christum esse unicum ecclesiae suae capitulum uniuersale, nullumque hominem id tituli sibi sine sacrilegij & blasphemiae nota usurpare posse. Certum est parem & aequalem esse dignitatem & potestatem omnium ministrorum uerbi, nisi quod quibusdam uisum est prouinciales episcopos creare & his plus oneris imponere. Constat & prouincialibus episcopis potestatem esse potestatem & auctoritatem, imo antichristi praecursorem esse quisquis postulat se alijs praepositi principem sacerdotum uel summum pontificem salu- tari. Proinde illibata manet omnibus prouincijs & ec- clesijs

electiſſis ſua libertas, adeò ut quodlibet regnum, quælibet prouincia & urbs, inconſulto neglectoq; Pontificæ Romano capita, id eſt miniſtros, ſibi ſecundum regulam euangelij conſtituere poſſit. Hic uero tantum abeſt ut electi miniſtri regibus & magiſtratibus domi-
 nentur ut ſubſint etiam, in illis maxime quæ politica ſunt, & non pugnant cum ueritate orthodoxa. Nam ipſe dominus Ieſus didrachma ſoluìt poſcentibus, ut betq; dare Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & deo quæ dei ſunt. Manent ergo principes capita regnorũ ſuorum quæ cum in pietate recte inſtitui curant, & pios & ueram religionem defendunt, etiam eccleſiarum capita dici poſſunt. Nam principes in ueteri Iſraelitarum populo & in primitiua eccleſia non habuerunt in eccleſia partes poſtremas.

Nec minus impiũ illud eſt quod Papam uocant
 Chriſti in terris uicarium, Vicarius enim abſentis eſt, Chriſtus autem præſens eſt. Nam in euangelio, Ero uobiscum, inquit, uſq; ad cõſummationem ſæculi. Et iterum, Non relinquam uos orphanos, ueniã ad uos. Item, Rogabo patrem & alium cõſolatorem dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum ſpiritũ ueritatis. Hinc Tertullianus, Dominus, inquit, miſit diſcipulis uicariam uim ſpiritus ſancti. Proinde uel dominus eccleſiæ ſuæ non adeſt, uel Papa domini uicarius nõ eſt. Nam ſi dominus in eccleſia eſt, uicarium non habet. Vicarius enim abſentis eſt. Si ergo Papa Chriſti uicarius eſt, Chriſtus abeſt. Vbi autẽ Chriſtus non eſt, ibi regnum tenebrarum, regnum ergo tenebrarũ eſt cui præeſt Vicarius Chriſti. Deinde ſi Vicarium cum eo conferas cuius uicem in terris gerere dicitur, dices Papam quiduis potius eſſe quàm Vicarium Chriſti.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

- Math. 20.* Christus enim, Venit filius hominis, inquit, non ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq; daret animam suam redemptionem pro multis. Papa uero multorum sanguinem fundit, & omnia propè occidentis regna cōturbat ut dominetur. Christus fugit regnum oblatum. Papa rapit à iustis possessoribus. Christus, *Matth. 3.* Vulpes, inquit, foueas habēt, & uolucres cœli nidos, at filius hominis non habet ubi reclinet caput suum. *Lucæ 2.* Idem cum in hunc mundum ueniret non inuenit locum in diuersorio. Noluīt adultus hæreditates diuidere, circa preces & doctrinam occupabatur totus. Diuersa uero omnia cernas in istis egregijs, si dñs placet, uicarijs. Igitur quoties audio Papam dici Christi uicarium, supremum in terris caput & iudicem, à quo pendendæ sint leges & iura, utpote qui errare nequeat, & cui expositio scripturæ subiecta sit, occurrit illud *Danielis*, Et loquetur uerba ex parte altissimi, & putabit se posse mutare tempora et legem: occurrit & illud *D. 2. Thef. 2.* Apostoli Pauli, Non adueniet dominus nisi uenerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille scelerosus filius perditus, qui est aduersarius, & effertur aduersus omnē qui dicitur deus aut numen, adeò ut in templo dei sedeat, ostentans seipsum esse deum. Nam nemini inhaerent ista tenacius, nemini cōgruunt melius quàm Romano Pontifici, quem merito omnes pij ut antichristum execrantur ac fugiunt. Iudex supremus est filius dei. Hic tradidit nobis uerbum suum & euangelium uitæ. Quæ cum hoc dissentiūt anathema sint. Porro nihil minus est Papa quàm successor apostolorum. Quod si omnino typos querit in scripturis quibus respondeat, præsto est Balaam qui mercedem iniquitatis dilexit, præsto est Simon Magus, qui in negotijs

Successor
apostolorum.
2. Pet. 2.
2. Tim. 3.

tjs religionis & donis sancti spiritus cupiebat exercere mercaturam, unde à Petro audit, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum dei existimasti pecunijs parari. Nō est tibi pars neq; fors in ratione hac. Cor enim tuum non est rectum coram deo. Atq; hæc est illa Apostoli Petri benedictio quam sacrosanctæ sedi iam pridē dedit. Nam sicut Venetiæ nobilissimum orbis emporium sunt in contractibus & negotijs temporalibus, ita Roma totius orbis Christiani in rebus spiritualibus forum est, in quo uenū prostant cœlum, Roma emporium orbis in rebus spiritualibus. terra, sacerdotia, episcopatus, remissio peccatorū, sanguis Christi & martyrum, & quid non? Et prælati Papistici famosi illi mercatores sunt nobiles Chananæi, quorum meminit Ioannes in Apocalypsi. Itaq; Papa non habet archetypum Simonem Petrum, qui dicebat ad mendicum illum claudum, Aurum & argentum nō habeo, quod autem habeo tibi do, In nomine Iesu Christi surge et ambula, sed Simonem Magū mercatorem donorum dei. Diuus item Petrus in epistola sua, Presbyteros, inquit, qui inter uos sunt obsecro 1. Pet. 5. qui sum & ipse presbyter ac testis afflictionum Christi, atq; idem consors gloriæ quæ reuelabitur, pascite quantum in uobis est gregem Christi, curā illius agentes, non coacte, sed uolentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo, NEQVE CEVDOMINIVM EXERCENTES aduersus clericos, sed sic ut sitis exemplaria gregis. Et cum apparuerit illi pastorum princeps, reportabitis immarcessibilem gloriæ coronam. Quibus si conferas præsentem Papæ & episcoporum statum, reperies non tam igni repugnare aquam, quam exemplum doctrinamq; Petri pugnare cum illis quæ fiunt & dicuntur ab eis qui uideri uo-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

2. COR. 11. Iunt Petri esse successores. Iam uero apostolus Paulus de seipso contra calumniatores, Ministri sunt Christi inquit, excellentius sum ego, in laboribus copiosius, in uerberibus supra modum, in carceribus abundantius, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas (plagas) una minus accepi. Ter uirgis caesus fui, semel fui lapidatus, ter naufragium feci, noctem & diem in profundo egi, in itineribus saepe, in periculis fluminum, periculis latronū, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in labore & molestia, in uigilijs saepe, in fame & siti, in ieiunijs saepe, in frigore & nuditate, praeter ea quae extrinsecus accidunt incumbens mihi quotidiana cura omnium ecclesiarum. Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis offenditur & ego non uror? Et iterum, Ad hoc usque tempus & esurimus & sitimus, & nudī sumus, & colaphis caedimur, & incertis uagamur sedibus, & laboramus operantes proprijs manibus. His si componas Pontificis & episcoporum uitam, instituta, mores & aulam, iurabis uerum dixisse S. Bernhardū, qui lib. de Considerat. 4. ad Eugenium Pont. Max. Petrus, inquit, nescitur processisse aliquando uel gemmis ornatus uel sericis, non tectus auro, non uectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum, Si amas me pasce oues meas. In ijs successisti Constantino non Petro.

Corruptissimum esse statum episcoporum nostri saeculi. Cap. XVII.

Hactenus



Actenus uero fulcra aduersariorum subuer-
 timus, quibus nouam institutionem & fun-
 ctionem episcoporum suffulserūt, & in mun-
 do confirmarunt. Cum autem ista iam cor-
 ruerint: euicimus enim potestatem Papæ plenariam,
 qua ille dei instituta & ueterem episcoporum institu-
 tionem & functionem mutauit, uanā esse impiamq̃;
 nemo non intelligit & episcopatum Papæ subuersum
 iacere in cæno, rursus uera esse quæ nos tradidimus
 hæctenus de institutione & functione episcoporū, qui
 uerbi dei ministri, non ecclesiæ domini aut populorū
 & regnorum principes sunt.

Accedit ad hæc quod pontificalis illa institutio ac
 functio apostolicam aboleuit, ut nunc ipsa sese citra
 nostram oppugnationem subuertat. Nam doctrina
 apud episcopos pontificales nulla est, exhortatio &
 consolatio nulla, nulla scelerum accusatio, imò contu-
 melia ignominiaq̃ episcopalem dignitatem affecisse
 creditur quisquis è grege illo populum è cathedra sa-
 cra docuit. Hoc quanquam impium sit, mirū tamen
 non est cum uerbum dei cōtemnant, nugas quasdam
 magnifaciant, cum deniq̃ pleriq̃ episcopi indocti sint
 & rerum imperiti, utinam non impij quoq̃. Quos au-
 tem præficiunt ecclesiæ ministerijs doctores purpura-
 tos, in lure superstitionis fastus & mammonæ peritio-
 res sunt q̃ in lege dei. Hinc quoq̃ ad ordines quos uo-
 cant sacros, admittunt turbulentam & sordidā fecem
 hominum, rerum uidelicet imperitos, consceleratos,
 leues, adeoq̃ & circumforaneos uiros. Et talibus com-
 mittunt animarum salutem & gregem Christi, sangui-
 ne Christi redemptum. Ab huiusmodi hominibus ne-
 quam conculcatur hæreditas domini, corrumpuntur

DE EPISCOPORVM INSTIT.

& mores sancti & dogmata & ritus Christiani, in se-
 cum succedit doctrina mendati, superstitio, & ritus
 prophanus, denique & licentia peccandi. Interim archie-
 piflamines illi uel in curis huius sæculi uel in otio turpis-
 simo sepulti cõputrescunt. Nulla hic uigilia, nulla gre-
 gis cura, breuiter nihil apud hos reperias omnino un-
 de coniectes istos esse populi pastores. De doctrina di-
 xi nunc, quod mores & uitæ inculpatæ exemplum di-
 tinet, nulla est apud eos sanctimonia uera, nulla casti-
 tas, nulla humilitas, nulla modestia, nulla iustitia, nulla
 prorsus temperantia. Contra uero hypocrisis, simu-
 lata sanctimonia, impuritas uitæ, splendor uestitum, fa-
 stus & pompa uitæ, aulici delicatuli, porcelli A carna-
 nij, stipatores purpurati, & prodigiosus ferculorum
 luxus, satrapas potentissimos nõ humiles & frugales
 Christi ministros gregis exemplaria arguit. Studia au-
 pud eos satis quidẽ flagrant & feruent, sed studia uer-
 nitatis non curæ pastoralis. Strenue enim incumbunt
 alex, uenationibus, conuiujs, ebrietatibus, cubilibus
 & lasciujs, omniq; exercitationi impuritatis, cæteri
 lectio Bibliorum aut scriptorum ecclesiasticorum, co-
 gnitio historiarum & disputationum uirorum sapien-
 tum, uel rara uel prorsus nulla est. Preces si quæ sunt
 superstitiosæ sunt. Administratio sacramentorum cor-
 ruptissima & utinã non sit etiam sacrilega & blasphem-
 ma. Quid quod preces & sacramenta Christi, sub hoc
 pontificatu uendita sunt ab episcopis? Nota est nundi-
 natio Missarum & Vigiliarum pro defunctis. Grauiora
 sunt hæc, imò & horribilia tam dictu quàm auditu, atque
 tamen nimium, proh dolor, uera aperta imò & com-
 perta. Competunt enim in superstitionis & tyranni-
 dis Romanæ episcopos quæ in sacra historia scribuntur de

tur de filijs Heli in hanc sententiam, Filij Heli erant filij Belial, nec cognouerunt dominum. Et tyrannidem sibi sumpserunt in populum, ut cum aliquis offerret sacrificium ueniebat puer sacerdotis, cum adhuc caro coquebatur, tenebatq; tridentem in manu sua. Et incutiens illum in lebetem uel ollam, quicquid prahendebat illum in lebetem uel ollam, quicquid prahenderent illud accipiebat sacerdoti. Imò priusquã incenderent adipem, ueniebat puer sacerdotis, et dicebat uiro immolanti, Da carnem ut coquam sacerdoti. Non enim accipiet coctam à te carnem, sed crudam petit. Et cum immolans diceret, Incende prius adipem, & tunc accipe quaecuncq; desiderat anima tua, respondit ille, & dixit, Imò nunc dabis, quod si nolueris ui tollã. Præterea dormiebant filij Heli cum mulieribus quæ excubabant (secundum legem Exodi 38.) ad ostium tabernaculi testificationis. Expendamus hæc paululum obsecro. Filij Heli primarij fuerunt in populo Israelis, quemadmodum hodie episcopi primicerij sunt communionis sanctorum. Decuisset ergo ut sana doctrina & puro exemplo uitæ totum populum pertraxissent ad cultum uerum ueri & unius dei. Nunc autem quid fit? Qui primi debebãt esse in omni pietate & sanctimonia, primi fiunt in impietate & impudẽtia. Sunt enim filij Belial, homines peruersi, ratione & religione destituti, homines diabolisti, qui deum & uoluntatem eius non nouerunt, qui cupiditates suas prauas sequuntur, atq; ideo corrumpuntur toti ac in omne nephas ruunt. Fuerunt enim lurcones, uentres, ebrij, impudentes, rapaces, fures, sacrilegi, temerarij, iniuri in propatulo sine fronte et pudore in loco etiam sacro ui rapientes deo oblata et ab hominibus ad cultum importata, Exercuerunt ergo tyrannidem in rebus reli-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

gionis. Quare quid poterat dici turpius? Præterea uir-
gines & uiduas ministerijs & precibus sacris cōsecra-
tas constuprant atq; corrumpūt, & libidine sua etiā
tabernaculum & peculium dei polluunt. Quid uero
aliud hodie agunt pleriq; ex episcopis, sacerdotibus et
funestis execrabilibusq; monachis nostris? Imò tyran-
nide, sacrilegio, stupris & nephandis sceleribus super-
rant filios illos Heli consceleratissimos nephandi illi
nostri deum & hominum contemptores. Verum au-
diamus quid porrò sequatur in scriptura, Et fuit pec-
catum filiorum Heli GRANDE NIMIS coram do-
mino. Quoniam execrabantur homines oblationem
domini. Peccatum, inquit, grande nimis et per omnia
maximum est, tyrannidē exercere in religione, cum
ob alias multas causas, tum ob istā maxime, quod ob
improbritatem & impudentiam ministrorū uilescunt
& in contemptum ueniunt omnia sacra. Cum hodie
populus uidet in aulis episcoporū esse & uigere mun-
dum, cum uidet à conductitijs mercenarijs pro dena-
rio missari & sanctam uendi Eucharistiam, uilescit sa-
nè apud ipsum existimatio sacramentorū, cogitat imò
palàm dicit, omnia uana esse quæcunq; dicuntur de
deo, de anima, de religione, de spe uenturi sæculi, deq;
mortuorū resurrectione, & de puritate uitæ. Si enim
uera essent, inquit, quæ de istis rebus dicuntur, profes-
sio religionis antistites uitæ institutum mutarent, fru-
gales, sancti, humiles, temperantes, deumq; timentes
essent: nunc autem sine timore dei perinde uiuunt ac
si nullus sit deus, nihil sit anima, aut nulla sit futura ui-
ta. Quid ergo aliud cogitare possumus quàm imponi
nobis fūco religionis à sacerdotibus? Ita sanè fit ut co-
ta religio male audiat propter curiam Romanā, pro-
pter

pter episcoporum aulam & impudentem sacerdotum
 uitam. Crescit ergo propter illam corruptionē Epicu-
 reorū licentiosa, impura & maledicta turba. Verum
 quis est in culpa? Capita & primicerij Epicureorum
 Papa, Cardinales, Episcopi, Sacerdotes & Monachi,
 inimici euangelij & crucis Christi, quorum finis per-
 ditio est, quorum deus uenter, & gloria in dedecore
 ipsorum, qui terrestria curant. Pauperum uero episco-
 pi nostri adeo nullam habent rationem ut egenorum
 & miserorum nec causæ nec nomina unquam perue-
 niant ad delicatas illas pontificum aures. Alij enim
 negotijs occupantur quàm ut mēdicorum hominūq̃
 sordidorum querelas exaudire queant. Imò pauperes
 queruntur istorum auaritia & tyrannide se ad extre-
 mam redactos esse pauperiem. Iam & opes ecclesiasti-
 cas pessime dispensant. Vel enim has conferunt in ho-
 mines indignos, & ecclesiæ inutiles, in pueros, in mo-
 riones, in seruos & consanguineos suos. Vel ipsi eas
 luxu, pompa, bellis & scortatione concoquunt turpis-
 sime. Studiorum & studiosorum planè nulla cura est.
 Quin odio prosequuntur studiosos, insectatur bonas
 & pias literas hostiliter, metuētes sibi et suæ impietati,
 ne aliquando per doctos & pios uiros retegatur, con-
 uincatur & damnetur. Contra uero alunt ac fouēt ho-
 mines impuros, sophistas, impostores, loquaces, logo-
 pedalos, qui præstigijs quibusdam oculos fallant sim-
 pliciu. His utuntur familiariter, cum illis ineunt con-
 silia, horumq̃ instinctu proseribunt uiros doctos, &
 excurunt libros bonos, id est, strenue pugnant con-
 tra Christum & euangelium eius. Sed uincet tandem
 ueritas, luentq̃ isti commeritas poenas, nisi conuersi
 Christum agnouerint ueritatemq̃ sancta poenitentia

DE EPISCOPORVM INSTIT.
repperint: id quod ipsis largiatur misericors domi-
nus, Cui gloria semper,

Corruptum esse pariter & priscum Synodorum cele-
brandarum ritum & Scholas. Cap. XVIII.



Stis tamen grauiſſimis haud tamen leuiores
sunt quæ sequentur. Nam sub episcopis istis
nō tantum corrupta est institutio & functio
pastoralis, sed illud quoque corruptum est quo consecra-
uari & restitui potuerat, si qd illius fuisset collapsum.
De Synodis rite celebrandis & Scholis artium ac sa-
crarum literarum loquor.

Quomo-
do Synodi
apud pri-
scos et qui
bus de re-
bus habi-
tæ.
Veteres enim saluberrimo consilio decreuerunt
uolueruntque singulis annis singularū prouinciarum
pastores conuenire, & in cōuentu præsentibus etiam
præsidibus aut magistratu sancto ea tractare quæ ad
incolumitatem ecclesiarum seruandam, præcipue ue-
ro ad doctrinam & uitam episcoporum corrigendam
& in officio rite retinendā pertinēt. Iustinianus enim
Imperator Princeps alioqui minime malus, cultiorita-
men futurus iudicio si in meliora incidisset tempora,
modum & rationem celebrandarum Synodorum præ-
scribens, in Nouellis Constitut, 123. Veteres, inquit,
definierunt ut bis per singulos annos sacerdotum Syn-
episcoporum in quacunque prouincia celebrentur Syn-
nodi & quæ suppullularent ibi examinarētur & com-
petenti correctione sanarentur. Id cum hucusque non
sit obseruatum necessarium uidetur id denuo ad re-
ctam uiam reducere. Nos ergo cū inuenerimus multi-
tos ob hanc negligentiam uarijs implicitos esse errori-
bus atque peccatis, iubemus ut omnibus modi in qua-
cunque prouincia per singulos annos uel in Mense Iu-
lio

liouel Septembri una Synodus celebretur, coeantq̄
 in unum apud patriarchas uel episcopos presbyteri
 & agitentur caussæ fidei, quæstionum item canonicarum,
 & de administratione rerum ecclesiasticarū, uel
 de reprehensibili uita, aut alijs quæ correctionem desi-
 derant. His enim ita obseruatis laici quoq̄ magnam
 circa rectam fidem & honestam uitā profectum atq̄
 in melius emendationem promerebuntur. Iubemus
 autem & prouinciarum præsides si ista negligenter cur-
 rari uiderint, episcopos urgeant ad celebrandas Syno-
 dos: quod si eos morā neſtere & segnius ea senserint
 peragere, nos ea de re certiores reddant ut contra cun-
 ctatores conueniens à nobis procedat correctio. Hæc
 omnia Iustiniani sunt. Horū uero nulla uideas in no-
 strorum & superioris sæculi Synodis uel particulari-
 bus uel uniuersalibus uestigia. Omnia enim in illis a-
 guntur pro libidine unius tricipitis Romani præsu-
 lis, nulla uel regum uel præsidum ratione habita. Agi-
 tur item de longe alijs rebus quàm ijs quas præscripse-
 rat rex pijsimus, præcipue uero de sancto Mammo-
 na colendo, ornando ac retinendo, de superstitione,
 de potestate & priuilegijs prælatorum & ecclesiæ, de
 immunitatibus clericorū, deq̄ traditionibus patrum
 confirmandis & propagandis: item de uerbo dei et mi-
 nistris uerbi dei, hoc est de hæresi & hæreticis oppri-
 mendis, excommunicandis & comburēdis. Talia in-
 quam tractantur in istorum hominum cōsilijs. Quod
 si quis differat inter illos de reformatione morum ac fi-
 dei, protinus in sancta fide uacillare dicitur, eijciturq̄
 in tenebras exteriores. Itaq̄ erepta est omnibus in Pa-
 pisticam Synodum uenientibus libertas dicendi & a-
 gendi. Nam nemo audet contra monarchiam & leges

DE EPISCOPORVM INSTIT.

*Iuramenta
qualia exi-
gantur à
Papistis.*

Pont. Rom. ac episcoporum uel hiscere nisi libeat ca-
pitis subire discrimen. Sic inquam ordo ille sacer Syn-
nodis abusus est Synodosq; corrupit & tyrannide per-
rupit & omnibus ecclesijs & eruditjs libertatem eripuit
dicendi. Huc uero pertinet quod Doctoribus & Episcopis
certas præscripsit tyrannus formulas iuramenti quibus
omnium iudicia & sententias suæ tyrannidi & libidini cogit
inseruire. Nec grauabor huiusmodi formulas ascribere,
ut cernat æquus Lector quod inique actum sit annis
aliquot cum ecclesia, & quam nihil puduerit nebulones
istos ullius impietatis. Doctoratus ergo insignia
ambientibus in studijs uniuersalibus talis præscri-
bebatur formula, Ego N. scholaris huius scholæ N. diocesis
N. ab hac hora inantea fidelis & obediens ero beato Petro
sanctæq; Apostolicæ Romanæ ecclesiæ et domino nostro
domino N. Papæ ac eius successoribus canonice intransitibus.
Non ero in consilio, consensu, tractatu uel facto ut uita uel
membrum perdant, seu quod contra alicuius eorum
personam uel in ipsorum aut ecclesiæ eorundem seu
sedis Apostolicæ autoritatum, honorum, priuilegio-
rum uel apostolicorum statutorum, ordinationum, reser-
uationum, dispositionum seu mandatorum, derogationem
uel præiudicium, machinationes uel conspirationes
fiant. Et si ac quoties aliquid horum tractari sciuer-
o, id ne fiat pro posse impediã, & quanto com-
mode potero eidẽ domino nostro uel alteri per quem
ad illius notitiam peruenire possit significabo. Consi-
lium quod mihi per se uel nuncios uel literas creditu-
ri sunt ad eorum damnum nemini pandam. Ad defen-
dendum & retinendum Papatum Romanum & regalia
sancti Petri contra omnem hominem adiutor ero.

Aucto-

Authoritatem, priuilegia & iura quantum in me est
 potius adaugere & pmouere. Statuta, ordinationes,
 reservationes, dispositiones & mādata huiusmodi ob-
 seruare, & eis intēdere curabo. Legatos sedis Apосто-
 licæ honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adiu-
 uabo. Hæreticos & schismaticos et qui alicui ex domi-
 nis nostris & successoribus prædictis rebelles fuerint,
 pro uiribus persequar & impugnabo. Sic me deus ad-
 iuet & hæc sancta dei Euangelia. Formula uero
 iuramenti quod exigunt ab episcopis ponitur in De-
 cretalibus de Iureiurando. C. Ego, & est huiusmodi,
 Ego N. episcopus ab hac hora inantea fidelis ero S. Pe-
 tro sanctæq; Apostolicæ Romanæ ecclesie, dominoq;
 meo N. Papæ eiusq; successoribus canonice intranti-
 bus. Non ero neq; in consilio neq; in facto ut uitā per-
 dat aut membrum, uel capiatur mala captione. Consi-
 lium quod mihi uel per se uel per literas aut per nun-
 cium manifestabit ad eius damnum nulli pandam. Pa-
 patum Romanæ ecclesie & regulas sanctorū patrum
 adiutor ero ad defendendum & retinendum (saluo or-
 dine meo) contra omnes homines. Vocatus ad Syno-
 dum ueniam nisi præpeditus fuero canonica præpe-
 ditione. Legatum apostolicæ sedis quem certum esse
 cognouero in eundo & redeundo honorifice tracta-
 bo, & in suis necessitatibus adiuuabo. Limina aposto-
 lorum singulis annis uel per me uel per certum nun-
 cium uisitabo nisi eorū absoluar licentia. Sic me deus
 adiuet & hæc sancta dei euangelia. Post hanc inuen-
 ta & recepta est recensior iuramēti formula et auctior
 & ad tyrannidem tuendam apositior. Iurant enim, Pa-
 patum Romanum & Regalia S. Petri adiutor ero ad
 retinendum & defendendum cōtra omnē hominem.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Iura, honores, priuilegia & authoritatem Romanæ ec-
 clesiæ domini nostri Papæ & successorum prædicto-
 rum conseruare, defendere, augere & promouere cu-
 rabo. Nec ero in cōsilio, in facto seu in tractatu, in qui-
 bus contra ipsum dominum nostrum uel eandem Ro-
 manam ecclesiam aliqua sinistra uel præiudicialia per-
 sonarum, iuris, honoris, status & potestatis eorum ma-
 chinentur. Et si talia à quibusdam tractari nouero uel
 procurari, impediam hoc pro posse & quanto cyus po-
 tero commode significabo eidem domino nostro uel
 alteri per quem ad ipsius notitiã possit peruenire. Re-
 gulas sanctorũ patrum, decreta, ordinationes, senten-
 tias, dispositiones, reseruaciones, prouisiones & man-
 data apostolica totis uiribus obseruabo, & faciam ab
 alijs obseruari. Hæreticos, schismaticos & rebelles do-
 mino nostro uel successoribus prædictis pro posse per-
 sequar & impugnabo, &c. Habes quæ sint forma
 læ iuramenti quod præstant Doctores & Episcopi, &
 ad quæ se obstringant obsequia. Cum uero ex hoc po-
 tissimum genere hominum Consilia siue particularia
 siue uniuersalia congregentur, nemini nisi animo &
 corpore luscioso claret, quò coniuuratorũ Synodi uer-
 gant, & quid ex huiusmodi conuentibus expectet po-
 pulus Christianus. Posthac non conuenitur ad discus-
 sionem scripturarum, ad simplicitatem fidei reparan-
 dam et tuendam, ad corrigendos mores episcoporum
 & sacerdotum, sed ad opprimendam ueritatem Chri-
 sti, ad confirmandam tyrannidem & abominationem
 Papæ & episcoporum, ad subiugandos reges & deci-
 piendum subiugandumq; sanctum magistratum. Pos-
 sem hic multa exempla corruptissimorũ Consiliorum
 proferre in medium, nisi Constantiẽ. & Basiliẽ. ad-
 huc

Consilia
 Papistica
 qualia.

huc essent apud omnes in recenti memoria & iam olim innotuisset omnibus, coniuratos illos in perniciem ueritatis & libertatis Christianae confluere quoties a tyranno & monarcha Pont. Romano in Consilium conuenerunt. Proinde uel stolidum uel impium esse necesse est quisquis aliquid boni ex illorum Synodis expectat, aut qui libertatem & salutem uel suam uel ecclesiae sibi commissa coniuratis credit. Rursus qui sapit cum propheta clamat, Bonitas tua ante oculos meos est, o domine, *Psal. 25.* & complacui in ueritate tua. Non sedi cum consilio uanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo. Odiui dissipam malignantium, & cum impijs non sedebo. *Psal. 220.* Dissipat dominus consilia Gentium, reprobat cogitationes populorum, et reprobat consilia principum. Consilium autem domini in aeternum manet, cogitationes cordis eius in generationem & generationem. Et haec haec.

Quales aliquando fuerint scholae, & quid in ipsis *Scholae sub* sit agitatum traditumue delinuiimus in cap. huius libri *Papatu* 8. Ibidem ostendimus etiam quomodo coeperint *corruptae.* inclinare ad ruinam studia, & quomodo studiosorum collegia degenerarint in Monachorum & Canonico-
rum monasteria. Nunc uero quales factae sint scholae sub Papatu maximo omnium nostro detrimento didicimus. Plerique enim nostrum in hoc luto haesimus. Et ut non nihil huius negotij attingam (peculiarem enim librum conscriberet quisquis hanc corruptionem prodignitate tractare uellet) nonne Academiae quas hodie Vniuersitates uocant corruptissimae sunt? Quid enim in his audias aliud quam Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens, Individuum, substantia, quantitas, propositio, Sortes currit & Plato disputat?

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Nullus interim simplicium uocū prædicabilium prædicamentorum aut propositionum aut ularum præceptionum dialecticarum demonstratur usus. Hinc quoque sine fructu disputatur ab adolescentibus, An definitio generis sit bona: quæ tamen quæstio non nihil conferret ad definitionum naturam recte cognoscendam si methodo agerent disputatores. Stultiores & ineptiores sunt illæ quæstiones, Vtrum omne animal fuerit in arca Noe, An logica sit de primis an secundis intentionibus, Quomodo differant hæc propositiones, Roma uenditur piper, & piper uenditur Romæ, An uera propositio, Nullus & nemo mordet se in sacco, An homo mortuus possit celebrare Missam, An consequentia bona an non bona, Tu differs ab ente, ergo tu non differs ab ente, Vtrum bona sit consequentia, Deus est, ergo baculus stat in angulo, Vtrum omne impossibile sit concedendum, Prælegitur Petrus Hispanus infelix & ieiunus dialectices magister, Prælegitur Petrus phryij Isagoge elegans quidem sed male redditum & expositum, Prælegitur denique Aristotelis organon nobilissimi in hac re artificis, sed si rediret Aristoteles non agnosceret illam qua utuntur uersionem tam effabre exornatam huiusmodi flosculis, Quonia, quandoquidem, igitur, &c. Utuntur interpretibus siue expositores puditissimis Tartareto, Bricoto, Scoto, & Copulatis quibusdam terque quaterque ineptissimis, His frantantur frustrantur & seducunt optima ingenia, Nam nullus uel ex præceptoribus uel ex discipulis genuinam authoris optimi mentem ex talibus assequitur commentatoribus, Et quod maiori cum detrimento studiorum coniunctum est, nouator protinus dicitur quisquis studia iuuare & synceriores Aristot. expositores

tores Temistium, Alexandrum, Boëtium, Argyropi-
 lum, Stapulensem, ac huius ordinis alios eruditos ui-
 ros proferre in medium cupit. Descendunt ab his stu-
 dijs ad ineptiora, ad Scholasticam theologiam rixatri-
 cem illam, dubiam, loquutuleiam, uanam, indoctam
 & impiam, multarum sectarum matrem fecundissi-
 mam. In hac magistri & authores præleguntur obscu-
 rissimi, in quibus desideres & pietatē & eruditionem.
 De Disputationibus theologicis non est quod dicam,
 pinxerunt illas multi boni uiri, Erasmus maxime in
 Annot. no. test. & in Encomio stultitiæ. Olim prælege-
 bantur in Scholis sacri authores, propheta & aposto-
 li, lex & euangelium, nunc pro his leguntur disputa-
 tiones placita articuli & partes Scoti, Thomæ, Alber-
 ti, Bonauenturæ, Gratiadei, Petri Lombardi, & nescio
 quæ alia de rebus superstitionis cōfusaneæ, indocte &
 intricate scripta. Iam uero tot habet Magister in sen-
 tentijs interpretes, quot habet littus Libycum arenas.
 Tot sunt Theologorū factiones & sectæ, quot prope-
 modum monachorum genera. Omnia apud hos pol-
 luta, conscissa, contorta, obscura & corrupta sunt. In
 his tamen strophis, argutijs, sectis, nenijs & nugis pe-
 riclitantur & pereunt optima ingenia, & praua red-
 duntur pessima. Et horum hominum mente corrupto
 rum opera uniuersitatumq; beneficio in tantum ex-
 creuit monarchia Romani Pontificis & episcoporum
 fastus. Neq; enim cōmodius potuisset hoc uenenum
 toti orbi Christiano propinari quàm per Scholas pu-
 blicas, ad quas optima ingenia ex omnibus regnis
 confluebant, & redeuntes errores imbibitos suis pro-
 pinabant hominibus; atq; ita factum est ut omnia re-
 gna biberint è calice illius Babylonice meretricis, è pa-

tera iræ domini. Rursus in scholis puerorum mera barbaries obtinebat imperium. Legebantur olim studiorum uerissima Impedimēta, Modi significandi, Significationes uerborum, item poētæ quidam rancidissimi, Epistolæ Caroli, Dialogi ineptissimi, è quibus si stulisses solecissimos ac barbariem nihil reliquisses miseris. Quanquam his scholis mature subuenit quorundam optime meritorum hominum industria. Debeamus multum in hac re Italiæ & doctis quibusdam qui in Italiã ex alijs nationibus maxime Germania, Gallia & Anglia illuc capiendi ingenij cultus gratia profecti sunt. Redeuntes enim plurimum patriæ profuerunt & studia linguarum & artium restaurarunt, quorum nomina omnibus studiosis cognitissima sunt, æternumq; apud bonos florebut.

Morbi affligentes
sinceriores
scholas

Digredi hic paululum libet, & paucis de eo commentari quod in Scholis syncerioribus quædam reperuntur usurpanturq; hodie, quæ cum tēpore nouam inducent corruptionem, & in præsentem interim eiusmodi sunt, ut non magnum à discipulis fructum expectet ecclesia. Discunt enim & docent alij linguas in scholis, sed nihil amplius. Vel enim usum & finem linguarum nesciunt, uel nimiam ipsorum operam inutilem impendunt. Discendæ sunt linguæ ut quæ his prodita sunt siue de rebus diuinis siue humanis rectius intelligamus. Legendi sunt igitur auctores præcipue omnium generis, paranda ex ipsis sapientia, cognitio & iudicium rerum. Id cum sola linguarum peritia fieri non possit (nam ad intelligēdos auctores methodus in primis erit necessaria, & ut rationis dicendi non omnino inexperti simus) ideo dialecticis & rhetoricis præceptis non minori diligentia incumbendum erit studiosis

diosis quàm linguis discendis, ut tamen utrunq; cum
 modo faciamus. Inuenias enim qui perceptis primis
 apud rhetorem rudimentis & exercitationibus, nulla
 re amplius se indigere putent. Itaq; quemadmodũ su-
 periores toti linguis cognoscendis dediti, methodum
 perinde necessariam negligunt & seipfos perdunt, ita
 hi nimium confidentes tribuentesq; rationi dicēdi lin-
 guas apprime necessarias non recte discunt & seipfos
 fallunt. Sunt qui ex æquo utrisq; inuigilāt, nunquam
 tamen sibi satisfaciunt, atq; ideo in illis toti hærent ac
 consenscunt ad frugem nunquã perueniunt. Hi mi-
 hi uidentur esse similes stultis opificibus qui toto uitæ
 cursu occupant instrumentorũ & officinæ paratura,
 nunquã tamen in hanc descendūt nunquã instrumen-
 ta admovent operi aut laborant. Ideo enim linguis &
 artibus discendis operam impendimus ad tempus, ut
 illis ceu instrumentis utamur ad parandas nobis disci-
 plinas & facultates alias. Quanquam & hic quidam
 nimij sint qui in instrumentis parandis nihil peccarūt
 hæctenus. Vel enim philosophicis uel mathematicis
 intricati hærent & in his consenscunt nec unquam
 sibi satisfaciunt. His omnibus pestilentiores sunt
 qui ex studio disciplinarum nihil reportāt nisi odium
 in sacras literas. Has enim ut barbaras & incomptas
 fugiunt, imò ad Bibliorum nomen uel rident uel nau-
 sea affecti matulam poscunt. Illis ipsis nihil placet, ni-
 hil doctum, lepidum & elegans est, nisi ipsum et obsce-
 num dictu, scædum & impurum sit. Gloriantur se ex-
 pulsus authoribus barbaris induxisse in scholas poë-
 tas uenustos & Latine Græcēq; loquentes. At impij
 non uident barbarorum authorum lectione uitiatam
 tantum esse linguam iuuentutis, sed impuri poëmatís

DE EPISCOPORVM INSTIT.

usu consuetudineq; corrumpi consecratos pietati an-
 mos. Hoc autem nephando facinore quid poterat des-
 signari turpius, execrabilius magisq; abominabile?
 Pectora enim puerorum templa sunt sancti spiritus.
 Quę isti sacrilegis nugis polluunt. Merito itaq; in hos
 destomachās doctissimus ille Marcellus Palingenius
 Stellatus in Zodiaco uitæ, lib. 9. canit,
 Quid nunc in ludis pueri imprudensq; iuuentus
 Discit? fabellas turpes uel prorsus inanes,
 Ecce sedens alte præceptor, codice aperto,
 Excreat, & postquam circumspectauit hiantes
 Arrectasq; aures tyronum, uoce sonanti
 Aut tragicas laruas, aut comica scorta referre
 Incipit, aut ueterum insanos effutit amores,
 Aut quid monstruosum & sæuum & plorabile narrat.
 O caput elleboro dignum, sic pectora pura
 Imbuis? & rerum ignaros hac fruge saginas?
 Hoc sale conditur tenera & petulantior ætas?
 Non pudet his nugis absumere turpiter æuum?
 Hinc tot ubiq; uides prauos, tot ubiq; scelestos,
 Hinc & tanta seges uitiorum crescit ubiq;
 Quando nulla animis cultura adhibetur honesta.
 O corruptores non cultores puerorum.
 Discite uos prius, inde alijs ostendite rectam
 Viuendi formam, & sanctos inducite mores.
 Ne pecudum ritu uitam ducatis inertem.

Quomo-
 do mederi
 possit mor-
 bis,

Si igitur saluas uolumus scholas, si studia salua, si
 ex animo bene uolumus ecclesię & reipublicę matu-
 re ac in tempore nondumq; collapsis & deploratis re-
 bus consulemus. Poterit autē hoc modo rebus nunc
 nonnihil afflictis consuli. Principio si in scholis nihil
 legatur pueris nisi castum sit, honestū & ad pietatem
 bonosq;

bonosq; mores utile: rursus si explodantur lasciuī & impuri poëtae, nil aliud propemodū tractantes quā deorum adulteria, scortorum impudentiam, & artes lenonias, supra & immunditias, spurca, scurrilia, uana. Quod si hoc consiliū nostrum quibusdam nimis theologicum uidetur, legant isti quibus adeo omnis puritas cordi est Platonem suum in 2. & 3. lib. de Repub. Si uero etiam hic uidetur nimis esse philosophus, audiant Iuuenalem poëtam in 14. Satyra in hæc uerba canentem,

Nil dictu foedum uisuq; hæc limina tangat
Intra quæ puer est, procul hinc procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti,
Maxima debetur puero reuerentia, &c.

Et quorsum pertinet obsecro puerorum pectora lætali inficere ueneno & pudendis imbuiere impuritatibus cum castiores extent authores, è quibus æque doceri potest puritas linguæ uel Græcæ uel Latinæ, imò uita probitas morumq; integritas melius, quā ex impudicis & lasciuis quibusdam lenonibus: Oportet certe animum esse peruersum & reprobū, qui puritat iudicium & usum linguarum non posse nisi ex luxuriantis istis uenenatisq; hauriri fontibus. Deinde quod artes maxime autem dicendi rationem attinet, ne negligatur in ijs iuuentus, sed exerceatur in ipsis ad tempus, non in præceptionibus modo, sed in exemplis puris copiosisq;, in excutiendis scriptoribus bonis & ad præceptiones adhibitis, in stilo quoq; exercendo & declamationibus. Hinc uero transferant omne studium ad philosophica & mathematica. Vbi tamē ut in omnibus alijs illius meminisse oportet, Ne quid nimis. Nam nunquam placuit uel ueteribus phi-

Nimium
philoso-
phiæ stu-
dium.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Iosophis nimium philosophiæ studium. Callicles enim apud Platonem in Gorgia, Philosophia sanè ô Socrates, inquit, gratiosa res est & uenusta si quis illam moderate & in adolescentia attingat, sin autem supra modum tempus in ea contriuerit, hominum est corruptela. Quamlibet enim quis amoeno, bono, acriq; ingenio sit præditus, tamen si diutius & ultra ætatem philosophetur, necessario omnium rerum imperitus euadet, &c. Quod enim quidam nimium philosophi ueterum exempla utpote Iustini, Origenis & aliorum proferunt, longe aliam illi rationem sequuti sunt. Fuit enim ipsis negotium cum hominibus uel philosophis uel philosophia imbutis. Id quod nobis nõ incumbit. Fuerunt & aliæ causæ ob quas isti adeò diligenter philosophicis incubuere. De quibus pluribus agit Ioan. ille Franciscus Pictus Mirandulanus lib. de humana & diuinæ philosophiæ studio priore. Præterea cõstat istos in philosophicis & rhetorum præceptis non habuisse perpetuo, sed tandem omnia studia sua conuertisse ad literas sacras ceu certum & unicum omnium studiorum scopum. Eundem ergo scopum præfigant sibi quicunq; ecclesiæ ærario educati cupiunt ecclesiæ uices rependere. Qui studiis suis nullum certum præfixere scopum, nesciunt in quem finem discant, & similes illis sunt qui strenue quidem iter ingrediuntur sed quò eundum sit nesciunt. Horũ labor inanis est. Communis omnium studiorũ scopus nullus alius esse uidetur quàm PIETAS in deum & in patriam. Ideo enim discendæ sunt linguæ, disciplinæ, scripturæ, iuris prudentia & professiones aliæ, ut pii simus, ut deum reueramur, ut sancte uiuamus, ut proximus pluribus, ut consilio, oratione & modis omnibus gloriam dei & reipub.

Scopus studiorum.

reipub. tranquillitatē promoueamus, opprimamusq̄
 contraria, Huc conuenit omnium studiosorum men-
 tes conuertere, huc debēt omnes institutiones & præ-
 lectiones ludimagistrorū inclinare ac dirigi. Atq̄ hic
 non nisi optima in re qualibet puto deligenda præle-
 gendaq̄ esse à præceptoribus. Pulchre enim Erasimus
 in Concionatore suo, Præceptorum, inquit, est mori-
 bus ac disciplinis instituere pectus deo consecratum
 ijs præsertim quæ propius ad docendū faciunt faculta-
 tem. Quemadmodum enim non inscite dixit quidam
 eum eruditum appellandum esse, non qui didicerit
 plurima, sed qui optima maximeq̄ necessaria, ita non
 est necesse ut futurus ecclesiastes in quibuslibet con-
 sumat operam atq̄ ætatē quæ fugax est ac breuis, sed
 ea primum ac potissimum discat quæ ad docendū mu-
 ret compendij, ait, si ex optimis præcipua tradantur,
 idq̄ commodissime, si quæ ad ostentationē aut super-
 stitionem tendunt refecentur, si singulæ disciplinæ ad
 mediocritatem percipiuntur non ad curiositatem. Me-
 diocritas enim finem habet, curiositas semper incipit. »
 Et quæ sequuntur. Nam copiose hunc locum pertra-
 ctat. Hæc uero hætenus de eo diximus quomodo ca-
 ueri queat ne denuo corrumpantur scholæ quæ do-
 mini benignitate à Papismo expurgatæ puriores esse
 & optima ingenia intricant polluunt ac perdunt, ibi
 principum ac magistratus prudētia uigilare pestemq̄
 religionis & reipub. expurgare debet, restitutis bonis
 & pijs studijs ad exemplum ueteris ecclesiæ & prisca-
 rum scholarum, de quibus differui in cap. huius libri
 VIII. Audiuimus enim in hoc cap. quantū illa scho-

IOAN.
LODO.
VIVES.

larum sub Papatu corruptio incommodarit reipublicæ ecclesiæq; Christianæ. Proinde nisi hic uigilet regum & sancti magistratus industria, actum erit & de libertate & religione uera. In scholis enim omnis spes & seges ecclesiæ & reipub. constituta est. Ioannes Louuicus Viues scripsit de Corruptis & Tradendis disciplinis lib. 20. Appolline et immortalis gloria dignos, qui mire ad reformationem studiorum iuuabunt bene uolentes studijs. Hæc per digressionem disputauimus, redimus iam ad institutum.

Non esse uel iniquam uel nouã querelam, institutam contra Rom. Pont. tyrannidem & episcoporum corruptionem. Cap. XIX.



AT qui non erant sic protrahendi sacerdotes dei & populi patres, tametsi corruptissimi sint, inquit aduersarij, cum ipse etiam de minimus sacerdotes uoluerit honorari. Cæterum farcor etiam ego honorandos esse sacerdotes, sed qui reuera sacerdotes sunt & populo siue gregi dominico bene præfunt. Et cū talibus in præsentis nihil contendo neque ista in ipsos dicta uolo, contra pseudosacerdotes agere, qui cum nihil eorum habeant quæ ad sacerdotes Christi pertinent, indigni profecto sunt quibus aliquis honor, bonis debitus, deferatur, aut ut ipsis parcatur propter ministerium. Sunt enim nebulones incorrigibiles, imò & sanguinarij, qui in monitores suos hostiliter, crudeliter, immaniter & plus quàm beluina rabie deficiunt, innoxios ferro flamma & carceribus persequentes. Nunquam defuit extrema cõmeritis Mezentij diuina bonitas. His enim omnibus sæculis Mezentis res & prophetas misit, uerum quàm ingrati fuerint & in deum

in deum & in bene meritos homines, uel solum de
 HVSSIO ET HIERONYMO PRAGVNDQ sup
 plidium atrociter & perfide sumptum declarat, Supe-
 rioribus annis excitauit dominus spiritum, Helix in
 D. MART. LUTHERO uiro magnanimo, & in reli *Martinus*
 gione uera restauranda excellentissimo, Nihil hic atro- *Lutherus.*
 cius aut iniquius designauit in pceres ecclesiasticos,
 sed magna utens prudentia & aequitate primū ipsum
 adoritur negotij caput Pont. Rom. Leonē x. & hunc
 adhortatur ut pietatem colat & propaget, superstitio-
 nem excindat. Extat etiamnum egregius & sanctus li-
 ber Leoni x. de Libertate Christiana inscriptus, & an-
 nis ab hinc decem & octo euulgatus. Sed quam retu-
 lit ab isto gratiam? Damnatus est Lutherus à sede Ro-
 mana, & nomen optimi ac orthodoxi uiri relatum est
 in catalogum sceleratissimorum hæreticorum. Nihilo-
 minus in sancto instituto prexit Lutherus, & impios
 illos nebulones tractauit p merito, & euangelio Chri-
 sti non Saxones modo sed alios Germaniæ populos
 ad ueram religionem pertraxit. Interim uero quàm
 poenitentiam egerunt illi contra quos certamen susce-
 perat iste? Quid obsecro promouit apud illos iste suis
 adhortationibus, increpationibus et minis? Obriguif-
 se & in morē Pharaonis induratos esse dices si uerum
 fateri uoles. Dum autem illa à Luthero apud Saxo-
 nes agerentur, in Heluetijs HVLD. ZVINGLIUS *Huldry-*
 sanctæ memoriæ antistes ecclesiæ Tigurinae, regnum *chus Zuing-*
 dei prædicat, & spiritu Helixe antichristi regnum stre *glius.*
 nue oppugnat, capit & diruit. Per initia tamen consi-
 lia sua de reformanda ecclesia communicat cum Mat-
 thæo Cardinale Sedunensi episcopo, rursus cum alijs
 proceribus ecclesiasticis cōmonens & ugens ut per-

gant in ea uia in qua omnino eundem sit, modo suo officio satisfacere uelint. Mundū enim recepisse ocularios, uidere iam plebeios etiam quid uerum quid uerum falsum sit. Rursus in aperto esse abusus in ecclesia innumeratos, in aperto esse uitam & doctrinā episcoporum ac sacerdotū pugnare cum euangelio Christi, in aperto esse religionem in summam uenisse corruptionem. Ipsorum autem esse omnia ad regulam uerbi dei reducere ac reformare nō malint exauthorari & tanquam infatuatum sal conculcari ab hominibus. Verum isti monitorē non tantū neglexerūt & impoenitenti corde prexerunt in uia malitię, sed & notarūt macula hereseos tandēq; insidijs & artibus suis oppresserunt ut rē orthodoxū & immortalī gloria dignū. Quid quod uterq; tam Lutherus quā Zuinglius prepostera Romanę sedis liberalitate, hoc est impudentissima indulgentiarū nundinatione coactus est illis se lupis prædatoribus rapacibus furacibusq; pro grege Christi domini opponere. Nam ut in Saxones & Mysos uenerat Dominicafter quidam mercis suę præco immo dicitur, miseram plebeculam facultatibus suis spolians, ita in Heluetios sub annum domini 1519. ueniebat Franciscanus quidam Samson Mediolanē. nugitendus Romanus, grandis belua & os impudens, sancte deiurans animas fidelium propter largas illas à sanctissimo concessas indulgentias, protinus è campo ecclesiastico seu cœmiterio instar auium euolare in cœlum. Hęc deprædationes imposturę, hęc impudentia & sanguinis Christi conculcatio haud debebat à benignis prophetis cōmode & surauiter sed à seuerissimis acerbissime accusari, protrahi & flagellari. Agit nunc **XX**, huius certaminis annus, uerum quod modo dixi, nihil

Mercis indulgentiarum.

xi, nihil effecit apud homines illos certe deploratos uel
 la increpatio sanctorum. Effusi sunt omnes isti ceu fe-
 rocientes equi in cursum suum insanum, proculcan-
 tes quæcunq; habuerunt obuia, imò ne hodie quidem
 uel tantillum de furore suo remittunt, & in diem capi-
 unt consilia quibus ipsam ueritatem euangelicam, mi-
 nistros huius, reges, principes & magistratus, deniq;
 innumeras urbes & plebes ueritatis cultores oppri-
 mant, conculcent & ad nihilum redigant. Igitur quid
 agas cum huiusmodi hominũ genere? quid expectes
 ab impœnitentibus & induratis? aut quis parceret ob-
 sinatis in omni nequitia impietate & conscleratio-
 ne? aut quis eos ut domini sacerdotes reuereat quos
 pudet iustitiæ poenitentiæ & euangelij Christi? quibus
 uolupte est quicquid sacris literis & sanctæ dei uolun-
 tati aduersum est, belligerari, prodere, sanguinẽ mar-
 tyrum fundere, sanctos in exilium eijcere, ueritatem
 p̄scribere, & omnia latrocinijs, sacrilegijs, & parrici-
 dijs miscere, regna inter se committere, & omnem pa-
 cem & religionem conturbare? Cessent ergo nobis ob-
 iicere sacerdotij dignitatem & honorem. Quod si om-
 nino cupiunt sibi eum honorẽ impendi qui seruis dei
 debetur, fiant prius serui dei. Sin pergunt esse quod
 sunt mancipia satanæ & ministri omnis iniquitatis &
 abominationis, audiant celebre prouerbiũ, Malo no- *Sacerdotũ*
 do malus competit cuneus, audiant quod nolunt qui *corruptio*
 omnino faciunt quod uolunt. Nam impœnitentium *sæuius est*
 scelera taxanda non tantum perstringenda sunt. Di- *inrepan-*
 xit sanè apostolus, Seniore[m] ne sæuius obiurges, sed *da.*
 loquitur de senibus poenitentibus ac reuerendis. He-
 li benignus pater trepide filiorum peccata attigit, &
 cum obiurgare debuisset peruerit ordinem & admo-

net, blandiuscule quidem & pauide ad turpissimos nebulones, dicens: Quamobrem facitis res istas? Audio enim rem malam de uobis. Nequaquam filij mei. Non enim bona est ista fama quam audio, quod prauaricari facitis populum domini. His adhibet rationem, Si peccauerit homo in hominem, arbitri poterunt esse iudices, si autem homo peccauerit in deum, quis arbitrum aget illius? Audis quam molliter maxima increparit scelera. Libere dixisset id quod res erat, Latrones estis crudelissimi, sacrilegi impiissimi, concupiscentes uirginum & uiduarum foedissimi, & proditores dei & populi omnibus modis perfidi, indigni qui apellamini Leuitae ministri & sacerdotes dei nostri. Nunc ergo respiscite aut expectate diuinum iudicium quo propter nephanda scelera a populo discerpamini & animae uestrae aeternum arsurae deferantur ad inferos. Certe dominus illum corripiendi modum molliorem non approbans, uirum prophetam ad Heli mittit, qui iusta ratione increpitet. Hic ergo ueniens primo recenset beneficia domini collata domui Heli, deinde cum stomacho infert, Quare conculcastis sacrificium meum & oblationem meam quae praecipitur in tabernaculo, & honorasti filios tuos plus quam me, ut saginetis uos de oblationibus populi? En haec uera & prophetica est libertas, hic est iustus increpandi modus, rebus propria dare nomina ut ligo ligo ficus uocetur ficus. Hic ergo nihil dissimulat, Conculecastis inquit, sacra mea, quasi uidelicet ea hara porcorum sit quae sacrorum ara est. Authores estis omnis qui in plebe est neglectus numinis & consclerationis. Nihil curastis gloriam nominis mei, uentres autem curastis & ut cutis uestra splendeat nitescatque. Hic scilicet labor ue-

ster,

ster, hic cultus, hæc est uestra religio. His statim subdit
 pœnam, Deiciam ergo uos à sacerdotio in summam
 ignominiam & mēdicitatem. Et semen tuum uidebit
 magno cum liuore & dolore æmulos, quibus modico
 pro stipendio seruiet. Diserte ergo dicendum corru-
 ptoribus religionis quid eos maneat, quid breui futu-
 rum sit. Nam & Michæas, Sacerdotes eius, inquit, do- *Mich. 3.*
 cebant pro pretio, & prophetae eius diuinabant pro
 pecunia, interim super dominum innitentes, dicebāt:
 An non dominus est in medio nostri? Nullum in nos
 deriuabitur malum. Ob id propter uos ipsa Zion ara-
 bitur ut ager, & Hierusalem erit aceruus, et mons tem-
 pli excelsum syluæ. Vastatio itaq; seditioes, cædes et
 omnis generis mala prædicenda sunt istis nebuloni-
 bus. Et cum hoc fit nil peccatur in dignitatem sacerdo-
 talem. Nam illi apud quos nullæ rationes ualent, nul-
 læ adhortationes ad pœnitentiam, nihil minus sunt q̄
 sacerdotes.

Quod uero addunt hanc querelā & hunc iurgan- *Veterem esse que-
 ritum nouum esse & nuper à furiosis esse que-
 ritum Germanis, qui primi hanc tragœdiam con- lam que
 tra sedem Romanam & sanctissimum cœtum & Car- fit contra
 dinalium & episcoporum incœperint, scientes men- episcopos.*
 tiuntur. Nullum enim sæculum, nullū propè regnum
 bonis & sanctis uiris caruit, qui non questi sint de in-
 iuria & corruptione episcoporum. Id cum multis pos-
 sem probare testibus, adducam modo unum atq; alte-
 rum non Germanum quidem, sed uel Italū uel Gal- *BER-
 NAR-
 DVS.*
 licanū. Et primus quidē prodeat S. Bernardus Abbas
 Clareualleñ. Hic ante annos quadringentos libros v.
 scripsit ad Eugenium Papā, atq; in ijs Papam, Episcopos
 reliquosq; ecclesiasticos pœcetes increpat grauissime.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Dignitas
episcopo-
rum.

Idem in Sermone quodam ad Clerum in Consilio Remensi cōgregatū, minime obscuro sermone, aperte diserteq; in faciem oībus episcopis dixit, quæ nunc sequuntur. Dico uobis fratres mei episcopi, multum exaltauit uos deus. Vos estis sal terræ, sicut dicit dominus in euangelio. Vos estis lux mundi, Ego dixi dii estis & filij excelsi omnes; ueruntamen sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. Fratres duo mala magna restant, mors & iudicium. Dura est enim cōditio mortis, & ideo rarus est qui uelit mori. Vnde uero cadēt uel quò? De latere domini in profundum inferni. Fratres aliam Synodum denūcio uobis ubi dominus deus sedebit in iudicio, & ibi nos omnes oportet præsentari, & ibi deus iuste iudicabit orbem terrarum. Hic includitur iustitia in mar supio, ibi iudicabit iusto iudicio, & ibi oportet nos omnes præsentari siue sit Papa siue Cardinalis siue Archiepiscopus siue Episcopus siue diues siue pauper siue doctus siue indoctus ut referat unusquisq; quod gessit in corpore siue bonum siue malū. Iam si reddenda est ratio eius quod quisq; gessit in corpore suo, heu quid fiet de his quæ quisq; gessit in corpore Christi quod est ecclesia? Ecclesia dei uobis commissæ est & dicimini pastores, cum sitis raptores. Et paucos habemus heu pastores, multos autem excōmunicatores; & utinam sufficeret uobis lana & lac, sititis enim sanguinem.

Quæ in e-
piscopis
necessaria

Quatuor tamen in his qui præsumt ecclesiæ dei necesse esse præ omnibus reor, uidelicet ut per ostium intrent, ut in humilitate se contineant, aut auaritiam declinent, & munditiā tam corde quā corpore seruare studeant.

Sed quid prodest si canonice eligantur (quod est per

per ostium intrare) & non canonice uiuant? Dixit dominus ad duodecim, Nonne ego uos duodecim elegi & unus ex uobis diabolus est? Domine Iesu cum esset electio illa in manu tua, quare elegisti diabolū episcopum? Fratres sic facit Iesus hodie eligens sibi multos diabolos episcopos.

Vbi pro dolor reperiemus episcopos qui post ad Episcoporum humilitas.
eptam dignitatem in humilitate se contineant? Nempe superbia eis occasio est ut ad tantam dignitatē aspirarent, ut in ouile Christi impudēter irrumpant, cum tamen per Psalmistam dominus dicat, Non habitabit in medio domus meae qui facit superbiam. Sunt quidam cum Iesu episcopi, sed nō in medio domus eius. Quia amant & faciunt superbiam, parentes suos extollentes, pauperes autem negligentes & deprimentes. Male uiuunt & subiectos male uiuere uolūt, Et ideo comparantur apostatae angelo qui dixit in corde suo, Ponam sedem meam ad Aquilonem, Quid est diabolium ad Aquilonē sedem uelle ponere, nisi superbū quempiam & impiū super suos similes à charitatis calore uel sapientiæ luce alienos principatum appetere uel adeptū tenere? Talis erat Absolom super filios Israel patri suo rebellis principatū appetens. Talis erat Hieroboam qui peccauit & peccare fecit filios Israel in uittulis aureis.

Porrò episcopi huius temporis auaritiā quomodo Episcoporum auaritia.
declinent? Quod enim sine miserabili gemitu dici non potest, Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem & mortem, hæc omnia in fornace auaritiæ conflagrant & profligant in acquisitionem turpis lucri, & pretium uniuersitatis suis mar supijs includere festinant, hoc solo sanè à Iuda Ischariote differen-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

tes quod ille horum omne emolumētum denariorum numero cōpensauit, isti uoraciore ingluuie lucrorum infinitas exigunt pecunias. His inīatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant timent, & cum amittunt dolent, harum in amore quiescunt. Animarum nec ca- sus reputatur nec salus. Non sunt profecto patres qui cum sint de crucifixi patrimonio nimisū in crassati im- pinguati dilatati, non patiuntur super contritio- ne Ioseph. Archipresbyter circuit obedientiā sibi crea- ditam, & ut impleat saccum suum tradit sanguinem iustum. Vēdit nempe, homicidia, adulteria, incestus, fornicationes, sacrilegia, periuria, & usq; ad summū implet manticam suam. Fama igitur uolante innotes- scit episcopo talis quæstus, et accersito archipresbyte- ro, Da mihi, inquit, partem meam. At ille, Nihil dabo tibi. Econtra episcopus, Si non dederis, inquit, mihi partem meam, auferam tibi omnia, sitq; altercatio ma- xima & propter auaritiā sit discordia. Postea uero archipresbyter reuoluens secū quod autoritate epi- scopi fungatur potestate ista, & quod sine gratia ipsius nihil possit, peruerse conuersus, Pœnitet, inquit, me, accipe partem tuam, & insuper de parte mea quod be- neplacitū fuerit tibi, & ita reconciliantur. Sed quem- admodū Pilatus & Herodes reconciliati sunt & Chri- stus crucifixus est, sic isti quidē reconciliantur & pau- peres Christi spoliati sunt. Quis obsecro laicorum au- dius clericis quærīt temporalia & ineptius uitur ac- quisitis? Cum tantum fastum uideant laici in suppel- lectili clericorum, nōne potius inuitantur ad mun- dum diligendum quā negligendum? Medice cura te ipsum. Si mundum prædicas contemnendum, con- temne tu prius. Da uoci tuæ uocem uirtutis, consonet uita

dita uerbis, & statim erit in ore tuo uiuus et efficax ser-
 mo dei & penetrabilior omni gladio ancipiti. Non sic
 profecto est, sed sicut populus sic & sacerdos, sicut lai-
 cus sic & clericus. Vterq; cupit, uterq; diligit mūdum
 & ea quæ in mundo sunt. Laicus tamen cum labore,
 sed clerici sine labore uolunt possidere totū mūdum.
 Communicare uolunt cupiditati & superfluitati ho-
 minum, sed non labori, Peccare uolunt, sed non fla-
 gellari cum hominibus, unde metuendum est ne fla-
 gellandi sint cum dæmonibus. Quomodo uero sæcu-
 lares non expenderent substantiam suam ad uitam lu-
 xuriosam etiam præsentibus sacerdotibus, quomodo *LUXUS.*
 non intenderent uanitatibus & lenocinijs huius sæcu-
 li, quomodo non essent insolentes & elati, cum tantū
 factum, tantam insolentiam uideant sacerdotū? Non-
 ne in præsentia eorum irreuerēter abutimini eleemo-
 synis pauperum? De patrimonio crucis Christi nō pa-
 ratis codices in ecclesijs, sed pascitis pellices in thala-
 mis uestris, impinguatis carnes, adornatis equos fale-
 rantes pectora & capita deaurando. En tempora ista
 planè fœda à negotio perambulante in tenebris. Qua-
 propter uæ generationi huic à fermēto pharisæorum
 quod est hypocrisis, si tamē hypocrisis dici debet quæ
 iam latere præ abundantia non ualet & præ impuden-
 tia non quærit. Et sic serpit hodie putrida tabes per o-
 mne corpus ecclesiæ, quo latius eo desperatius, eoq;
 periculosius quo intestinius. Nam si insurgeret aper-
 tus hæreticus mitteretur foras & aresceret: si uiolētus
 inimicus, absconderet se quis forsan ab eo, nunc quo-
 modo abijciet aut quomodo abscondet se? Omnes a-
 mici & inimici omnes necessarij, omnes domestici &
 nulli pacifici, & quæ sua sunt quærunt omnes. Mini-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

*Aulae epi-
scoporum
et habitus.*
 stri Christi sunt & seruiunt antichristo, honorati incedunt de bonis domini, cui honorem non deferunt. Inde est eis quem quotidie uidemus meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde autem in frenis, aurum in sellis & calcaribus. Plus nitent calcaria quam altaria. Inde mensae splendidæ & cibis & poculis. Inde commestationes & ebrietates. Inde cithara & lira & tibia, redundantia torcularia, promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, Inde dolia pigmentaria, Inde referta marsupia. Huiusmodi sunt & uolunt esse ecclesiarum præpositi, decani, episcopi, & archiepiscopi. Omnes quærunt quæ sua sunt, diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornatu, circumamicti uarietate, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam thalium repente eminus prodeuntem aspiceres, sponsum potius putares quam sponsæ custodem? Vnde uero hanc illis exuberare æstimes rerum affluentiam, ueritium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem uasorum aureorum & argenteorū, nisi de bonis sponstis? Interim hæc pauper, inops & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida & exanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare, non est custodire sed perdere, non est defendere sed exponere, non est instruere sed prostituere, non est pascere gregem domini sed maclare & deuorare, dicente domino de illis, Qui deuorant plebem meum ut cibum panis. Et iterum, Quia comederunt Iacob & locum eius desolauerunt, Et in alio propheta, Peccata populi comedent, Quasi dicat, Peccatorum pretia exigunt, & peccantibus sollicitudinem non impendunt.

Quem

Quem dabis mihi de numero episcoporum qui non plus inuigilet subditorū marsupijs euacuandis quàm uitijs extirpandis? Vbi est qui flectet iram? Vbi est qui prædicet annum placabilem domino? Propterea relinquamus istos, quia nõ sunt pastores sed traditores, & imitemur illos qui uiuentes in carne plantauerunt ecclesiam sanguine suo. Et quidem isti sortiti sunt ministerij locum sed non zelum. Successores omnes cupiunt esse, imitatores pauci. Utinam tam uigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram, uigilarent utiq; sollicitè seruantes sibi commissam ecclesiam, imò uero uigilarent pro semetipsis, nec sine- rent de se dici, Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt. Iusta omnino querimonia, nec ad ullam iustius quàm ad nostram referenda ætatem. Parum est nostris pastoribus quod non seruant nos, nisi & perdant. Grauius quippe dimer- si obliuionis somno ad nullum dominicæ communica- tionis tonitru expergiscuntur, ut uel suum ipsorum periculum expauescant. Inde est quod non parcant suis qui non parcant sibi, perimentes pariter & pere- untes.

Restat dicendum quomodo episcopi & sacerdotes *Episcopo- rum casti-
tas.* huius temporis castitatis sanctimoniam (sine qua ne-
mo uidebit deum) tam in corde quàm in corpore stu-
dent obseruare. Certe dominus dicit in euangelio ad
episcopos, Sint lumbi uestri præcincti, castitatem non
approbans tantum, sed imperans quoq;. Isti autem ca-
stitatis insigne qualiter custodiunt, qui traditi in repro *Rom. 1.*
bum sensum faciunt quæ non cõueniunt? Quæ enim
occulte fiunt ab episcopis turpe est uel dicere. Melius
igitur arbitror super hoc dissimulare & supersedere,

DE EPISCOPORVM INSTIT.

quàm aliquid unde scandalizentur innocentes & inuexpertum dicere. Sed cur uerecundor ea dicere quod ipsi non uerecundantur facere, imò quod apostolus non uerecundatur scribere & prædicare? Dicit autem egregius prædicator, Masculi in masculos turpitudinem operantur & mercedem sui erroris recipiunt. Fratres factus sum insipiens, uos me coegistis. Hæc omnia ad uerbum S. Bernardi sunt.

*Marsilius
Patauinus
in sacerdotum
infortia & cor
ruptelam.*

Ante annos ducentos composuit Marsilius Patauinus opus egregium quod Defensorium pacis inscriptum est. Hic in Dictione, 2. cap. 24. Quis, inquit, non mirabitur aut stupebit diuinarum scripturarum ignaros, innoxios, morum conueniente grauitate carentes, inexpertos, indisciplinatos, & quandoque notorie criminosos ad maiores ecclesiæ thronos esse præfectos Simoniaca prauitate, uel prece potentum, non dico quandoque terrore obsequio uel sanguinis affinitate, repletis aut neglectis scripturæ sacræ doctoribus uiribus honestate probatis? Et quod referre pudet, quamuis non pigeat, quia uerum, episcopi nostri neque prædicare populo uerbum dei, neque hæreticorum si qui apparuerint nouerunt erroneis aduersari doctrinis, sed in prædictis euentibus impudenter mendicant aliorum doctrinas, cum tamē dicat doctor Gentiū in 1. ad Timoth. 3. quod oportet episcopum esse doctorem, amplectentem eum qui est secundum doctrinam fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere, ut idem scripsit ad Titum 1. De relictis uero prælatis inferioribus Abbatibus & Prioribus & reliquis ecclesiarum Curatis testē inuoco deum immortalem ueritatem, numerosam ipsorum multitudine, uitæ atque doctrinæ sufficientis exortem, sicut etiam exortem

exortem esse ut grammaticæ nesciant ipsorum quàm
 plures congruum proferre sermonem. Quid autem
 de temporalium dispensatione dicemus cum debeant *Dispensa-*
 ecclesiasticorum ministrorū sufficientiæ residua pau- *tio bonorū*
 peribus impotentibus alijsq; personis miserabilibus *ecclesiasti-*
 dispensari: quod neminem latet. Sed illi inuenerunt *corum.*
 nouum eleemosynæ modū. Nam in mercenarios mili-
 tes, equites & pedites, & ad pugnas inter Christi fide-
 les concitandas & continue fouendas, ut eos tandem
 suæ subijciant tyrannicæ potestati, insumūt. Breviter
 ex illa plenitudine potestatis uniuersum corpus eccle-
 siæ infectum est. Omnis ecclesiasticæ œconomia præ-
 uaricatus est ordo, & omne ciuile regimē impeditum
 simpliciter aut in parte turbatum, cum tamen huius
 episcopi & ipsius ecclesiæ siue collegij sermones & o-
 pera cōstituta sunt uelut exemplum omniū aliorum.
 In quos siquidem uelut quæso fideles conuertant lu-
 mina quodam dudum honestatis sophisticæ plurimo-
 rum ex ipsis obumbrata uelamine cernent se ipsis lim-
 pide qui Romanæ curiæ imò uerius cum ueritate di-
 cam domus negotiationis et ea quæ latronū horribilio-
 ris speluncæ limina uisitarunt aut qui ab hac abstinue-
 runt numerosæ fide dignorum multitudinis relatio-
 ne discant, eam penè sceleratorum omnium & nego-
 tiarum tam spiritualium quàm temporalium rece-
 ptaculum esse factam. Quid enim aliud ibi quàm Si-
 moniacorum undecunq; cōcursus: Quid aliud quàm *Consi-*
 Causidicorum strepitus, & calumniatorum insultus *rium et fo-*
 & iustorum impulsus: Ibi periclitatur innocentum iu- *rum Ro-*
 stitia, uel in tantū differtur si eam pretio redimere ne- *manum.*
 queant, ut tandem exhausti innumerisq; fatigati labo-
 ribus iustas & miserabiles ipsorum causas cogantur

DE EPISCOPORVM INSTIT.

deserere. Ibi namq; alte intonant leges humanæ, silent
aut rarius resonant diuinæ, Ibi tractatus & scrutinia
inuadendi prouincias Christianorum et per armatam
& uiolentam potentiam obtinendi & eripiendi ab his
quorum custodia licite sunt commissæ. Acquirenda-
rum animarum nulla sollicitudo neq; consilia, & adde
quod ibi nullus ordo sed sempiternus horror inhabi-
tat. Et quæ sequuntur. Nam his subiungit multo acer-
biora. At intra c c. interim annos omnia reddita sunt
longe deteriora.

Laurentius
Valla.

Laurentius Valla, patria Romanus et clara natus
familia, plurima scripsit contra mores & dogmata Ro-
manæ ecclesiæ utpote aduersa disciplinæ apostolicæ.
Idem ausus est potentissime oppugnare monarchiam
Rom. Pont. ædito libro contra Donationem Constan-
tini. Extant multa huius hominis egregie scripta de re-
ligione contra superstitionis antistites.

Franciscus
Petraarcha
de sede
Romana
et Papatu.

Franciscus Petrarca in Epistola quadam depin-
gens sacrae urbis & sedis sanctimoniam dicit, Omne
bonum ibi perditur, sed primum omnium libertas, mox
ex ordine, quies, gaudium, fides, spes, charitas, anima
iacturae ingentes, sed in regno auaritiæ nihil damno
ascribit, modo pecunia sit salua. Futurae ibi uitæ spes
inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur fa-
bulosa oia, resurrectio carnis, & mundi finis, & Christi-
stus in iudicium uenturus inter nenas habentur. Ve-
ritas ibi dementia est, abstinentia uero rusticitas, pud-
icitia probrum, ingens deniq; peccandi licentia magna
nimitas & libertas eximia, & quo pollutior eo clarior
uita, quo plus scelerum eo plus gloriae, bonum nomen
cæno uilius atq; ultima mercium fama est. Habes quan-
tum in tam paucis licuit illius sacrae urbis expressum
statum,

statum, quem non magis in his literis hodie, quam in illorum frontibus hominum quotidie perlegis, quorum uitam nullus stilus nullum æquet ingenium. Cæterum omnium primum, ut dixi, ibi iactura est libertatis. Quisquis limen illud introijt, confestim suus desijt esse, iam nec quiescere nec abire permittitur, sed rotatur & inefficaci labore cõsumendus atteritur, paucos inde diuina clementia eripit ut Hierusalem diligenter atq; oderint Babylonem. Tu uero amice audi uocem *Roma Ba* de cœlo dicentem, Exite de illa popule meus, & ne par *bylon.* ticipes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipatis, quia peruenerunt peccata eius usq; ad cœlum & recordatus est dominus iniquitatũ eius: quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantũ date illi tormentum & luctũ, quia in corde suo dicit, Sedebo regina, uidua non sum, & luctum nõ uidebo, ideo in una die uenient plagæ eius & mors & luctus & fames & igni cõburetur, quia fortis est deus qui iudicabit eã. Hæc, & quæ apostolus Ioannes in Apocalypsi habet, audi, & fuge si qua uia est, ne innocentiam tuam ruinae nocentiũ & Babylonicæ premant iniquitates, quarum nullus est numerus, nullus modus, nulla mēsurā, nulla æstimatio demum, taceo Simonis hæreditatem.

Rursus in alia epistola, Si quicquid animus meus fert de huius occiduae Babylonis statu cuius fato seu uerius peccato inuitus toties ciuis fio uelim stilo committere, uereor pater, ne & dolorem meum lamentis exaggerẽ & sanctissimas curas tuas occupationesq; pulcherrimas intempestiuis & immutabilibus queremonijs interpellem. In summa scito non modo hunc, sed ne Ciceronianũ quidem calamum rebus parem. *Vide.* Quicquid de Assyria uel Aegyptia Babylone, quic

DE EPISCOPORVM INSTIT.

quid de labyrinthis, quicquid deniq; de Auerni limite
 ne, deq; Tartareis syluis sulphureisq; paludibus legi-
 sti, huic Tartaro admotum fabula est. Hic turrificus si-
 mul & terrificus Nimroth, hic pharetrata Semiramis,
 hic inexorabilis Minos, hic Rhadamantus, hic Cerbe-
 rus uniuersa deuorans, hic tauro supposita Pasyphe
 mixtūq; genus, quod Maro ait, prolesq; biformis Mi-
 notaurus inest, Veneris monumenta nephanda, hic
 postremo quicquid confusum, quicquid atrum, quic-
 quid horribile usq; est aut fingitur, aspicias. O semper
 uirtutibus tuis felix, nunc absentia etiam felicior tua.
 Putasne ciuitatem hanc esse quam uidisti? longe alia
 est longeq; dissimilis, fuit equidem omnium pessima
 eaq; tempestate foedissima. Hæc uero iam non ciuitas
 sed laruarum & lemuru domus, & ut breuiter dicam,
 SCELERVM ATQVE DEDECORVM OMNI-
 VM SENTINA, atq; ille uiuentium infernus, tanto
 ante Dauidico ore notatus quam fundatus & cogni-
 tus, &c.

Ne nächer
 Rom ye 60
 ser Christ.

Possẽm huius generis plura testimonia ex Ioanne
 Francisco Pico Mirandulano & alijs illustribus uiris
 producere, sed sit hic modus. Dicite autẽ uos qui pu-
 tatis hoc certamen & iurgandi sæuum & nouū ritum
 contra sedem Romanam & episcoporum dignitatem
 Germanis primum authoribus inceptum, quid Ger-
 mani hæctenus dixerimus quod non Itali uestri et Ber-
 nardus Burgundio, priores dixerint? imò quis unquã
 acerbiora in sacram quam uocatis sedem iactauit? Pe-
 trarcha uestro? quem tamen Ursus Anguillarix co-
 mes in ipso etiã Capitolio Romano coronauit laures,
 id quod etiã approbauit Papa Romanus Benedic-
 ctus XI, anno ab hinc CCXX. An eo tempore uixit
 Lutherus?

Lutherus: qui tamen si hac in re fulmineus sit uates, parum tamen dicere uidetur si Petrarchæ cōferatur. Vefrorum ergo testimonijs cōuicti uidetis ut res uestrae habeant. Deprehensi estis in scelere, proinde si sapitis dabit manus domino. Resipiscite quæso episcopi, date gloriam deo, huic peccata uestra confitemini, ante hunc effundite corda uestra. Redite in uiam obsecro. Satis superq̄ satis peccatum est. Ne irritetis longanimitem & multæ patientiæ patrem deum. Tempus abbreviatum est. Completae sunt prophetiæ. Regnabit per uos Antichristus potentissime. Quid ergo restat nisi ut ueniat propediem Christus iudex iustus in iudicium: ille inquam qui in euangelio dixit, Vigilate quia nescitis qua hora dominus uester uenturus sit. Illud autem scitote quoniã si scisset paterfamiliãs qua hora fur uenturus fuisset, uigilasset utiq; & nō fuisset perfodi domum suam. Ideo & uos estote parati, quia qua hora non putatis ea filius hominis uenturus est. Addit mox quod maxime ad uos pertinet, et ait, Quis nam est fidelis seruus & prudens quē præfecit dominus famulatio suo ut det illis cibū in tempore? Beatus seruus ille quem cum uenerit dominus eius inuenit sic facientem. Amen dico uobis quoniã super omnia bona sua cōstituet eum. Quod si dixerit ille seruus malus in corde suo, Cunctat dominus meus uenire, cœperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet dominus serui illius in die quo non expectat & hora qua ignorat & dissecabit eum partemq; eius ponet cum hypocritis, ibi erit ploratus & stridor dentium. Qui aures habet ad audiendum audiat. Hic enim uobis & nobis agitur negotium animarum & uitæ uel mortis æternæ. Beati sunt qui audiūt

DE EPISCOPORVM INSTIT.

uerbum dei & custodiunt illud. Hodie ergo cum uocem eius audiatis nolite indurare corda uestra. Multo fatius est facultatum & rerum periturarum quam animarum facere iacturam. Deus misereatur nostri.

Miscellanea breuesq; notæ indepti regni Pontificalis.
Cap. XX.



Vm uero Pōtificatui nouo omnis scriptura sancta, ipsa etiam ratio sana, ueterum quoq; & quorundam neotericorum exempla & testimonia reclamatione palam, miraris scio Lector, unde natum sit Pontificale illud imperium cum maximis in orbe regnis conferendum, imò plerisque præferendum. Vno enim fasce totum Papæ corpus complector, Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Monachos & Clericos, quibus quod negari non potest, maximæ orbis facultates maximaq; imperia subiecta sunt. Dicam ergo nunc pauca qui & quo tempore exorti, quorum opera arte & uersutia imperium hoc inceptum auctum & hætenus retentum sit, idèq; miscellanea quædam & illaborata seu pfunctoria dictione. Nam opus infinitum per transcennam spectandum proponere non iusta historia omnia quæ de ipsa dici possunt peti sequi statui.

A Roma
omne ma-
lum.

Omne uero malū oritur à Roma & episcopo Romano. At hūc uirtutibus creuisse xv. huius lib. cap. ostendimus. A Roma enim pluribus nationibus dati sunt episcopi siue doctores euangelici, De Germania, Gallia & Anglia non obscura res est, de Italia certissima. Ex ea demum re & beneficio ecclesiæ illæ ac nationes semper plurimi fecerunt ecclesiam & episcopum Romanum. Magna item fuit apud omnes gentes apostolorum

stolorum Petri & Pauli memoria. Magna fuit ueteris Romæ in fide constantia. Magna fuit quondã & pontificum Romanorum pietas, uigilantia, charitas & diligentia, unde magna eorum apud exteros populos existimatio & dignitas. Accessit ad hæc superstitio & nimis diligens deuotio & populi & quorundam Principum non pessimorum. Nam ut ille nimis prompte omnia Romanorũ Pont. admiratus est recepit & adorauit, sic hi coronari uoluerunt à Romanis Pontificibus ut Christi domini ministris, hoc ipso testâtes se credere omnem potestatem sibi cœlitus collatam esse. Atq; ita in immensum creuit authoritas & Romani episcopi & aliorum antistitum. Huc pertinere puto quæ leguntur in initio Codicis Iustiniani et in Nouellis Cõstitutio. & 131. Quanquam his quidem bene usi fuerint ueteres Romani episcopi dum adhuc in eis esset sinceritas, fides, eruditio et charitas. Vbi autem illa exularunt & pro ipsis regnare in eis cœperunt corruptio, perfidia, ignorantia, ambitio, auaritia & superbia, omnibus semel abusi sunt ad subuersionem ueritatis, & ad confirmandum luxum & tyrannidem.

Et quanquam dominandi cupido ab ipsis statim apostolorum temporibus, potissimum uero à Constantini magni imperio, sub quo nonnulli aiunt primum uenenum effusum esse in ecclesiam, non semel se exuerit in quibusdã Romanis episcopis, erupit tamen hoc ulceris scœdus Gregorij magni sæculo, qui ultimus propè Romanorum Pontificum fuisse creditur, in quo nonnulla apostolica adhuc uestigia apparuerunt. Ioannes enim episcopus Constantinopolitanus habita Græcorum Synodo Oecomenicum se esse & episcopum & patriarcham declarauit. Id quod Gre-

gorio Pontifici Romano Mauritius Rom. Imp. Augustus significauit, præcipiens Gregorio ut Ioanni se subiiciat ipsiq; obediatur. At Gregorius imperio Caesaris reclamans, respondet potestatem ligandi & soluendi Petro eiusq; successoribus esse traditã, non episcopis Constantinopolitanis, proinde desineret iram dei in se concitare. Rursus in alia epistola ad Mauritium, Antichristi præcursor est, inquit, quisquis appellari cupit uniuersalis episcopus. Idem ad Anastasium Antiochenum & Eulogium Alexandrinum episcopum contra ambitionem episcopi Constantinopolitani scribens, Nouit, inquit, uenerãda sanctitas uestra per sanctam Chalcedonen. Synodum Pontifici sedis apostolicae, cui deo disponente seruiõ, hoc Vniuersitatis nomen oblatum esse, sed nullus decessorum meorũ hoc tam PROPHANO uocabulo uti consensit. Quia uidelicet si unus patriarcha Vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogat. Sed absit hoc à Christiana mente, id sibi uelle quempia arripere unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacũq; parte uideatur. Extant hæc in Registri parte 7. epist. 30. Extat rursus Parte 5. epist. 38. elegantissima de hac re disputatio ad ipsum Ioan. Constantinop. episcopũ, digna prorsus quæ legatur. Aiunt præterea hunc Gregorium ut ecclesia excluderetur tyrannis & monarchia episcoporum primum se scripsisse Seruum seruum dei. Facta sunt hæc circa annum à natiuitate domini DC.

Eius humilitatis parum memores posteriores episcopi Romani nihilo minus seruide ad imperium & monarchiam aspirarunt, adeoq; & intra octennium quod uoluerunt consequuti sunt. Nam Paulus diaconus

nus lib. de Gestis Longobardorū 4. cap. II. Phocas, inquit, extincto Mauritio eiusq; filijs Romanorū regnū inuadit, hic rogante Papa Bonifacio statuit sedem Romanæ ecclesiæ, ut caput esset omnium ecclesiarum. Quia ecclesia Constantinopolitana primā se omnium ecclesiarum scribebat. Addit Platina id non sine magna contentione impetratum fuisse, Exponit Sabellius qualis illa contentio fuerit, dicens, Græci id ad se decus trahentes ibi Christianæ pietatis arcē esse oportere aiebant, ubi & imperij. Romanus Pontifex contra Constantinopolim Romanam esse coloniā prædicare, Romam uelut dominā & matrem adhuc esse, Præterea Petrum apostolorum principem & cui animarum potestas primum à deo attributa Romæ non Constantinopoli sedem Apostolicam fixisse, fixam & stabilitam posteris per manus tradidisse, Concludit historicus, Et Romanus Pontifex per hæc tenuit ut Roma sit ecclesiarum omnium princeps declarata. Hæc aut facta sunt anno ab incarnatione domini DCVIII.

Habes quando, quas ob causas, per quos & quomodo monarchiæ Rom. Pont. prima fundamenta posita sint, post tot scilicet sæcula à temporibus apostolorum, Hactenus ergo omnes ecclesiæ pares membraq; Christi sub uno fuerunt capite Christo. Pulchre enim S. Gregorius in ea quam modo citauit ad Ioan. Constant. episcopum epistola, Certe Petrus, inquit, apostolorum primus, membrum sanctæ ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularium sunt plebium capita & tamen sub uno capite omnes membra sunt ecclesiæ: Potuit ergo uetus illa & sanctissima ecclesia huiusmodi Romano capite sex carere sæculis, quo sane neutiquam caruisset si ad incolumitatem cor

DE EPISCOPORVM INSTIT.

poris pertineret huiusmodi capituli cōstitutio. Causse friuolæ sunt & leuiores quàm quæ uel tantillum in re tanti momenti habere uideantur. Ille porrò qui hoc decretum de Capite omnium ecclesiarum Roma tulit homo fuit sanguinarius, avarus & parricida. Quid enim aliud de Phoca Eutropius & alij historici scribunt quàm latrocinia, conspirationes, cædes, & incendia? Atq; hoc authore cœpta & fundata est episcopalis illa monarchia.

Confirmatio electionis Papæ translata.

Quancum uero Papa reliquis episcopis prælatus esset, nihilominus subiectus adhuc manebat Imperatori. Electio enim Rom. Pont. per clerum et populum Romanum facta infirma erat, nisi approbata fuisset Imperatoris Constantinopolitani uel Italici Exarchi calculo. Primus Constantinus Imperator Constantis filius, qui sceptrum tenuit cum numerarentur à nato domino DCLXX, anni, hoc quicquid potestatis in episcopum Romanum ea in re habuit, Benedicto donauit. Nam Sabellicus Ennead. 8, lib. 6. Constantinus, inquit, multa bona animi in Benedicto 2. cernens, statuit ut quem ante Clerus populusq; Romanus cum exercitu creassent episcopum, is uere uicem Christi in terris gerere crederet, nulla Imperatoris aut Exarchi approbatione expectata.

Schisma inter Græcam et Latinam ecclesiam.

Circa hæc tempora cōmode se obtulit occasio ad stabiliendam Romani præsulis monarchiam. Philippicus enim Imperator Monothelitarum hæresi infectus Cyrum orthodoxum episcopum in Pontum relegauit & Ioannem quendam monachum ecclesie præfecit, huiusq; dogmata praua Romam misit Constantino Pontifici, præcipiens ut illa & reciperentur & approbarentur. Contra uero Constantinus collecta Synodo

nodo Philippicū unā cum Ioanne monacho suo hære-
seos damnat, deinde iubet sanctorum patrum imagi-
nes qui ijs interfuerant consilijs quibus orthodoxa do-
ctrina fuerat asserta, in porticu S. Petri depingere.
Qua quidem occasione inter orientales & occidenta-
les disputari cœpit de Usu imaginum, Et Græci qui-
dem orientalesq; de hoc rectius sentiebant, nullū sci-
licet imaginum usum in templis esse ad pietatem. Et
Imperatores Cōstantinopolitani crebris decretis præ-
cipiebant illas è templis tolli, ædictis etiam super ea re
Romam & ad occidentales ecclesias missis.

Gregorius uero eius nominis 2. tantæ impietati
(uerbis utor Platina) non modo non obtemperat, ue-
rum etiam omnes catholicos admonet ne in tantum
errorem timore uel ædicto principis ullo modo dila-
bantur. Qua exhortatiōe adeo animati sunt Italiae po-
puli, ut paululum abfuerit quin alium sibi eligerent
Imperatorē. Rauennæ certe tanta seditio orta est cum
aliq; Imperatori aliq; Pontifici obtemperandū dicerēt ut
in ipso tumultu Paulus Exarchus cū filio occiderēt.

Idem author in Vita Gregorij 3. Hic statim, in-
quit, ubi Pontificatum iniit, Cleri Romani consensu
Leonem 3. Imperatorem Constantinopolitanum IM-
PERIO SIMVL ET COMMVNIONE FIDELI-
VM PRIVAT quod sanctas imagines è sacris ædi-
bus abrasisset & statuas demolitus esset. Interim uero
dum Luithprandus Longobardorum rex cupiditate
imperandi motus urbem Romanam obsideret captis
circumquaq; opidis omnibus, Gregorius Legatos na-
ui, quia terrestri itinere non licebat, ad Carolum Fran-
ciae principem statim mittit, qui hominem rogarēt ut
primo quoq; tempore laboranti Romæ & ecclesiæ au-

*Excommu-
nicatur in
perator.*

*Vt scilicet
imperium
Petro ce-
deret.*

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Tutela ec-
clesiæ ab
Imperato-
ribus ad
Francos
translatâ.

xilium ferret. Consueuerant autem Pont. Romanis
quid mali ab externo hoste imineret auxilia ab Impera-
tore Constantinopolitano petere. Quod facere Gre-
gorius noluit quia Leonem declarauerat hæreticum,
cernebatq; urbem regiam à Sarracenis per Leonem uix
defendi posse, nedum alios defendere. Ita accidit ut tunc
primùm tutela ecclesiæ ab Imperatoribus ad alios trans-
lata sit. Carolus uero cognomento Marcellus, Pipini
pater, patrociniū ecclesiæ in se recepit, & Romanam
obsidione soluit, rege Longobardorum compatre suo
ab incepto fero amica exhortatiōe retracto. Quo qui
dem beneficio princeps Francus Pipini pater Roma-
nos episcopos sibi suisq; ueluti necessitudinis uinculo
obstrinxit.

Domus
Meroui-
gnorum.

Abbas Urspergensis in Chronicis suis, Solebant
Franci, inquit, antiqua regum stirpe reges habere qui
à Meroueo Clodij secundi regis eorum filio Merouig-
ni dicebantur, quorum genealogia usq; ad Chilpery-
chum pertinebat. Reges tamen postremi nihil regis
præter inane nomen præferabant. Collocabantur ad
ad Calendas Maias in solio regio, speciem dominandi
effingebant, legatos undequaq; uenientes audiebant,
eisq; abeuntibus responsa quæ iussi erant doctiq; da-
bant. Opes enim regniq; potētia penes palatij siue au-
læ præfectos qui Maiores domus dicebantur, erat, &
omnia quæ uel foris uel domi agenda erant præfectus
aulæ procurabat, quo officio (isto tempore cum regis
nomē teneret ultimus ex Merouignis Chilperychus)
Pipinus cognomento Pusillus Caroli Marcelli filius
Caroliq; magni pater, iam uelut hæreditario iure fun-
gebatur.

Fuit autem Pipinus Pusillus homo per omnia am-
bitiosus

bitiosus, & qui nil aliud spirabat nisi regnum & domi-
ni sui Chilperychi oppressiōē. Quocirca uaria etiam
consilia nunc cum proceribus aulae mox cum episco-
pis uoluit, tandem uero uisum est rem tantam re-
ferri debere ad caput omnium ecclesiarum Romanam.
Sperabat autem uersutus ille Romanos Pontifices
memores futuri paterni beneficii ac sententiam pro
gente Carolina contra Merouignam laturum. Mitti-
tur ergo legatio ad Zachariam Romanæ ecclesie præ-
sulem, episcopus Vuirzburgen, Burghardus, unã
cum Folrado quodam archisacellano, quem alij, quod
Vrspurgensis indicat, abbatē, alij uero presbyterum
fuisse putāt. Summa uero legationis huiusmodi erat,
Cum Zacharias præses sit ecclesie quæ caput dicatur
omnium ecclesiarum, pro autoritate sua decernat,
Vter regio fastigio dignior sit habendus, qui nomine
modo rex sit consilio & opera nihil præstare possit, an
qui solus omne regni onus sustineat? Hic Pontifex Ca-
rolini memor beneficii, diserte pronūciauit melius es-
se (Frisingenē, episcopi historicūq; uerbis utor) ut ille
qui curam omnium haberet rex diceret & in regium
solium sublimaretur, quàm qui hæcenus regis nomē
præ se tulit inane; dataq; autoritate sua Pipinum Ca-
roli Marcelli filium regem Francorum cōstitui iussit.

Facta sunt hæc anno ab incarnatiōe domini D C C L I.
Statim autem anno sequenti approbantibus epi-
scopis & quibusdam ex aula nobilibus uiris Papæ sen-
tentiam, Pipinus ille Pusillus in urbe Sueffionum ope *Pipinus*
ra Bonifacii archiepiscopi Moguntini coronatus est. *Pusillus*
Post quæ sæuus ille Chilperychum dominū suum ui- *rex fit.*
rum simplicem & minime malum fastigio deijcit re-
gio & monasterio cuidam includit. Cum uero bonus

ille rex fidem imploraret publicam nec deessent quibus tyrannis & fides uiolata parū probaretur, & multi Pipinum recipere renuerent propter sacramentum Chilpericho regi præstitum, Zacharias pontifex super alia sua facta satis temeraria ausus est & Pipinum & totum regnum à sacramento & fide regi data absol-
uere.

Et huius quidē calamitosi negotij meminī etiam Platina in Vita Zachariæ sic scribēs, Pipinus regnandi cupidus legatos suos ad Pontificē mittit eumque rogat ut regnum Franciæ sibi autoritate sua cōfirmet. Annuī Pontifex eius postulatīs ACCEPTI BENEFICII & ueteris beneuolētīæ memor, quæ inter Pontifices et Principes huius familiæ intercesserat, atque eius autoritate regnū Franciæ Pipino adiudicatur. Meminī eius rei & Gelasius quidā episcopus Romanus ad Anastasium Imperatorem scribens in hæc uerba, Alius Romanus Pontifex Zacharias, regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus (oportuit sane aliquid prætexere) quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis à regno deposuit & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locū substituit omnesque Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit.

Non licuit Pipino Zachariæ Papæ gratificari pro accepto regno artibus religionisque prætextu parato, nam statim è uita migravit Zacharias, successit Stephanus 2. Hic uero & antecessoris sui consilia factaque confirmauit negotiumque per Zachariam cœptum plane absoluit, & præmiū certe regium, dominium ple-
delicet Italiæ retulit. Dum enim Aistulphus Longobardorum rex Romanorum agros & fines bello uexaret, nec Romani potentissimo hosti resistere possent,
Stephanus

Stephanus ad Pipinum in Gallias confugit, suppliciter petens ut Romanæ ecclesiæ laboranti succurreret & à tyrannide Longobardorū eriperet. Atq; hîc fuit occasio oblata Pipino benemerendi de Romanis episcopis, & Romano episcopo arctius sibi regem Francorum constringendi.

Vrspurgenſis ergo in rebus Pipini, Postquam à rege Pipino, ait, pro sanctæ ecclesiæ Romanæ defensione firmitatē accepit Stephanus, ipsum sacra unctio-
ne in regiæ dignitatis honore confirmavit, & cum eo duos filios eius Carolum & Carolomannum cum matre eorum Bertrada consecrauit, Francorumq; proceres unâ cum populo benedictione apostolica sanctificâs authoritate beati Petri apostoli obligauit, & protestatus est eos ut nunquam ipsi uel quicq; ex eorum progenie per succedentium curricula temporum proge-
niti de alia stirpe regem sibi eligerent nisi ex eorū pro- *Non diu-
turna fuit
domus Ca-
rolina.*

pagine quos diuina prouidentia tunc in defensionem ecclesiæ dignata est sublimare. Sic ergo ex Pipino præfecto Palatij authoritate apostolica sublimatus & unctus in sedem regni, insuper & absolutus est per eundem Papam Stephanum à iuramento quod regi Charlepericho cum cæteris regni primoribus fecerat.

Idem author describens mox quid præmij à rege pro beneficij suis acceperit Stephanus, et quid in gratiam Papæ fecerit Pipinus, qui artibus & audaciâ Papæ regno Franciæ præfectus fuit, Anno dñi DCCCLV, Pipinus rex, inquit, inuitante & rogante prædicto Papâ Stephano propter iustitiam beati Petri apostoli exigendâ à rege Longobardorū Aistulpho Italiam cum manu ualida intrauit. Nam ad ipsas montium fauces pugnauit cum Longobardis & perripit, & regem Pa-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

piæ inclusum obsedit, donec firmata causa pro facta
 enda sanctæ Romanæ ecclesiæ iustitia XL. obsides re
 cepit. Quibus datis promissisq; iureiurando firmatis
 Pipinus quidem domum redit, Stephanum uero Pa
 pam cum Folrado sacellano regio & maxima Franco
 rum manu Romam mittit.

Cæterum Aistulpho nihil eorū quæ pollicitus fue
 rat & iureiurando firmauerat, præstante, Pipinus se
 quenti anno cum exercitu secundo in Italiam pontifi
 ce urgente descendit. Descendenti Gregorius Con
 stantini quarti Imperatoris protosecretarius cum alijs
 Legatis Imperatorijs sit obuiã, eūq; multis magnisq;
 muneribus sunt præuertere adorti, illud omnium pri
 mum postulare, ut Rauenam et cætera Exarchatus lo
 ca (quæ Longobardi Imperatore à Sarracenis impedi
 to occupauerant) Constantino restituenda, *QVIA*
 IMPERII ESSENT NON PONTIFICIS, cura
 ret. Negare se Pipinus Constantino aut cuiquam ho
 minum præterquam Romanæ ecclesiæ militare, eorūq;
 consilio se arma induisse ut Apostolicam sedem ab om
 nium mortaliū iniuria uindicaret, utq; Rauenã &
 quicquid Longobardi uis & armis subegissent Roma
 nã subijceret ecclesiæ, Græci ergo Oratores uidentes
 quid Pipinus haberet in animo, re infecta Constanti
 nopolim regressi sunt. Hæc extant apud Sabellicum
 Enneade 8. lib. 8.

Absoluit hoc negotij Platina in Vita Stephani, &
 ait, Deinde uero Papiam mouens Pipinus ita pressit
 Aistulphū obsidione ut breui eum coegerit pristinas
 conditiones pacis recipere. Redditus itaq; Romanis
 Exarchatus est, quicquid Padū & Apennium interia
 cet, à Placentinis usq; ad stagna Venetorum, & quicquid
 quid

quid intra Isaurum flumen Apenninum & Hadriaticum cōtinetur, addita sunt ea quoq; quæ Aistulphus de Hetruscis & Sabinis ceperat. Illa omnia dedit Pipinus, inquit Vrspurgensis, beato apostolo Petro. Ex hoc facto Pipinus & reliqui Francorū reges augustū indepti sunt titulum ut dicantur Christianissimi, Facta sunt hæc Anno ab incarnatiōe domini D C C L V I.

Habes Lector quorum beneficio & quas ob causas Romani Pont. imperiū Italiæ consequuti sint. Nec est quod hic multis istorum temporum mores audaciam & turbas accusem, tuo iudicio ista relinquo pensitanda. Adjiciam his quædam de artibus Pontificum quibus imperium auctum est & conseruatum.

Adrianus ergo eius nominis primus Papa Romanus, precibus Carolum cognomento Magnū, qui patri Pipino in regno successerat, in Italiā euocauit, ut Desiderium ultimum Longobardorum regem Romanæ ecclesiæ rebellantem reprimeret armis. Et exorauit quidē. Carolus enim princeps certe egregius, incomparabilis futurus, si minus credidisset auaris, fallacibus & ambitiosis episcopis, in Italiā cum exercitū descendens, Desiderium cum copijs fundit, fugat, capit, hinc urbem ingressus perpetuū fœdus iniit cum Pontificibus, postremo quod dono pater Pipinus Stephano secundo dederat eadem ipse amplioribus priuilegijs confirmauit iureiurando interposito. Quæ quidem, ut Bibliothecarius refert, hæc sunt, Quicquid in Liguria ab urbe Luna iam pridē euerfa usq; ad alpes Italiæ fines pertinet huic ditioni additur, & Corsica insula, & quicquid Lucam & Parmam interiacet, Additur & Forumiulij cum Exarchatu Rauennatum, cumq; Beneuentano & Spoletino ducatu. Hæc extat.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

apud Platina in Vita Adriani i.

Leo III.
transfert
imperium
Romanū.

Cæterum omnibus superioribus Romanis Pontificibus audacior Leo Papa eius nominis tertius audeat imperij Romani titulum decus & gloriam à Græcis transferre ad Francos. Platina enim in Vita Leonis III. Pontifex inquit Carolo optime de ecclesia dei merito ALIQVAM GRATIAM RELATVRVS cū uideret Imperatores Cōstantinopolitanos agre id nomen tueri, ac eam ob rem urbem & Italiam ipsam magnas calamitates passam in basilica Petri post solennia sacra, populi Romani scito ac precibus ipsum Carolum magna uoce Imperatorem decernit ac diademate donat, ter acclamāte populo Romano, Carolo Augusto à deo coronato magno & pacifico Imperatori uictoria. Facta sunt illa Anno domini DCCCIII. quidam numerant DCCCI. Et uerisimile est ista consilia Imperatrice Græca Irene facta esse, quam etiam uxorem sibi dari petiuit Carolus, missis Constantino-
polim legatis Helingaudo & Iesse episcopo Ambia-
nenē. Consensisset sanē illa nisi Aetius Patritius tech-
nas animaduertisset, & fratrem quidem suum Nice-
phorum Imperio præfecisset & Irenem in Lesbum
relegasset. Ad eum uero modum creuit Pontificū au-
thoritas imò audacia ut iam maxima etiā regua trans-
ferrent eaq; cultoribus siue fautoribus suis ceu præ-
mia elargirentur.

Lodouici
Pij dona-
tio & con-
cessio.

Lodouicus uero Pius cognomento Caroli magni filius Romanis episcopis propter munificentiam charissimus fuit. Nam Donationem maiorum suorum non tantum confirmauit, sed mirum in modum etiam au-
xit; quo nomine arbitror ipsum maxime appellatum esse Pium. Nam Volaterranus Geographiæ lib. 3. De pietate

pietate ipsius in Romanos Pont. inquit, multa Biblio-
 thecarius refert, ciuitates quas eis dedit enumerans,
 Ego quoq; ex antigrafo uetusti libri quod in Biblio-
 theca Vaticana hodie continetur, ubi eius enarratur
 Donatio apographum excerpti. IN NOMINE DO-
 MINI DEI omnipotentis patris & filij & spiritus san-
 cti, Ego Lodouicus Imperator concedo tibi beato Pe-
 tro principi apostolorum, & per te Vicario tuo domi-
 no Paschali summo Pont. successoribusq; eius in per-
 petuum, ciuitatem Romanam cum sua iurisdictione *Romada-
 tur Papa.*
 omnibusq; circa terris, ciuitatibus, portibus ac mariti-
 mis locis Hetruriae. In ea deniq; mediterranea Urbē
 ueterem, Balneoregium, Viterbium, Soanam, Popu-
 loniam, Rosellas, Perusium, Maturanū, Sutrium Ne-
 pe. Versus Campaniam Ananiam, Signiam, Feren-
 tinum, Alatrum, Patricum, Frusinonum cum omni-
 bus circa opidis & uicis, nec non Exarchatum Ra-
 uennae integrum sicuti piaē recordationis Carolus pa-
 ter, & item Pipinus auus noster beato Petro dudum
 concessere, uidelicet Rauennā, Bouium, Aemyliam,
 Forum populi, Forumliuū, Fauentiam, Imolam, Bo-
 noniam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, Ceruiam.
 In Marchia Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anco-
 nam, Auximum, Numanam, Esium, Forum Sempro-
 nij, Feretrum, Urbium Territorium Valnense, Cal-
 lium, Luceolos, Eugubium. In Campania Sorum, A-
 quinum Arpinum, Theanum, Capuam. Patrimonia
 quoq; ad nostram pertinentia ditionem Beneuenta-
 num Salernitanum Calabriae inferioris & superioris
 ac Neopolitanum. Ducatū insuper Spoletinum Tu-
 derotriculum Harniam reliquaq; eius ditionis. Insu-
 las quoq; inferi maris Corsicam, Sardiniam, Siciliam,

DE EPISCOPORVM INSTIT.

quæ omnia piæ memoriæ Pipinus auus deinde Carolus Imperator genitor noster per Atheriū & Mainardum Abbates ad hoc spōte missos beato Petro eiusq̄ successoribus scripto concesserunt, nos itē probamus atq̄ concedimus. Præterea summi Pontificis deligenti Romano consilio potestatem esse uolumus, modo sine discordia fiat, ac post consecrationem Legari ad nos successoresq̄ nostros reges Francorum conciliandæ charitatis & amicitiae causa mittantur sicuti temporibus domini Caroli attauī & Pipini aui, & postremo Caroli genitoris nostri mos fuit. Hanc igitur uoluntatem nostram scripto ac iureiurando firmamus, & per Legatum S. R. E. Theodorum domino Paschali misimus manuq̄ propria me subscripsi EGO LODOVICVS. Subscripsere quoq̄ tres filij eius, Episcopi X. Abbates VIII. Comites. XV. Bibliothecarius, Mansionarius, Ostiariusq̄ unus. Numerabatur annus ab incarnatione domini DCCCXXXV.

Donatio
Constantini mens
dax.

Ex istis autem claret quàm uana sint quæ in Decretis Distinct. 96. in hæc uerba leguntur, Constantinus Imperator coronam & omnē regiam dignitatem in urbe Roma & Italia & partibus occidentalibus Apostolico concessit. Nam certissimū est Romanorum Imperatores in Italia regnasse ad tēpora usq̄ Pipini, & hunc primam fecisse donationem reclamante interrim Imperatore ac dicente ista imperij esse non Pontificis, id quod superius annotauī in rebus Stephani pontificis & Pipini regis in Italiā descendentis. Quid quod Otto Frisingensis episcopus Annalium lib. 4. cap. 3. Imperij fautores, ait, negāt Constantinum Romanorum manum imperium pontificibus tradidisse, sed ipsos tanquam summi dei sacerdotes ad dei reuerentiam in patres

patres assumpsisse, atq; ab eis sese ac successores suos patrocínio orationum fulciendos contendūt. Cui astipulari putant quod regno inter filios diuiso aliq Occidentem aliq Orientem tradiderit. Neq; optimum Imperatorem Theodosium id quod suum non erat sed ecclesiæ usurpauisse. Hæc Otto episcopus.

Iam cum Franci Principes totū propè Occidentem ^{Potentia} obtinuerint armisq; subegerint, nihil posthac mirum ^{ex opes} uidebitur Lectori quod Occidentis ecclesiæ Romano ^{Episcopo} Pontifici adeò factæ sunt obnoxia. Omnia enim potuerunt apud Francorū reges episcopi Romani. Rursus mirum non est episcopos quoq; per Occidentem diuites potentes adeoq; & principes esse factos. Nam & principum filij consanguinei & affines erāt episcopi, adhæc reges & principes sibi per omnia habebant obstrictos, accedebat præterea uulgi superstitiō & nimia siue præpostera deuotio nihil non tribuens & credens episcopis. Interim ipsi suū nō Christi & ecclesiæ negotiū egerūt & dies atq; noctes consilia captarunt, quomodo omne magistratus iugum excutiētes pro libidine sua uitam instituire possent. Quò nimirum Calixtus Paschalis Papæ cuius modo meminimus Calixtus non pertinere uidetur, qui in Decretis 16. Quæst. 7. in hæc uerba extat scriptus, Nullus Laicorum ecclesias uel ecclesiarum bona occupet uel disponat, qui uero secus egerit ab ecclesiæ liminibus arceatur. Statuimus item ut quicumq; clericus ab hac hora inuestituram ecclesiæ uel ecclesiasticæ dignitatis de manu Laici acciperit, & qui ei manum imposuerit gradus sui periculo subiaceat & communionē priuetur. Posthac ergo tutò licuit episcopis abuti bonis illis ecclesiasticis pro libidine sua, nemine reclamare audente. Sic inquam

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Imperium
Romanū
à Francis
ad Germa
nos trans-
latum.

egregie processit negotium tenebrarum.
Indigna quidem sunt illa, sequuntur indigniora.
Nam Pont. Romani Francorū regibus ingrati & ue-
terum immemores beneficiorum regnum siue Imper-
rium à Francis transtulerunt ad Germanos. Tantum
enim regum fouerunt amicitiam quantum ipsorum
inseuerunt libidini. Dum ergo Berengarius afflige-
ret Italiam & Franci nollent protinus bellum pro Impe-
rio Pontificis suscipere, mox Agapetus Pontifex et
post eum Ioannes XIII. scriptis ad Ottonem Germa-
norum regem & Saxoniae Principem literis, supplici-
ter orarūt quatenus p amore dei (ut ait Urspergen.)
sanctorumq; apostolorum Petri & Pauli sanctam Ro-
manam ecclesiam ex faucibus Berengarij suorumq;
liberaret. Obtemperauit Princeps aliorum etiam per-
motus precibus literisq;, & collectis copijs in Italiam
uenit, Berengarium cum uxore sua Vuilla & filio Al-
berto captiuos Babenbergam in exilium mittit, ipse
autem urbem ingrediens à Pontifice honorificentissimè
me suscipitur ac coronatur, Imperij, Germaniae, Pan-
noniaeq; titulo accepto. Caterum priusquam urbem
attigisset miris artibus quorundam inductus iureiur-
rando se obstrinxit Romano Pontifici, cuius forma in
Decretis ponitur Distinct. 63. in hac uerba, Tibi do-
mino Ioanni Papae EGO REX OTTO promittere
& iurare facio per patrem filium & spiritum sanctum
& per lignum hoc uiuifica crucis & per has reliquias
sanctorum, quod si permittente domino Romam ue-
nero sanctam Romanam ecclesiam & te rectorē eius
exaltabo secundum meum posse, & uitā & membra
nunquam neq; ipsum honorem quem habes mea uo-
luntate aut meo consilio aut meo consensu aut mea
exhorta

exhortatione perdes, & in Roma nullū placitum aut nullam ordinationē faciam in omnibus quæ ad te aut ad Romanos pertinent sine tuo consilio. Et quicquid de terra S. Petri ad nostram potestatem peruenerit tibi reddam, & cuiuscunq; Italicum regimen commiserō iurare faciā illum ut adiutor tui sit ad defendendā terram sancti Petri, secundum suum posse. Postquam uero in urbem uenit propria manu iussus est subscribere Donationi Lodouici regis. Id quod in hæc uerba, ut refert Bibliothecarius, fecit, Ego Otto Imperator pro animæ meæ filijq; ac parentū meorum salute hæc oīa supradicta tibi beate Petre & successoribus tuis libenter cōcedo. Facta sunt illa anno dñi DCCCCLXII. Porro si nescis quis ille Ioannes Papa fuerit cuius arte & consilio etiā Germanorum reges Babylonicū huius scorti custodes & patroni facti sunt, audi Platina Papisticum historicum in uita Ioan. XIII. sic testantem, Ioannes hic Octauianus primo uocatus, homo sanè ab adolescentiā omnibus probris ac turpitudine contaminatus, uenationibus magis si quid temporis à libidinibus supererat quàm orationi deditus, uir omnium qui unquam ante se in pontificatu fuere longe pniciosissimus & sceleratissimus fuit. Addit author Fasciculi temporum improbum hunc hominem in ipso adulterij nephando scelere percussum à diabolo subito excessisse.

Iniquius translationem Imperij ferentibus Francis, Gregorius V. natione Saxo, uir nobilis, prudens, & Ottonis III. Imperatoris consanguineus, consilijs suis Imperiū Germanis confirmauit, & Pontificiam autoritatem potentiamq; episcoporū mirum in modum auxit. Quam rem sic perstrinxit Platina in Vita

Transferatur electio Imperatoris ad Episcopos.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

Hoc est qui optime uellet Papae & Episcopis.
 Gregorij v. Gregorius cognita imperij imbecillitate uarietateq; fortunæ, quo diutius apud Germanos summa potestas remaneret illeq; cæteris præfesset qui uirtute & dignitate præstaret, sanctionem tulit, haud abnuente Ottone de Imperatore eligēdo, Anno Christi MII, uidelicet solis Germanis licere Principem designare qui Cæsar & Romanorum rex appellatus, tum demum Imperator & Augustus haberetur si eum Romanus Pontifex confirmasset, &c. Electores autē sex esse uoluit, tres uidelicet præfules & tres principes, quibus adiecit VII, regem Bohemiæ ad cõponendam partium discordiam, Callide uero episcoporum numerum æquauit numero principū ne ulla parte inferiores principibus essent episcopi.

Pontifex sanctum Imperatorē de iicit. Hein, III.
 Anno domini MLXII, gubernaculo Pontificio præficitur monachus quidā Cluniacensis Hildebrandus & mutato nomine Gregorius VII, appellat. Hic mirifice exercitauit Heinrychi Bauari eius nominis IIII, optimi & sanctissimi principis patientiā. De qua re multis differunt historici. Principio quidem Imperatorem excommunicauit, deinde Rodolphum Sueuorum ducem armauit contra Imperatorem Rodolpho Imperatore constituto. Antoninus enim in 2. parte historiarum Tit. 16. cap. 1. parag. 21. Papa, inquit, Principes Germaniæ à iuramento fidelitatis quod illi præstiterant absoluit, atq; ab imperio deponit, & Rodolpho coronam auream misit cui inscriptum erat,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.
 Proinde anno domini MLXVI, collecta est Synodus Vuormaciæ, in qua cõuenere oēs Germaniæ episcopi solis Saxonici exceptis, Cæterum in hac Synodo declarauerunt Hildebrandum indignum esse qui præstet

deat Romanæ ecclesiæ, quo nomine ipsi etiam obedientiam renunciant. Rursus cogitur regis præcepto a Synodus ex Italicis & Germanicis episcopis Brixia, & in ea dānatur Pontifex. Quia, inquit, illum constat non à deo electum, sed à seipso in fraude ac pecunia impudentissime obiectum, qui ecclesiasticum subuertit ordinem, qui Christiani imperij perturbauit regnum, qui regi catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui periurum defendit regem, qui inter concordēs seminauit discordiam, &c. Ad dunt post dira quædam, hominem præterea diuinationum & somniorum cultorem, manifestum necromanticum, Pythonicòq; spiritu laborantem, & à uera fide fuisse deuium. Id quod legis in Chronicis Urspergensis, & istis nihilo sanctiora imò scelestiora propemodū apud Benonem Cardinalem in illa epistola quam de Vita & Gestis Hildebrandi conscripsit, Hildebrandū hunc imitatus est Ioannes XXII, qui præter horrendas (ut inquit Mars. Patauinus) malignitates, sæuum genus exercuit nequitia. Concitauit enim aduersus Lodouicum principem catholicum in rebellionē eius subditos atq; fideles, scriptis suis diabolicis, quæ tamen uocat apostolica, ipsos absoluendo à iuramento fidelitatis, quibus principi secundum ueritatē astricci sunt. Talesq; absolutiones ubiq; diuulgauit & prædicauit per quosdam facinorum ministros. Cum interim certum sit neq; Romanum episcopum neq; alium sacerdotem ab ullo licito iuramento præstito quenquam absque causa rationabili absoluere posse, Extant hæc Dictio, 2. cap. 26.

Maximam Pontificum potentiam, imò exemplo
 carentes Imperatori Frederycho Barbarosæ cognomi

Lodouicus
 III. Baui-
 rus.

Fredery-
 chus Ae-
 nobarbus.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

nato, ab Alexandro III. illatas iniurias, referunt historici. Illud inter alia indignissime factum merito censetur ab omnibus, quod atrita frontis Pontifex, Venetijs in æde S. Marco consecrata Imperatori procumbenti petentiq; ueniam, pedem intulit, sacrilego ore illud prophetae adiiciens, Super aspidem & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & draconem. Nec illa exatiatus diabolica superbia, cum miser responderet impie exultanti, Non tibi sed Petro; ille impia audacia, Et mihi, inquit, & Petro, se etiam Petro gradibus aliquot præferens, cum tamen fuerit homo uilissimus, & tyrannus cōsceleratissimus, sanguinarius nequandus, adeoq; et Christiano totus sanguine madēs. Gregorius eius nominis IX. inter omnes Pontifices mea quidem sententiā uaferrimus, uidit in istis turbis rerum, Pontificis & Episcoporum tyrannicam potentiam, quæ iam omni conatu oppugnabatur à Germanis regibus, minime durabilem fore, nisi legibus laicis Pontificale imperium confirmaretur, & hæc leges in scholis inculcarentur omnibus, proinde hoc tempus quod alij bellis contra Imperatores institutis insumpserant, ipse legibus condendis impendit farraginemq; omnium abominationum impia arte collegit. Refertur autem ad hanc rem conficiendam usus esse Raymundo quodam Barchinonensē, cuius opera Decretalium liber ex omni scriptorum genere cōflatus sit. Huic præfixit epistolam sanctissimus, in cuius fine, Volentes igitur, inquit, ut hac tantum compilatione uniuersi utantur in iudicijs & scholis, districtius prohibemus ne quis præsumat aliam facere absq; auctoritate sedis apostolicæ speciali. In istis autem Decretalibus disputatur & decernitur De electione & electi potestate.

Condu-
tur Decre-
tales.

potestate, de authoritate & usu Pallij, de sacra unctio-
ne, de officio archidiaconi, archipresbyteri, primice-
rij, &c. de maioritate & obediētia, de iureiurando, de
uita & honestate clericorum, de præbendis & digni-
tatibus, de rebus ecclesiæ non alienandis, de decimis
primitijs & oblationibus, de iure patronatus, de con-
secratione altaris uel ecclesiæ, de celebratione missæ
rum, de reliquijs & ueneratione sanctorum, breuiter
quicquid facere uidebatur ad confirmandam Papæ
tyrannidem, ad episcoporum potentiam dignitatem
& luxum atq; superbiam augendam & cōseruandam
semel infaustus ille Gregorius cōgessit congestaq; ue-
luti in poculum expressit quo inebriaret & principes
& regna Occidentis omnia. Sunt autē illa facta circa
annum domini M C C X X X.

Exemplum Gregorij IX. sequutus est Bonifacius *Sextus De
VIII. ædito sexto Decretalium libro. Inter alia uero decretalium.*
condidit ille Decretum, cuius initium, Vnā sanctam
catholicam ecclesiam, in cuius sine disertis uerbis &
impudenti ore, Porro subesse, inquit, Romano Ponti-
fici omnem humanam creaturam declaramus, dici-
mus & definimus omnino esse de necessitate salutis.
Hic ille Bonifacius est de quo illud dicebatur ab omni-
bus, Intrauit ut uulpes, uixit ut leo, moritur ut canis.
Sunt enim qui scribant Bonifacium subornatos quos-
dam submisisse clanculū, qui noctu dimissa quasi cœ-
litus uoce in cubiculum Celestini V. hominis simpli-
cis ei persuaderent ut pontificatum dimitteret si mo-
do saluus fieri uellet. Nam dum esset sancti Martini in-
montibus presbyter Cardinalis (ut scribit Platina)
ad eō dignitatem Pontificatus exoptauit ut nil ambi-
tione & fraude prætermiserit quod ad eam rem con-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

sequendam pertinere arbitraretur. Assequutus imperium Pontificale Cardinales aliquot persecutus est ac trucidauit & crudelius quidem saeuioriq; odio Guellicos, Alberto duci Austriae imperij confirmacionem bis terq; petenti negauit. Idem Iubileum primum instituit, quo plenam delictorum omnium remissionem ijs promittebat qui limina apostolorum uisitassent. Egregius scilicet impostor, nugiuendus, in gratiam Christi & sanguinem blasphemus, & sacrilegus regni dei caupo. Idem Philippum Franciae regem quod Apameensem episcopum ferotius & iniquius contra se agentem coniecisset in uincula, ni liberaret excommunicauit, omnesq; Francos a iuramento absoluit regnum uero Alberto Imperatori Rodulphi Hapsburgij filio subiicit, quem tamen initio regni ter repulerat indignissime. Verum Philippus rex breui manu dei liberatus est ex ore leonis, tyrannus uero in uincula coniectus meritas dependit poenas. Platina sacrilegi hominis uitam concludens, Moritur, inquit, Bonifacius ille qui Imperatoribus, regibus, principibus, nationibus, populis terrorem potius quam religionem inuicere conabatur, quiq; dare regna & auferre, nolle homines ac reducere pro arbitrio animi conabat, aurum undiq; conquisitum plus quam dici potest sitiens. Discant itaq; huius exemplo principes omnes tam religiofi quam saeculares praesse clero et populis non superbe & contumeliose, ut hic Bonifacius, sed sancte ac modeste ut Christus rex noster eiusq; discipuli atque ueri imitatores, & malint a populis amari quam timeri, unde tyrannorum pernicies oriri merito solet.

Quales
Decretales
les.

Cæterum ne quis putet libidine animi percitum contra Decretales scribere solum, annotabo nunc paucis & cito transcursum

transcursu quid de ipsis iudicatum sit apud maiores nostros. Marsilius ergo Patavinus Dictio, 2. cap. 24. Pontifices credentes sibi licere, inquit, quidlibet propter plenitudinem potestatis quam sibi debitam asserunt, ordinationes quasdam oligarchicas Decretales uocatas statuerunt & statuunt, quibus ea quæ suo & suorum clericorum temporali commodo conuenire credunt, easque tametsi in grande principum & reliquorum fidelium cedant præiudicium, seruanda decernunt, inobedientes uero illis suo ferunt anathemate. In tantam denique dementiam proruperunt illorum aliqui ut omnes mundi principes & populos his Decretalibus pronunciauerint sibi coactiua iurisdictione subiectos, & hoc credere tanquam uerum fore cuiuslibet de necessitate salutis æternæ. Quod tamen quanta sit irrisione dignum indicauimus in superioribus.

Bonifacio VIII, nihilo propemodum melior extitit Clemens V. Heinrichum enim VII, Imp. Rom. electum, ea lege confirmauit ut intra biennium coronam Romanæ accepturus, Italiam ingrediatur, certe ut Imperatoris aduentu motus Italici comprimerentur, ipseque securus rerum potiretur. Imperator itaque omnia se facturum pollicitus, oratores statim mittit in Italiam, petens ut ipsi Romam eunti parent hospitium. Quos deinde statim sequutus Italiam non nihil rebellantem miserè uastauit. Calamitosæ passim adebantur strages, oppugnantur opida & castra, ferro & flamma depascebatur regio, agricolæ trucidabantur, cædebantur ciues, necabantur senes, constuprabantur uirgines, allidebantur infantes, nec ullus uel finis uel modus erat crudelitatis. Legatur obsecro in Vita Clementis Platina. Hæc beatus ille, si dijs placet, mitis, bonus & pacificus pater.

Clementis
V. constitutiones.

DE EPISCOPORVM INSTIT.

ter spectans cum uoluptate in sanguine Christiano triumphans exultabat. Idem ille patriæ pestis & sanguinarijs nebulis author extitit Clementinarum in quibus tyrannos Gregorium IX. & Bonifacium VIII. sequeutus, multas tulit oligarchicas leges, p libidine clericorum contra reges, principes & sanctum magistratum, Præcipue autem abrogauit, conscidit ac subuertit Imperat. Heinrychi iudicata, eius in quâ, cuius opera Italiam oppresserat, luculenter hoc facto cõprobandam nullius momenti apud ipsum fuerit regia dignitas, nisi quatenus uidebatur pro sua libidine mala facere. Imò ausus est in isto libro suo omnem sibi potestatem Imperatoriam tribuere adeoq; & regni hereditarietatem. Quid enim non audet caput impudens? Verba bestię si quis requirat inueniet Clement. lib. 2. tit. 11. cap. 2. Præmissis enim compluribus contumelijs & ignominij uerbis, concludit, Nos tam ex superioritate quam ad imperium nõ est dubiũ nos habere, quam ex potestate in qua uacante Imperio Imperatori succedimus, et nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus rex regũ & dominus dominantũ, nobis, licet immeritis, in persona beati Petri cõcessit, sententiã & processus prædictos (Heinrichi VII.) & quicquid ex eis sequutum est uel occasione ipsorum delictorum nostrorũ consilio declaramus fuisse, sic esse omnino irritos & inanes, &c. Perijt tandem Heinrychus Imperator apud Bonconuentum, manifesto ueneno (ut ait Volaterranus Anthropologiæ libro uigesimo tertio) opera Roberti regis dato, anno imperij V. salutat MCCCXXIII. Author Fasciculi temporum affirmat hoc sceleris à quibusdã scriptoribus reijci in Bernardum quendam de Monte policiano, prædicatorie factionis

Papa imperatoris successor.

factionis fratrem, qui pane dominico, ipso inquam sacramento corporis domini, ueneno infecto, Imperatori presentaneam consciuerit mortem.

Pudet me profecto pigeretq; cōscelerationis nephanda & hominum nequissimorum, nec quid amplius dicam habeo. Si enim ita ut cœpi perrexero etiam posteriorum Pontificum ac episcoporum contexere historiam uel modica historiæ spargere semina, cogor uel similia uel impuriora occinere p̄bis lectoribus. Quorum scelera persequi diligentius? Satis opinor ex recensitis claret qui & quo tempore exorti sint, quorum opera arte & inuincibili malitia regnū hoc episcoporum insolens inceptum, auctū & hætenus sit retentum. Dominus Iesus rex regum restituat in nobis regnum suum ad gloriam nominis sui, Amen.

PERORATIO AD REGEM.



ROINDE non est, serenissime Rex, quod uel la expectes Pontificia, id est coniuratorum Consilia in quibus uere agatur de reformatione iusta ecclesiæ & ministrorum eius. Vides enim quales fuerint hætenus episcopi qui posterioribus præfuerunt Consilijs. Vides quò animi propēdeant pro phani auari ac ambitiosi, quibus de rebus olim consularint, & quid nunc effectum cupiant. Vides quomodo principibus pijs & cordatis hætenus imposuerint, & tyrānica potestate oppressis optimis quibusq; scelerata perruperint audacia. Satis ergo diu satis superq; satis regibus & populis Christianis, tibi in primis & tuis maioribus illuserunt Romani Pont. & Ro

manæ superstitionis tyrannidisq̃ antistites. Noluisti
 men priuatim tuas & maioribus tuis ab hoc hominũ
 genere illatas persequi iniurias, ne non publicam cau-
 sam sed priuatam magis agere uiderer. De domesticis
 rebus annales tui abunde testantur. Ideoq̃ quoniam
 istis semel renunciaſti Rex inclyte, bene factũ est, lau-
 daris ob hoc ab omnibus, per seuera modo in instituto
 sancto, & si quæ alia uidentur in ecclesia ministrisq̃
 eius restauranda absoluẽdaq̃, ut haud dubie sunt plu-
 rima, agẽ confortare & esto robustus in domino. Ne
 metuas quicquam, Domini agis negotiũ, Dominus
 non deerit tibi tuisq̃ conatibus sanctis. Imò dedit tibi
 iam pridem uiros sapientes, fortes, pios, diuinarum
 humanarumq̃ rerum peritos, principes, episcopos ex-
 tuditione præclaros, satrapas, nobilesq̃, uiros senato-
 rios, & longo uarioq̃ usu rerum exercitatissimos. Flo-
 ret enim hodie ANGLIA regnum tuum copia docto-
 rum, sapientum & piorum uirorum. Cum his consula-
 tabis, princeps Christianissime, de rebus religionis cõ-
 muniſibus. Nec est quod ab alijs pendeas. Ipse tui po-
 puli tibi à domino commiſſi curam habeto. Cunctan-
 tur enim alijs in detrimentum suum maximum. Festi-
 nant alijs & nimis quidem. Tibi uero Rex sanctissime
 pro tua sapientia lente festinandum erit. Intelligis om-
 nino quid agendum sit. Cæterum satis non est nouisse
 quid facias nisi quod noueris faciendũ perficias. Do-
 minus enim noster in euangelio suo, Quid, inquit, di-
 citis domine domine, & non facitis quæ iubeo? Rex
 Iosias pijsſimus inde laudem maximam in sacris inde-
 ptus est, quod simul atq̃ è lege dei quid tolleret intelle-
 xit, mox etiam sustulit, & meliora in locum iuxta os
 domini substituit. Id exemplum tibi in primis rex pijs-
 ſime

time uidetur immitandū, qui diceris summū in terris Anglicanae ecclesiae caput, & Catholicae fidei defensor. Capitis enim est sapere & prospicere corpori suo. Et Catholica fides ea est quae scripturis nititur sacris & catholicis, de quibus audisti quod ex spiritu sancto inspiratae, infallibiles & ex seipsis sat authoritatis habentes, oīa absolute tradant, quae uerae pietatis sunt.

Scriptura ergo erit tibi ueluti cynosura quaedā in hoc freto nauiganti, unica uidelicet agendorum & fugendorum regula. Hac de Episcopis, id est uerbi dei ministris docet uetustissimum esse ipsorū ministerium atq; dignissimum, utpote cui ab ipso deo, ab ipso protinus mundi initio praefecti sunt optimi, sapientissimi & sanctissimi quicq; primo quidē patriarchae sanctissimi, deinde sanctorum primogeniti, hinc Leuitae uiri per omnia praestantes, postremo autem omnium apostoli & qui ab his ordinati sunt uiri apostolici, uita & eruditione clarissimi. Audisti quare & in quem finem institutum sit hoc ministerium, & quodnam sit episcoporum officium, inuigilare uidelicet pro gregis incolumitate tuenda, gloriaq; dei propaganda apud homines, hoc est ut doceant praedicentq; poenitentiam & remissionem peccatorum per nomen Christi, ut orent pro regibus & omnibus hominibus, & ut sacramenta domini eo modo & ritu dispensent, quo ipse administrare iussit. Audisti praeterea qui nam sint ad tantum deligendi ministerium sancti, fideles, constantes, prouidentes & eruditi uiri. Hic ergo annitendum erit tibi rex potentissime, ut eiusmodi pastores fideles secundum apostoli Pauli canonem tibi & regno tuo pares, & eos quos nunc habes ministros dei fidos agnoscas, diligas et foueas. Parabis fideles pastores si scholas cor-

DE EPISCOPORVM INSTIT.

ruptas restitueris & restitutas curaueris diligēter. Ex
 scholis enim rite institutis prodierunt olim uiri doctri
 na & sanctimonia illustres ecclesia q̄ dei utiles. Ideo
 uero priscei reges scholas amplissimis & stipendijs &
 priuilegijs donarunt. Debetur enim suus honor stu
 dijs & studiosis, in primis ministris dei & sacris mini
 sterijs consecratis. Ideo enim & ecclesia opes habet ut
 suis ministris nihil quod ad decus & necessitatem per
 tinet, desit. Quanquam hic quoq; magna & præcipua
 cura pauperibus erit impendenda, cōstitutis ad hanc
 rem gnauiter perficiendam fidelibus œconomis. In
 de enim salus & regni felicitas existit, ex studiorum et
 pauperum neglectu omne malū enascitur. Episcopi si
 qui modo adhuc delectantur cultu & fastu Papistico
 pro sua prudentia quid ipsos deceat intelligent, posse
 tisq; ludicris illis sument sibi quibus uera paratur au
 thoritas, imò toti in hoc erunt ut sanctos tuos conatus
 iuuent & summis nixibus promoueat. Quod si qui
 tantis rebus gerendis inepti sunt, ut certe innumera
 est sacerdotum & monachorū turba ad eruditionem
 & ministerium uerbi inutilis, interim tamen si uiri bo
 ni sunt, si pietati fauent, & institutis regijs & sanctis
 non reclamant, permittes ut presentibus utentes in
 pace moriantur, his mortuis locum eorum uel melio
 ribus usibus destinabis, uel meliores & de quibus ma
 ior spes est subrogabis. Ita uero nemo poterit queri si
 bi ullam irrogari iniuriam. Populus quoq; uidens san
 ctissimum facultatum ecclesiasticarum usum uectiga
 lia sacra libentius & plenius pendet, oborietur q̄ mira
 regni lux, concordia, felicitas & tranquillitas.

Audendum tibi hic aliquid, ô rex serenissime, au
 dendum est tibi aliquid pro nomine Christi & regni
 tui

tui salute. Ne dubites, ne cuncteris. Dominus iustam
causam & fidelem eius cultorem non destituet. Dabit
tibi sapientiam, felicitatem & successum. O quantam
parabis tibi gloriam & laudem apud deum & homi-
nes. Quàm felix erit regnum tuum. Benedicent tibi
omnes qui inuocant nomen domini. Dominus Iesus
adsit tibi spiritu suo, confirmet te in omni bono, & di-
rigat gressus tuos in uia iustitiæ, pacis & pietatis, rex
inuictissime.

F I N I S.

